FERRARI, Ottavio

Octauii Ferrarii De re vestiaria : libri septem... -- Patavii : Typis Pauli Frambotti..., 1654

[20], 261, [16], 213, [26] p., XXX h. de grab., [a]4, b6, A-Z4, 2A-2I4, K2, [S]-2S4, A-Z4, 2A-2G4 ; 4°

De re vestiaria. -- Marca de imp. en port . -- Front. calc.: "I. Ruphonus. f." . -- Las h. de grab. son calc.: "Ruffonus sculp." . -- Pars altera : libri quatuor, con port. y front. propios y mismos datos de imp.

1. Vestidos-Historia-Roma 2. Jantziak-Historia-Erroma I. Titulo

R-5029 An. ms. en h. de guarda. -- Enc. piel con hierros dorados en el lomo y cantos

Citations

tout ce que cet. Severinus a fait sur les antiquités
est fort estimé : Lenglet metz 4° Supp. p 240.

[redacted]


édition rare : [redacted] de Dan Clement


OCTAVII FERRARII
DE RE VESTIARIA
LIBRI SEPTEM

OCTAVII FERRARII
DE
RE VESTIARIA
LIBRI SEPTEM.

Quatuor poſtremi nunc primum prodeunt:
reliqui emendatiores & auctiores.

Adiectis iconibus, quibus res tota oculis ſubiicitur.



PATAVII, MDCLIV.

Typis Pauli Frambotti Bibliop. *Superiorum Permiſſu.*

ÆTERNÆ VENETORVM REIPVBLICÆ

Octauius Ferrarius F.

POPVLVS Romanus Quiritium eodem tempore & rerum dominus & togatus esse desiit. Nam postquam fatorum inuidia, terrarum, ac maris, nunquam satis libertatis potens, vnius parum viri impotentiæ, ac libidini Orbis Imperium, seque, ac fortunas autorauit, pristinum quoque cultum mutauit, simulque libertatem exuit, & togam: & quod olim non nisi in luctu publico, Vrbisque periculo vsurpabatur, perpetuò ad saga transiit. Quasi eos, qui sponte seruitium induerant, ipsius fortunæ rubore in veste ingenuorum conspici puderet. Itaque ex eadem domo rei Romanæ excidio natus adolescens, postquam annona, & donis morientis libertatis reliquias profligasset, vt eius aliquod inane solatium relinqueret, frustra togarum vsum reducere conatus est: nam serò sapiens Martius populus non diu ludibrium illud tulit, & fortu-

næ ſuæ intelligens cum ſeruili ſchema deinceps proceſſit. Ita nullus ſcriptoribus eorum temporum querendi locus erat, quòd cum togæ in deſuetudinem abiiſſent, ſublatum omne eſſet inter ingenuos, atque ſeruos in veſtitu diſcrimen: nam quid eo opus erat, cùm omnes priuatim, aut publicè ſeruitutem ſeruirent?

Quantò admirabilior publica res veſtra, Principes ſemper Italiæ Viri, quæ ſicut ſingulari omnium ſeculorum exemplo intactam per omne ævum libertatem, ſeruiente Orbe ſeruauit: ita eodem veſtitu, quàm graui, ac maieſtatis pleno, tàm ſimplici, & virili pacis, atque ingenuitatis argumento perpetuò vſa eſt. Et cum Latium omne in barbarum, aut hoſtilem cultum degenerauerit, ac togati quondam populi braccis adſtricti, aut ſagulis incluſi, certè in re populi placida altius cincti, quos oderunt imitentur: contra magna pars deliciis fracti adeo a geſtanda lorica degenerauerint, vt cùm ſericum oneri ſit, cultus vix nuribus decoros ſumant, totque nouis veſtium nominibus fœdati in publico pelluceant; Veneta grauitas priſca morum, atque amictus ſanctimonia ad hanc diem egit, ac maiorum cultum per tot ſecula nulla aut peregrinitate infecit, aut luxu blandiente corrupit.

Et quamuis Romanæ togæ pondus, ac redundantiam, moroſamque rugarum contabulationem aſpernata ſit panno etiam æſtiuis incommodis velata modeſtia: decoro tamen fluente ad pedes amictu, non colorum ſuperbia, aut cretæ ambitu notabili, ſed maxime ciuili gaudens omne luxus certamen ſubmouet, quo maxima olim Imperia peſſum iêre. Ita quamuis ſua magiſtratibus inſignia apud vos ſint, murexque, & violæ color palmatas

ve-

veſtras, ac triumphales illuminet, reliqua promiſcuo amictu agitis, ſimilemque caueæ orcheſtram, & circumdatam ſapienti pallio Imperii maieſtatem miraretur hoſpes, niſi nihil admirari a vobis ipſis didiciſſet.

Ego veterum veſtitum, cultumque longa deſuetudine abolitum, etiam apud ſcriptores vix ſui veſtigia retinentem cùm eruditorum oculis ſubiicere conſtituiſſem, auſus ſum id opus Sacrario veſtro ſiſtere, quòd apud vos conceptum, atque editum, quòdque non exiguam lucem Græcis, ac Latinis ſcriptoribus allaturum ſpes eſſet, quos veſtro accitu, atque inuidiæ capaci liberalitate publicè interpretabar.

Nec fortaſſe præter rem fuerit principis quondam populi, ſicut bella, opeſque, ita domeſticum cultum, ac paratum propiùs inſpici, reputantibus quàm modicus initio fuerit, atque ipſi naturæ, gentiſque primordiis par, mox luxu victus ſit: donec eo ventum, vt idem corruptus, ac corruptor, moribus, ipſique demum Imperio labem attulerit. Quo magis ſeculo, veſtroque nomini gratulari libet, apud quos cum ex æquo viuat Imperium, amictus ſimplicitas cum morum ſanctitate contendit, imo abſtinentiæ index, ac cuſtos eſt, potens humanum genus emendare, ſicut Venetæ manſuetudinis beneficio Imperio ſubiecta, exemplo, cuncta terrarum refouentur. Valete, bene rem gerite, Vincite

Virtute vera, quod feciſtis ante hac.

Patauii in veſtro Athenæo Calend. Decembris Anno CIↃ.IↃC.XLII.

OCTA-

OCTAVIVS FERRARIVS

Lectori suo S.



Imaiorum gentium Critici, atque harum literarum principes Lipsius, Casaubonus, Salmasius fidem suam aliquando liberassent, & quem toties polliciti fuerant Commentarium De Re Vestiaria non inuidissent, supersedissem ipse labore hoc, atque aliud interim promisissem. Sed quoniam beati illi ante fatis, quàm studiosorum voto debitum persoluerunt, quæ diu in hanc rem commentatus sum non vltra supprimere constitui, & pro viribus posteritati consulere.

Res ea quidem, si quæ alia in tota vetustate, vt maxime vtilis, & iucunda, ita ardua in primis, atque obscura, nondumque satis viris doctissimis explicata. Nam quæ ad hunc diem hoc argumento prodiêre hiantes deludunt, cùmque auctores multum æstuarint, grandia minati pro Romanis barbaros, ac peregrinos habitus obtrudunt. Lazari Bayfii conatus laudandus est, qui tamen si nihil aliud statuam nobis pro togata palliatam dedit, traxitque in eundem errorem non paucos vix excusandos, cùm in veteribus nummis, ac lapidibus tot togatæ appareant. Sigonius totus in hoc sui dissimilis est, credo dissentiendi studio, & ne fieret accessio alterius.

Primus nugari desiit iunior Manutius, quem maluerunt recentiores transcribere, quam laudare, non multum solliciti, ne quis manum iniiciat, cùm pridem doctorum monumenta iuuentutis manibus incuria, ac torpor excusserit: dum noua

secta-

ſectamur veterum incurioſi; Iamque idem fatum Manutii ſcripta premit, quod Beroaldis, Politianis, Domitiis, Valliſque, & reliqu s nocuit, qui harum litterarum inſtauratores Italum nomen vltra Sauromatas porrexerunt; Quorum luminibus non tam offecit poſterior cura, quàm alienos fœtus ſibi ſupponendi mala libido, quibus vbi miram verborum volubilitatem non ſine lolligine, & repetitas ad faſtidium ſcriptorum ſententias addidere pro ſuis venditant, atque ambitioſa commentariorum mole ſcriptores prægrauant, lectores abſterrent, iiſque miraculo ſunt, qui libros oculis metiuntur, titulorum periti, quique bibliothecas in oſtentationem luxus exornant.

Neque hæc obtrectandi cauſa dicta velim, ſed vt ipſe quoque euincerer, quoties culpæ huius affinis forem. Ceterum Manutium non ſemel in hoc opere præluxiſſe initio profiteor, & cùm res poposcerit indicabo, nec alium quemquam honore ſuo fraudare animus eſt, per quem proficere licuerit. Neque etiam mihi tantum defero, vt magnis nominibus inſeri velim, hiſque optionem dari: ſed id modo, vt quod illi vel altioribus curis diſtricti omiſerunt, vel fato intercepti ad exitum perducere nequiuêre, ſupplerem ipſe, qui ſicut non tantum ingenii, at fortaſſe non minorem curam, certe iuuandi litteras ſtudium non impar domo attuliſſem. Quantum porro illud ſit Lector incorruptus iudicabit, & quidem minores ſincerius. Nobis hercules iidem fontes, vnde illi arua Muſarum irrigarunt, patuere, & quidem pronius, ad quos illi digitum intenderant.

Quid porrò hoc argumento præſtiterint, qui adhuc vitales auras carpunt, ſeque ac ſeculum exornare pergunt, in ipſo opere apparebit. Neque ægrè laturos ſummos viros exiſtimo, quòd

ſæpè ab iis modeſtè diſſentiam. Quam ſibi veniam in aliis refellendis concedi illi poſtularunt, haud mihi denegatum iri certus ſum. Ceterum niſi ingentia in me merita eſſent Franciſci Putei Venetorum patronorum diſertiſsimi, cuius domus perpetuum Muſarum hoſpitium eſt, ac commune Prytaneum, hoc illi nomine plurimum deberem, quòd non pauca Romani cultus monumenta nondum vetuſtatis iniuriâ victa tranſmiſerit, quo res ipſa ſub aſpectum caderet.

Hæc erant, quæ præfari neceſse fuit, reliqua ſcriptorum ſolemnia, leniendo liuori, aut faſcino depellendo ne tangam quidem. Ambitioſi ſimul eſt, & meticuloſi ægros oculos, ac municipalem rubiginem expectare, aut reformidare. Nimis preclare mecum actum crederem, ſi hæc inuidia digna viderentur. Lector

Viue, vale: Si quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non his vtere mecum.

VLPIANVS D.
DE AVRO ET ARGENTO LEGATO.

VEstimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, iniiciendi, incubandiue causa parata sunt: Et quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt institæ, picturæ, clauique, qui vestibus insuuntur. Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiarica. Virilia sunt quæ ipsius patris familiæ causa parata sunt, veluti togæ, tunicæ, palliola, vestimenta stragula, amsitapa, & saga, reliquaque similia. Puerilia sunt quæ ad nullum alium vsum pertinent nisi puerilem, veluti togæ prætextæ, aliculæ chlamydes, pallia quæ filiis nostris comparamus. Muliebria sunt, quæ matrisfamiliæ causa sunt comparata, quibus vir non facile vti potest sine vituperatione, veluti stolæ, pallæ, tunicæ capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi, quam ornandi causa sunt comparata, plagulæ, pænulæ. Communia sunt, quibus promiscuè vtitur mulier cum viro: velut si eiusmodi pænula palliumue est, & reliqua huiusmodi quibus sine reprehensione vel vir, vel vxor vtatur. Familiarica sunt, quæ ad familiam vestiendam comparata sunt: sicuti saga, tunicæ, pænulæ, lintea vestimenta, stragula & consimilia.

ODE.

IActura facta est tum nimium grauis
Antiquitatis quum venerabilis
Mos vestiendi temporum æstu,
Et vitio periit nepotum.
Hi facta maiorum inclyta quum parum
Sint æmulati, pensaque gloriæ
Languore inerti negligentes
A studiis abiere honesti.
Hinc exulauit tam Latio toga,
Quàm pallium Argis, atque simul decus
Vtrinque virtutis recessit
Crimine desipientis æui.
Mutata vestis, mutat & urbibus
Mores auitos; & ruit in nefas
Gens omne præceps, Barbarorum
Dum capit indecores amictus.
Frugalitatis lex moderans domos
Hinc spreta; constans posthabita est fides;
Humanitatis nulla, pacisque
Innocuæ fuit inde cura.
Quin fluxit omnem luxus in angulum,
Qui ciuium rem distrahit artibus
Congestam anhelis, atque turpi
Desidiâ reuerat potentes.
Obducta passim nomine gratiæ
Egerminarunt perfidia, & doli,
Et cœpit illic stare vultu
Barbara sæuities superbo.
Ad arma ciues mox pepulit furor
Quaqua solutus, dissidiis faces
Subdens cruentas, unde cædes,
Et trepidus metus usque creuit.

Im-

Imbellem ab annis, & tremulum patrem
Nati bipennis terruit impia;
Et ſæpè pugnarunt propinqui
Sanguinis immemores amandi.
Permiſſa ferro ſæcla malignior
Vis aſperauit legibus obrutis,
Aſtræa, poſtquam exoſa vulgus
Tot ſcelerum, alma reuiſit aſtra.
Nonne iſta fraudum tempora nunc forent
Dicenda verè ferrea, ubi minas
Inter frementes cuncta ferri
Arbitrium temerè occupauit?
Corrupit eheu conſimilis propè
Ferrugo noſtri curriculum furens
Aeui, peracri damna ferro,
Glandeue fulmineâ ſerentis.
Occurris at tu luctifico malo
Priſci reducens ingenii typum,
Inſubriæ, Octavi, feracis
Lux, celebre atque decus Mineruæ;
Sub involucro dum modò veſtium
Virtutis antiquæ inuehis indolem,
Aurique purum reddis æuum,
Quo probitas generoſa fulſit.
Scriptis inauras aurifluis tuis
Orbem, atque pulchris diuitiis beas,
Quas non habet Pactolus æque,
Nec Tagus Heſperiis in undis;
Tuâ diſertâ quum ſapientiâ
Fulgere poſſit nil pretioſius,
Quâ promis apte abſtruſa rerum
Sepoſitâ peregrinitate.
Fœlix ò æras nupera veſtibus
Priſcis reſumptis, ſi repetat ſimul
Mores decentes æquitatis,
Aurea quos coluit vetuſtas.

Egreſſus Argo cum iuuenum manu
Iaſon decorâ, primus Achaicâ
Contempſit audacter carinâ
Aequoris imperium tremendi.
Clauſtris reuulſis ſæua licet cohors
Erumpat amens Aeolio è ſpecu,
Totumque conturbet profundum,
Nil timet vndiuagus phaſelus.
Nam Graia pubes per varios ſinus
Excurrit, anceps ſiue periculum,
Seu dura fortunæ moleſtæ
Indomito ſubiens labore.
Auſus prælatos nec potuit virûm
Armata meſſis flectere concita,
Nec ſemper inſomnis Draconis
Faucibus eiaculatus ignis;
Quin ferret auratam Aeſonides mari
Ab uſque Colchis pellem, & Apollinis
Ornatus altâ fronde crines
Exuuiis decoraret Argon.

Io. Iacobi Cruccolani Mediolanenſis.

INDEX CAPITVM
LIB. I.

Cap. I. TOga: τήβεννος: περιβόλαιον. Vestimentũ genus fuisse rotundum, ac clausum. P. 1

II. Sigonii opinio refellitur Togam quadratam censentis. Athenæus explicatur. 5

III. Docti Viri opinio de Vestimentis quadratis expenditur. 6

IV. Noua opinio de vestimentis quadratis affertur. Quod inter vulgare pallium, ac Philosophicum discrimen fuerit. 8

V. Sigonii sententia reiecta censentis Togam semicircularem, & apertam fuisse. 11

VI. Modus gestandi togam. Quid sinus & umbo. Quintilianus explicatus. 12

VII. Brachium toga continere. Ciceronis locus explicatus. 22

VIII. Mittere trans pondera dextram. Horatius explicatus. Cur anno tirocinii brachium toga cohibitum. 24

IX. Brachium exerere. Cethegi exerti, ac cinctuti. Horatius, & Lucanus illustrati. 29

X. Toga caput inuoluere. Caput aperire. 32

XI. Caput pallio inuoluere: Palliolum: Ciceronis Scholiastes notatus: Petronius explicatus. 36

XII. An toga cingeretur. Macrobii sententia reiecta. Cæsaris cinctus. 38

XIII. Cinctus Romanus. Modus cincturæ Cæsaris

cur

cur notabilis. Dionis interpres notatus. 41
XIV. Expenduntur scriptores, qui togam cingi solitam docere videntur. Cinctus Gabinus. 43
XV. Docti viri opinio refutata de cinctu Gabino Catonis cum ius diceret. Tertullianus de pallio explicatus. 47
XVI. Nullum in toga fibulæ usum fuisse. Panciroli nõ unus error in re vestiaria perstringitur. 51
XVII. De Togæ materia. Lanarum varia genera. Togæ pexæ, & detritæ. 53
XIIX. Lana coacta. Plinius uno capite non semel correctus, & explicatus. 56
XIX. Vestis serica. Bombyx Coa, & Assyria. Plinius defensus. 60
XX. Vestes bõbycinæ: sericæ: subsericæ: multitia. 63
XXI. Togæ color. Candidati. 66
XXII. Albus color lætitiæ causa adhibitus. Albati. 69
XXIII. Pullus color in luctu. Atrati. An idem a matronis usurpatus. 71
XXIV. Togæ mensura. Togæ talares. Quintilianus explicatus. 72
XXV. Togam antiquis temporibus commune vestimentum fuisse tam virorum, quam fœminarum. Recinium. Festus emendatus. Toga meretricum gestamen. Ouidius, & Varro explicati. Plebs infima quandoq; togata. Gladiatores in toga producti. 74
XXVI. Imperatores toguti. 79
XXVII. Togas in luctu, & calamitate publica depositas.

tas. Quæ veſtis earum loco ſumpta. 81
XXIIX. An toga veſtis domeſtica fuerit. 83
XXIX. Togæ in conuiuiis adhibitæ. Toga ſubmiſſa. 84
XXX. Veſtis conuiualis. Cænatoria. Syntheſis. 86
XXXI. Quale veſtimentum fuerit Syntheſis. Lipſii ſententia examinatur. 88
XXXII. An extra Vrbem togæ uſus fuerit. Togæ etiam in militia. 93
XXXIII. Quando toga in deſuetudinem abierit. Aue togatorum. Patroni togati. 95
XXXIV. Togas Imperatorum æuo non ita totum depoſitas. 100
XXXV. Tunicatus populus. Pullatus circulus. 102
XXXVI Christi Sacerdotum veſtem exteriorem Miſſarum Sacris adhibitam togam fuiſſe videri. Pænula: Planeta: Caſula. 104
XXXVII. Modum geſtandi Caſulam diuerſum a togæ geſtatu fuiſſe. Lineus amictus. 106
XXXIIX. Planetam, & Caſulam etiam extra ſacra in communi veſtitu fuiſſe. 109
XXXIX. Dalmatica. Lacernum byrrhum. Cardinalium Veſtitus. Baronii opinio reiecta. 111

LIB. II.

Cap. I. DE Prætexta. 134
II. De Prætexta Sacerdotum. 135
III. Prætexta Magiſtratuum. Varii Interpretum errores in uoce περιπόρφυρος explicanda caſtigantur. 136

IV. An Senatores Prætextati. An Tribuni plebis. 140

V. De Trabea. Toga φοινικοπάρυφος. Halicarnasseus explicatus. 144

VI. Scholiastæ Lucani error Trabeam cum Paludamento confundentis. 145

VII. De purpura, & eius generibus. Plinius correctus, & explicatus. 147

VIII. Toga triumphalis, purpurea, picta, palmata, Capitolina. 152

IX. Jus togæ triumphalis ad priuatos translatum. Purpura summa. 156

X. De Vestibus holoueris. 158

XI. Togarum diuersa genera enumerata magis, quàm indicata. Auctorum sententiæ expensæ. Varro explicatus, & correctus. 160

XII. Sabollam non fuisse togam, aut vestem Senatoriam. Quid ea fuerit. 164

XIII. Quod vestimenti genus fuerit Læna. Seruii opinio reiecta. 168

LIB. III.
DE TVNICA.

Cap. I. TVnica. χιτὼν. Dionis Interpres, & Manutius notati. Maldonati sententia reiecta. 172

II. Tunicas in petitione honorum depositas. An Cynici tunicas gestarint. ὁδὸν. ῥάκος. 177

III. Tunicæ Lineæ. Paragaudes. 180

Mi-

IV. *Miniſtros conuiuiorum in tunica & ferme linea ſolitos miniſtrare.* 182

V. *Linea Veſtis ſacrificantium. Camiſia: Camiſium: Cotta.* 187

VI. *Tunica ſuperior. Eius menſura. Talaris probroſa. Propertius, Iuuenalis, Cicero explicati.* 190

VII. *De Cinctu.* 194

IIX. *Tunicæ Manuleatæ. Colobia.* 196

IX. *Dalmaticæ. Non unus Baronii error notatus.* 199

X. *De Tunicæ colore. Non fuiſſe purpureum. Manutii opinio reiecta.* 203

XI. *Tunica palmata. Ruſſa. Galbina.* 205

XII. *De Tunicæ ornamentis. Latus clauus. Doctiſſimorum virorum ſententia exploſa. Quintilianus explicatus.* 206

XIII. *Laticlauii etiam Senatorum filii. Dionis Interpres notatus.* 210

XIV. *Anguſtus clauus. Anguſticlauii.* 212

XV. *Tunicæ Aſemæ. Claui mappis & linteis aſſuti. Alia tunicæ ornamenta.* 215

XVI. *De Tunica Chriſti Domini inconſutili. Doctiſſimi viri opinio reiecta.* 216

XVII. *De Tunica Muliebri. Stola Inſtitæ. Segmenta. Plinius explicatus.* 222

XIIX. *Pallium muliebre. Palla. Citharœdicus ornatus. Palla Gallica.* 231

XIX. *De Amiculo.* 237

XX. *Varia muliebrium veſtimentorum nomina ex*

Plau-

Plauto recenſentur. 238

XXI. *Alia in Plauto, quæ ad muliebrem mundum pertinent, expenduntur.* 245

XXII. *De Variis coloribus muliebris cultus.* 249

XXIII. *De Veſte Ancillari, & Meretricia. Juuenalis, & Ouidius explicati.* 252

XXIV. *Veſtis ſeruilis. Lipſii ſententia reiecta. Interpres Juuenalis correctus. Fabri opinio expenſa.* 256

OCTAVII FERRARII
DE RE VESTIARIA
LIBER PRIMVS.
QVI EST DE TOGA.

Toga: τήβεννος: περιβόλαιον. Vestimenti genus fuisse rotundum, ac clausum. Cap. I.

TOGA, Romanum tegmen, ipsis Quiritibus longè vetustior scriptoribus perhibetur. Nam circummeasse a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos auctor est Tertull. de Pallio: & cum Suida Artemidorus eius originem ab Temeno Arcade deducunt, qui ad Ionij maris accolas nauigans primus eo modo chlamydem induit, a quo indigenæ edocti eadem ratione habitum suum composuêre, vestemque Tebennam corrupta voce a Temeno appellarunt. Verba Artemidori sunt lib. II. cap. III. prout ea viri doctissimi ad Tertullianum emendarunt. Τὰ δ' αὐτὰ καὶ ἡ Ρωμαϊκὴ, ἐσθὴς, ἣν νῦν τήβεννον καλοῦσιν ἀπὸ Τημενοῦ τ' Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τὸν περιεβάλετο τὸν τρόπον ἐσπλεύσας τὸν Ἰόνιον κόλπον, καὶ ὑποδεχθεὶς ὑπὸ τῶν ταύτῃ κατοικούντων, ἀφ' ὧν μαθόντες καὶ οἱ ἐγχώριοι τὸν αὐτὸν ἐσκεύασαντο τρόπον, καὶ ἐκάλουν τὴν ἐσθῆτα Τημένιον ἐπώνυμον Τημενοῦ τ' εὑρόντος, ὕστερον δὲ χρόνῳ παραφθαρὲν τὸ ὄνομα τήβεννος ἐκλήθη. *Eadem significat, & vestis Romana, quam nunc* Τήβεννον *vocant a Temeno Arcade, qui primus suam chlamydem hoc modo circumdedit cum per sinum Ionium nauigasset, & ab his, qui istic habitant susceptus esset, a quo indigenæ edocti eodem modo aptarunt, & vestitum Temenium vocauerunt a Temeno inuentore, verum secutis temporibus corrupta voce Tebennus appellatus est.* Ab hoc igitur Temeno Arcade Τημένιον, mox

Τήβεννον togam dixere. Hesychius Τήβεννος εἶδος περιβολαίου παρὰ Ρωμαίοις. Vbi doctissimus Criticorum Περιβόλαιον appellat, quemadmodum Artemidorum voce περιεβάλετο vsus est, quod nempe toga, vt dicemus, ita inijceretur siue circumijceretur, vt totum corpus inuolueret. Etymologo Τήβεννος dicitur Regium gestamen. Sed si Romani Reges excipiantur nullus exterorum Tyrannorum toga vsus reperietur, nisi ex dono Pop. Romani, aut eius imitatione. Malè itaque ex Polybio apud Athenæum id firmare docti conantur, qui Antiochum Epiphanem memorat depositio Regio cultu amictum toga forum circumire solitum. Πολλάκις δὲ καὶ τῷ Βασιλικὴν ἀποθέμενος ἐσθῆτα τήβενναν ἀναλαβὼν περιῄ τὴν ἀγοράν. Id enim & præter morem fuisse notat Polybius, & ad imitationem Romanorum feciſſe subiicit. Καὶ καθίσας ἐπὶ τὸν ἐλεφάντινον δίφρον κ) Τὸ παρὰ Ρωμαίοις ἔθος.

Togam ergo Romanorum gestamen fuisse nemo est qui ignoret: sed quæ eius forma, quodque a Græcanico pallio discrimen viri doctissimi delitigant, nec satis rem expediunt. Glossæ Veteres Persij. *Toga est purum pallium forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu*. Manutius in quæsitis Vestimenti genus fuisse censet a summo ad imum clausum nullis manicis, quodq; totum corpus tegeret, & inuolueret. Contra Sigonius in lib. de Iudicijs Togam apertam fuisse contendit, & quadratam. Quòd Athenæus lib. v. narret Romanos in Asia, vt vim Mithridatis effugerent ad Templa confugisse, & quadratis vestimentis abiectis pallia sumpsisse. Ea autem quadrata vestimenta fuisse Togas Cicero indicare videtur pro Posthumo. *P. Rutilium facilius inquit, necessitatis excusatio defendet, qui cum a Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem Regis in Togatos, vestitus mutatione vitauit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, soccos habuit & pallium*. Ex quo colligit Sigonius quadratam togam fuisse, eandemq; apertam ex eo contendit, quòd Val. Maximus lib. III. de Nasica in Gracchum impetum facturo loquens ait, *eum læuam manum aperta togæ circumdedisse*.

Nihilo-

Nihilominus Togam vestimentum clausum, & rotundum fuisse, quodque vno iniectu corpus inuolueret, multa sunt quæ conuincunt. Primum antiquæ statuæ, veteresque nummi talem Togæ formam oculis subijciunt, quæ licet satis id superque comprobent, argumenta tamen non leuia adijciemus. Quod enim primo loco a Manutio affertur, nullius momenti est, qui existimat ita clausam togam fuisse, vt a summo ad imum nullam scissuram habuerit, & proinde ait, *indecorum visum esse pectus nudum patuisse*. Hoc enim omnino falsum est; Nam licet Togæ vt dicemus rotundæ & per imum ambitum essent conclusæ in superiori tamen ora ad ceruices laxè patuisse necesse est, tum vt dextrum brachium exereretur, tum vt claui in tunica Equitum, & Senatorum apparerent, vt in statuis togatis videre est. Plutarchus etiam in Coriolano tradit, consueuisse Magistratum petentes sine interiori tunica in forum opertos toga descendere, vt qui cicatrices haberent signa fortitudinis aperirent; quod fieri minime potuisset, si per totum clausa toga fuisset, & ceruicibus adstricta.

Illud ergo potiùs quod idem Manutius vidit, cum antiquissimi Romanorũ vt tradit Gellius l. VII. nullis tunicis vterentur, solisque togis amicti incederent, nisi Togæ a pectore ad ima clausæ fuissent, nihil velando pudori reliquum fuisset: idem dicendum de petitoribus, quos solis togis amictos in campũ descendisse tradit ibi Plutarchus, siue vt cicatrices aduerso pectore ostenderent, siue ne pecuniam ad suffragia mercanda tunica occultarent, siue vt supplicarent humiliùs. Et quamuis cùm solas togas Romani induerent etiam campestribus velando pudori succincti essent (quod de Catone tradit Pædianus pro Scauro, quem locum infra examinabimus,) id factum est, non quòd toga aperta esset, sed cum sinistro brachio læua eius par subduceretur, ne aliquid Romano pudori deperiret.

Hinc est quod Cæsar infestis coniuratorum pugionibus petitus togæ sinum sinistra manu ad ima crura deduxit, *quò*, vt ait Tranquillus, *honestiùs caderet:* quod frustra fecisset, si

toga fuisset aperta; Obtendit ergo sinum, ideſt læuam togæ partem brachio subductam demisit ad pedes, ne dum moribundus prolabitur, tunica, quæ tunc ferè ad medium crus pertinebat, nullis etiam tunc fœminalibus, aut braccis, eas partes denudaret, quæ numquam satis obuelantur. Postremò Quintilianus lib. XI. cum cultum Oratoris describit, *Sinistrum brachium eò vsque alleuandum* docet (nempè sub toga clausa latens, nam dextrum supernè exerebatur) *vt quasi normalem angulum faciat, super quod ora ex toga duplex* (ideſt hinc indè brachio pendens) *æqualiter sedeat*. Cui hæc non sufficiunt subiectas Togatorum imagines accuratè perlustret, & oculis suis credat. Primum monumentum Romæ extat, idq; accurate delineatum transtulit in Itinerarium suum Abrahamus Ortelius adiecta Inscriptione.

Q. FVRFANIO. C. F. NIGRINO.	FVRFANIAE . FLORAE
PROC. FABRORVM.	CONIVGI . SANCTISSIMAE.
VIXIT . ANN. XXIV. M. VII.	VIXIT . ANN. XXII. M. III.
SEX. FVRFANIVS . TYRANNVS.	

HER. FVNER. ET AR. FECIT. III. ID. APRIL.

M. AIMILIO . II. ET . MVNATIO . PLANCO . COSS.

Quod indicat hoc monumentum positum Anno ab v. c. DCCXII. primis Augusti temporibus, vt appareat qualis togæ gestandæ modus illo æuo fuerit. Altera statua togata visitur in Atrio Palatij Veneti ad partem dextram Horologij, media inter duas palliatas, quarum altera capiti incumbit, altera pedibus subiecta est. Fortasse Ciceronis: certe Oratoris, quod libelli in dextra indicant, & libellorum theca ad pedes statuæ. At nummos veteres e Cimelijs Caroli Stephani Littæ Mediolanensis V-C. deprompsimus, cuius præclaro nomine operis vestibulum collustrasse iuuat.

Tabula. I. II. III. IV.

Tabula I.



C. Geora f.

Tabula II.



Romæ in Aedibus Cęsiorum

Jo. Georg. sculp.

Tabula III.




Jo Georg. sculp

Tabula IV.

M. Aurelij.



Plautillæ.



Titi.



Domitiani.



Sigonij opinio refellitur Togam quadratam censentis. Athenæus explicatur. Cap. II.

EX his quæ suprà adduximus satìs liquidò apparet, Togam vestimentum fuisse clausum, & rotundum. Nam Marcelli Donati opinio censentis partim quadratum esse, partim circulare, vt mitissimè dicam ridicula est. Sed fuisse quadratum ex Athenæi loco laudato Sigonius contendit, quod ante notauerat Victorius lib. XIX. Variarum. Vbi Athenæus sęuitiam Mithridatis in togatos commemorans, ait Romanos ab ipso oppressos in Asia quam occupauit, aut ad simulachra Deûm confugiendo, aut quadratis vestimentis abiectis ad pallia redeundo, antiquasque patrias iam relictas ab ipsis agnoscendo vitam conseruasse. Sed diligentius Athenæi locum expendenti mihi manifesto apparet, non modo interpretem Dalechampium, sed summos viros Victorium, ac Sigonium aliquid humani passos esse; Verba Græci scriptoris hæc sunt. Τῶν δὲ ἄλλων Ρωμαίων οἱ μὲν θεῶν ἀγάλμασι προσεπέφυγασι, οἱ δὲ λοιποὶ μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια τὰς ἐξ ἀρχῆς παλίδας πάλιν ἀναμάζουσι. Quæ sic verterunt docti viri. *Romanorum quidem alij ad simulachra Deum confugerunt: alij mutata veste quadrata patriam quam principio gestabant nunc rursus induunt.* Perperam & contraria planè sententia. Sic enim vertenda erant. *Alij quidem ad simulachra Deum confugerunt: alij togam vestimentis quadratis mutantes: siue, deposita toga pallia sumentes priorem quisque patriam fatentur.* Nam μεταμφιέννυμαι, & μεταμφιάζομαι est vestibus exutum alias induere, ita μεταμφιάσθαι τετράγωνα ἱμάτια est deposita priori veste, ideſt, toga, quadratum pallium induere. Lucian. τὴν πορφυρίδα μεταμφιέσομαι, *relicto pallio philosophico, purpuram induar.* Et Socrates lib. III. cap. XXIV. Hist. Eccles. οἵ τε ξιβωνοφόροι τοὺς ξίβωνας ἀπεδίθεντο, καὶ εἰς τὸ κοινὸν σχῆμα μετημφίεννυντο. Loquitur de Philosophis qui extincto Iuliano deposito tribonio communem habitum resumpsêre. Ergo μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια est, mutantes togas quadratis pallijs, siue quadrata vestimenta resumentes, & vt ita dicam, mutantes rotunda

tunda quadratis, siue vt simpliciùs, quadrata vestimenta induentes. Idque miror a Magno Casaubono prętermissum, cum tamen vltimorum verborum ἐξ παξίδας veram interpretationem solus attulerit, *priorem quisque patriam fatentes*; (scilicet vestitu,) nec omiserit notare, τετράγωνα ἱμάτια esse Græcorum, non Romanorum, adductis in id Appiani verbis ciuil. lib. v. ἀφέλκων ὁ ἰδιωτικὸν αὖθις ἐξ ἡγεμονίας, καὶ χλαμὺς τετράγωνον ἔχων καὶ ὑπόδημα Ἀττικόν. *Simplicitatem vero priuati hominis rursum ex ducatu, & habitum quadratum habens, & calceamenta Attica.*

Docti Viri opinio de Vestimentis quadratis expenditur. Cap. III.

ATheneæi locus monet me, vt de vestimentis quadratis aliquid adijciam: quia quid ea fuerint, inter eruditos minimè conuenire video. Vir doctissimus in Notis ad Tertull. Pallium per hoc rectè Togam a Græcorum pallio distinguit, quod illa clausa, & rotunda, hoc apertum, & quadratum fuerit. Vestimentum autem omne apertum quadratum intelligi vult, quod nempe quatuor angulos habuerit; Angulos vocat extremam vestis partem vbi aperta est, quæ in acumen desinit, vt scilicet duo anguli in ima ora vestis, duo in summa fuerint, qualia nunc vulgo pallia gestantur. Tale non modo Græcorum pallium fuisse, sed & matronarum pallas, virorumque Chlamydes, ac Romana paludamenta.

Hanc opinionem nititur conuellere Kercoetius, neque tamen quid vestimenta quadrata fuerint exponit. Eidem opinioni ne ipse adhærescam, illud in causa est, quod adduci non possum vt credam, omne pallium, seu vestimentum apertum fuisse quadratum. Frustra enim quadrati pallij mentio apud scriptores extaret, si omne pallium hac forma fuisset. Nam præter Festi locum de Ricinio allatum a Kercoetio: Petronius. *mox incincta quadrato pallio cucumam ingentẽ foco apposuit*. Quo loco interpretes nihil sani afferunt. Si pallium omne tam virorum, quam mulierum quadratum fuit & apertum

tum Enothea more reliquarum quadratum pallium habere debuit: satis ergo fuisset dicere pallio incinctam fuisse, si omne pallium quadratum fuit, quemadmodum, & frustra quis toga rotunda indutus diceretur cum omnes togæ tales essent; Sane pallas, ideſt vestem superiorem mulierum, quæ & pallium dicebatur, apertas fuisse si nihil aliud veteres statuæ ostendunt. Si ergo omne vestimentum apertum etiam quadratum fujt pallium muliebre quod apertum erat, etiam quadratum fuisse necesse est. Duo ergo notasse videtur Petronius, quod pallio cincta esset, cum tamen pallium non cingeretur; deinde, quòd quadrato, & fortasse sacrorum quæ parabat peculiari. Sanè veteres omne vestimenti genus pallium dixere, quam apertum, tam clausum, vt toga *pallium rotundum* Isidoro dicatur, nihilominus propriè ac simpliciter communique loquendi vsu pallium accipitur pro Græco indumento, vt a toga distinguitur. Hinc *transire a toga ad pallium, & palliatum incedere*: vt quoties quadrati pallij mentio incidit, non pro vt a pallio rotundo, ideſt toga distinguitur accipiendum sit, sed a pallio quod minime quadratum fuit. Sagum etiam vestimentum apertum fuisse constat, quare horum sententia & quadratum. Atqui Isidorus lib. XIX. c. XXIII. Linnas Gallorum vestes saga quadra appellat: frustra, si talia omnia saga fuissent. Idem cap. XXIV. *Sagum autem Gallicum nomen est: dictum autem sagum quadrum, eo quod apud eos primum quadratum, vel quadruplex esset.* Et cap. XXV. *Palla est quadrum pallium mulicbris vestis.* Ac ne quis hoc positum ad distinctionem stolæ, siue cycladis putet, quæ rotunda, hæ tunicæ fuere non pallia. Si ergo omnia pallia aperta quadrata, satis fuisset pallam pallium appellare, illico enim quadratum intelligeretur.

Pallia quæ a nobis gestantur, quadrata esse contendunt, sed si formam eorum attendamus, non tam quadrata, quam semi rotunda apparebunt, & si qua parte patent consuantur, rotunda efficientur vt si quis cycladem muliebrem in anteriori parte discindat istorum sententia ex rotunda quadratam efficiet, & cum libuerit refinget rotundam. Præterea si

omnia

omnia pallia fuere quadrata, quod inter vulgare pallium, & philosophicum discrimen fuit? Nam distincta fuisse, non est dubitandum: & præcipuum Philosophiæ insigne cum pera, ac barba pallium olim fuit. Non enim sola materiæ vilitate, aut colore distinguebatur, quod philosophicum tribonium rude, ac detritum palliastrum esset, & fermè pullum, alioqui pauperes ac plebei, & quicumque exoleto pallio incessisset, pro philosopho habitus fuisset; Forma ergo, non materiæ vilitas, aut color vestimenta distinguit: atqui forma eadem omnino fuisset, si omnia pallia quadrata fingamus.

Noua opinio de vestimentis quadratis affertur. Quod inter vulgare pallium, ac Philosophicum discrimen fuerit. Cap. IV.

VT igitur & ipse quod sentio expromam, vestimenta quadrata illa tantum fuêre, quæ ex duabus plagulis confecta érant, quarum vtraque quadrata erat, hoc est, quatuor angulos habebat, fibula autem in humeris nectebatur, atque ita hinc inde a lateribus aperta quales Diaconorum sacris operantium vestes visuntur. Tales veterum Carthaginensium tunicas fuisse Tertullianus tradit & *quadrangulas* appellat, non quod in medio apertæ essent, alioqui vel corpus renudassent, vel alijs interioribus tunicis iniectæ fuissent, sed quod ex duabus quadratis partibus confectæ, & a lateribus apertæ (non quales ætate Tertulliani gerebantur rotundæ & clausæ) quadrata iustitia starent, idest æquali vtriusque plagæ ora, nec cingulo inæqualiter suspensæ, vt rectè doctis obseruatum.

Quare non aliud discrimen inter vulgare pallium ac philosophicum fuisse videtur, quam quòd vulgare quadratum fuit, quod ex duabus plagulis confectum fibula in humeris necteretur: at Philosophicum fusius, ac semirotundum ad instar nostri, quod nempe & reijci in humerum poterat, & duplicari totumque corpus inuoluere, quod a Cynicis fiebat, licet sola materia diuersum pallium reliqui Philosophi gestarent

rent, & ideo Iuuenalis dixit Cynica dogmata *Stoicis sola tunica distantia*. Nam in pallio conueniebant: tunicati Stoici, Cynici ἀχίτωνες, vt ijdem obseruarunt. In hoc autem pallio Philosophico opus fibula non fuit, alioqui nec reijci in humerum, nec duplicari potuisset, vulgare pallium quadratum, quod infibulatum nec reijciebatur in humerum, nec duplicabatur. Tales, aut non omnino dissimiles lacernæ, ac chlamydes Romanorum fuerunt, quadratæ nempè, & a latere apertæ, licet breuiores & vt plurimum non totam partem anteriorem operirent. Et ideò a veteri Interprete Persij lacernæ, ac pænulæ pallia dicuntur ad illud. *Scis comitem horridulum trita donare lacerna. Scis* (inquit) *birrum attritum comiti condonare. Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbrijs longis.*

Coniecturam nostram, quod vulgare pallium ita quadratum fuerit, vt quatuor in imo angulos habuerit, & propterea ex duabus partibus confectum quales Diaconorum vestes, illud iuuat, quod similia Iudæorum, ac Græcorum pallia docti tradiderunt. Atqui pallium Iudaicum quatuor in imo angulos habuit. In illis enim ex Dei præcepto fimbrias & vittas hyacinthinas gestabant. Num. xv. *Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in ijs vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini.* Eas fimbrias etiam Christū Dominum gestasse verisimile doctis videtur, *quod venerat legem non soluere, sed adimplere.* Gestari has hodie a Iudęis docet Serrarius, cuius narratio nostram de quadratis vestimentis sententiam maxime confirmat. *Exiguam enim vestem habere eos tradit, gentis characterem, & insigne, quæ quadrata sit & dorsum pectusque tegat, a lateribus aperta, vt cilicia quædam esse solent. Ex imis quatuor vesticulæ huius angulis pendere chordulas totidem, in quarum singulis nodi quinque ad quinque Moysis librorum, vt aiunt, memoriam.* Præterea Epiphanius hæresi XV. cuius locum attulit Kercoetius, ait *in scribarum pallio quatuor angulos fuisse, a quibus mala Punica penderent*, quæ certè in imis angulis fuêre, & non ad ceruicem, nam in veste pariter Pontificali in

ima ora mala Punica appensa erant. Verba Epiphanij sunt: ῥόσκους δὲ τίνας ὅτι τὰ τέσσαρα περύγια τοῦ ζίβωνος ἕκαστος εἶχεν. Ex quo tamen male colligit Kercoetius, ideo pallium illud Græcanici dissimile fuisse, *quod ad latera scissum & apertum fuerit:* nam non aliter quadratum esse potuit, & quatuor angulos habere.

Scio posse hic mihi pallium obijci, quod veteres Carthaginenses gestasse auctor est Tertullianus, quod quadrangulum fuisse, & ab vtroque laterum regestum idem scribit; Sed non eiusdem formæ fuisse omne quadratum pallium illud argumento est, quòd subijcit Tertullianus, id pallium ætate sua penes solos Aesculapij sacerdotes permansisse; *Instar eius hodie Aesculapio iam vestro sacerdotium est.* Soli ergo Sacerdotes Aesculapij vetus pallium gestabant id temporis, & tamen etiam ipse Tertullianus & quicumque austeriorem sapientiam sectabantur pallium tunc induebant, & quidem quadrangulum: non igitur eiusdem omnino generis fuere cuncta pallia quadrata. Si enim pallium illud idem cum vetere fuisset, frustra peculiare Asclepiadarum gestamen dixisset Tertullianus. Diuersum vetus pallium fuit, quod quomodo fibula in humeris adstrictum ab vtroque latere regeri posset, difficile est explicare.

Nec facile expediri potest, quod aiunt, Christi Domini pallium apertum fuisse, & quadratum Philosophici instar ex cuius quatuor angulis quatuor partes milites fecisse; Nam si pallium illud vulgaris nostri simile fuit, vt quatuor partes fierent decussatim & per quadras scindi debuit, atque ita laceratum fuisset magis, quam diuisum. Quamquam si pallium illud quadratum fuit, vt supra explicauimus, quomodo tamen in quatuor partes diuidi potuerit, haud facile dixerim, quærant doctiores, nos fortasse aliquid infra cum de tunica inconsutili curatius disputabimus.

Et hæc de vestimentis quadratis paulo vberius dicta sint in re obscurissima, si cui tamen altera opinio magis arridet, eam per me sequatur licet.

Sigonij sententia reiecta censentis Togam semicircularem, & apertam fuisse. Cap. V.

MArcellum Donatum supra reprehendimus, quod Togam partim quadratam, partim circularem statuerit; non minor Sigonij inconstantia, qui post quam vestimentum quadratum esse dixit, semicirculare facit, quod Dionys. Halicarnassæus Togam ἡμικύκλιον τῷ σχήματι. *Figura semicircularem fuisse scribat*: atque ex hoc contendit Sigonius apertam fuisse, quod non aliter semicircularis esse posset. Verum non quod aperta esset sed quod orbem absolutum non faceret, vt muliebres cyclades, ideo semicircularis dicta est, quemadmodum doctissimus Salmasius obseruat. Tota quidem in imo commissa erat, & clausa, sed circulum integrum, & perfectum non efficiebat, quia lacinioſa circa imas oras, non æqualiter, nec perfectè rotunda, vt in statuis togatis videre est. Dici etiam posset, quòd licet plane rotunda esset, nihilominus brachio subducta semicircularis efficeretur ea scilicet parte, qua subducebatur.

Neque tamen ex eo apertam fuisse togam dicendum est, etiamsi Val. Maximus tradat Scipionem Nasicam cum Gracchum interfecturus esset *læuam manum apertæ togæ circumdedisse, sublataque dextra proclamasse*. Nam si quis modum gestandæ togæ, quem infra dabimus, attendat, facile quid sit aperta toga intelliget. Quippe cum læua eius pars siue lacinia subiecto læuo brachio eleuaretur, & contraheretur in sinum, ea parte toga aperta videbatur, quòd nempe lacinia hinc inde brachio dependeret, ac veluti diuideretur, & aperiretur. Velleius de eodem loquens. l. 2. *Scipio Nasica circumdata læuo bracchio togæ lacinia in Gracchum irruit*. Eas ergo laciniæ partes hinc inde pendentes inuoluit brachio Nasica, vt eo veluti scuto vteretur, quòd in repentina pugna vsitatum; Siue etiam ne fusum, ac fluens vestimentum pugnantem impediret. *Læuam inuoluere toga*, Quintilianus dixit l. XI. *idque penè furiosum esse*. Plutarchus

in Graccho de eodem Nasica. *Lacinia togæ super caput posita in Capitolium ire pergit, alij post eum toga circa brachium involuta secuti sunt.* Idem tradit, Appianus l. 1. ciuilium. *καὶ τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου ἐς τὸν τράχηλον περισύρασα.* Vbi non recte interpres *togæ Laciniam reiecit in humerum & caput.* Non enim reiecit Piso laciniam in humerum, sed ab imo contractam siue adductam capiti imposuit quod ait Plut. loco paulo supra adducto. *τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τὴν κεφαλήν.* Cur autem hoc fecerit addit Appianus. *Siue multitudinem ad se hoc signo contrahens, siue pugnæ velut tesseram proferens, siue reuerentia Deorum sua cœpta obtegens.* Sed verisimilius est id egisse vt leuior, & expeditior in ea pugna esset. Idem Appian. lib. 11. de Cæsaris interfectoribus. *Percussores autem voluerant aliquid in senatu dicere, sed quum nemo ibi maneret τὰ ἱμάτια ταῖς λαιαῖς ὥσπερ ἀσπίδας περιπλεξάμενοι togam læua implicantes ad instar clypei cruentos gladios, tenentes vociferabantur.*

Contorta toga dixit auctor ad Herennium l. 1v. *contorta toga cum pluribus alijs ire celeriter cœpit.* Et Pacuuius Hermiona. *Currum liquit, chlamyde contorta æstu clupeat brachium.* Liu. l. xxv. *Paludamento circum læuum brachium intorto, nam ne scuta quedam, secum extulerant in hostes impetum fecit.* Petronius. *Idem ego ex altera parte feci & intorto circa brachium pallio composui ad præliandum gradum.*

Alia res fuit togam in collum conijcere quod fiebat cum expeditiores esse vellent. Plutarch. in Poplicola de ijs qui in domum Aquiliorum venerant vt literas coniurationis deprehenderent. *Reuersi domum Aquilij nitebantur literas auferre. Hi verò repugnabant, καὶ τὰ ἱμάτια περιβαλλόντες αὐτῶν τοῖς τραχήλοις, & coniecta in collum toga impulsi, atq; impellentes in forum pertraxerunt.*

Modus gestandi togam. Quid sinus & vmbo. Quintilianus explicatus. Cap. V I.

TOgam vestimentum fuisse clausum, ac rotundum, quodque vno coniectu totum corpus inuolueret & vtrumque brachium operiret, non est dubitandum. Com-

munis

munis autem eius gestandae modus fuit, quemadmodum togatæ statuæ demonstrant, vt dextrum brachium qua parte ad ceruices patuisse diximus, exereretur: & ita quidem, vt antiquissimis temporibus manus tantum vsque ad cubitum porrigeretur, postea totum brachium humerusque extaret. Sinistrum autem brachium non poterat per eundem hiatum exeri (alioqui toga ex humeris prolapsa ad pedes decidisset) sed sub ipsa toga extensum, extremam ipsius oram quæ & *lacinia* dicebatur, in rugas, plicasque contractam subducebat ad pectus læua manu extante. Quintilianus l. xi. *Sinistrum brachium eo vsque allevandum est, vt quasi normalem illum angulum efficiat; Super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat.* Togæ ora subiecto brachio subducta speciem normæ referebat, siue regulæ, fabrilis nempe instrumenti ad quod omnia exigunt; super quod brachium, ait idem, *ora ex toga duplex æqualiter sedeat;* hoc est lacinia togæ veluti brachio diuisa, æquis partibus contineatur, nec altera longior, aut breuior deformiter cadat. Rugas eas & plicas tam quæ superne a ceruice cadentes exerto brachio dextro colligebantur ad pectus, quam quæ in ima ora sinistro brachio subductæ contrahebantur veteres *sinum togæ* dixêre. Vir summus ad Tertullianum de pallio, Sinum in toga nihil aliud fuisse contendit quam laciniam togæ, quæ sub humero dextro missa ad humerum læuum recurrebat; & oblique tamquam baltheus ducebatur Sed Quintilianus, vt ipse quoq; non ignorat, duplicem togæ sinum facit, neque tamen quis alter sinus ille fuerit, explicat. Verba Quintiliani sunt eodem libro. *Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, nunquam certè sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur velut baltheus, nec fluat, nec strangulet.* Sinus igitur duplex fuit: alter inferior, qui nempe ex lacinia togæ sinistro brachio contracta formabatur, ita tamen vt ima ora infra ipsum caderet, qui decentissimus Quintiliano dicitur. De hoc inferiori sinu capiendus est Suetonius in Cæsare. *Vt animaduertit vndique se strictis pugionibus peti toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit quo honestius ca-*

deret,

deret, etiam inferiori corporis parte velata. alter de quo diximus, ex lacinia superiori togæ, quæ porrecto brachio dextro deiecta ad pectus, & in rugas complicata, obliquè sub dextro brachio ad læuum humerum ad instar balthei currebat. Factum Cęsaris narrat Val. Maximus l. IV. c. V. *Ne tribus quidem inquit, & viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur abterreri potuit, si quidem vtraq; togam manu demissa vt inferior pars corporis tecta collaberetur.* Vtraq; manu, sinistra scilicet subductum sinum cadere sinens, dextra eundem ad crura deducens. Quod Appianus expressit Τὸ ἱμάτιον περιπάλυψασθαι, καὶ πεσεῖν ὀχημώνως. De sinu togæ inferiori capiendus etiam Liuius lib. XXI. de legatis Romanorum bellum Carthagini indicentibus. *Tum Romanus sinu ex toga facto Hic inquit vobis bellum, & pacem portamus: vtrum placet sumite: sub hanc vocem haud minus ferociter, Daret vtrum vellet succlamatum est, & quum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset: accipere se omnes responderunt.* Quod nihil aliud fuit quam togæ laciniam læuo brachio subductam dextra manu expandere, & veluti gremium formare. Τὸν κόλπον ὑπεδύκνυσι ait Appianus rem eandem narrans.

De eodem sinu capiendus Plutarchus in Romulo qui narrat rapiendarum Sabinarum hoc signum constitutum fuisse ἐξαναστάντα τὴν ἁλουργίδα πτύξαι, καὶ περιβαλλέσθαι πάλιν. Sedebat Romulus toga purpurea amictus vt idē narrat. Signum ergo rei aggrediendæ erat, vt surgens ipse togam purpuream in sinum contraheret, ac rursus demitteret, siue explicaret. At sinus superior vt dicebamus ex summa togæ ora fiebat quæ exerto brachio deiecta ad pectus complicabatur in rugas, atque oblique subdextro brachio ad læuum humerum ad instar balthei currebat. Qui proprie sinus, & qua parte sinistram pectoris partem cum humero velabat inter ipsum & tunicam multa recondebantur. Plutarchus in Romulo tradit, cum ille inter homines apparere desijsset creditum a Patribus discerptum fuisse in aede Vulcani artusque laniatos ἐιστοὺ κόλπου intra togæ sinum conditos inde elatos. Arma etiam eodem sinu occultata. Suet. Octauio

cap.

cap. XXXV. *Cordus Cremutius scribit ne admissum quidem tunc quemquam Senatorum nisi solum, & prætextato sinu.* Ita apud Liuium, lib. XXIII. *Perolla Campanus toga reiecta ab humero latus succinctum gladio nudat.* Deiecta scilicet toga ab humero sinistro latens intra sinum gladium ostendit. Seneca de clementia lib. I. IX. *Iam pugiones in sinu amicorum absconderat.*

Ceterum maior minorue sinus erat prout strictior, laxiorue toga esset. Ita Quintilianus antiquissimis Romanorum nullos sinus fuisse tradit, quod brachium toga continerent. subijcit. *Perquam breues post illos fuerunt:* scilicet postquam brachium exeri cepit, angustis togis, ac corpore adstrictis. At ætate Augusti, & deinceps laxis, fusisq; togis maiores, & fusiores sinus, altiusq; cadentes in vsu esse ceperunt, vt in veteribus nummis apparet, vbi videre est longiores, ac breuiores sinus prout laxior, strictiorq; toga erat. In nummo Aurelij Diuorũ Fratrum togæ breuissimus cernitur vix pectus excedens. At in nummo Titi Vesp. Togæ sinus vltra genua cadens: vt & in nummo Plautillæ. Vide Tabulam quartam. Tibullus eleg. VII. lib. I.

Tunc procul absitis quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

In veteribus libris *lapsa* legitur nec male, nam sinus effluebat cum pars togæ superior labebatur, siue cadebat inpectus. Magis tamen placet Turnebi coniectura legentis *laxa.* Nam laxa toga sinus laxior effluebat. Quod vero addit: Qui laxius cingebantur, neque togam arcto satis nodo adstringebant delicatos habitos fuisse, de togæ cinctura falli eum infra ostendemus. Ouidius etiam de remedio lib. II.

Nec compone comas cum sis venturus ad illam
Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

Iterum Tibullus eleg. IX.

Nunc si clausa mea est: si copia nulla videndi
Me miserum laxam quid iuuat esse togam?

Quare togæ honestiorum non ita laxæ erant, sicut neque nimis angustæ. Sueton. Augusto cap. LXXII. *Togis vsus est neque restrictis, neque fusis: clauo nec lato, nec angusto.*

At

At tenuiorum togæ adstrictæ, quæ togulæ Martiali lib. IV.

Ignoſces togulam Poſthume pluris emo.

Horatius. lib. I. epiſt. XIX.

Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res eſt
Arcta decet ſanum comitem toga.

Vbi nugatur Acron. *Habebant* inquit *Patres pro qualitate opum togas, quæ erant bis ter vlnarum, ideſt quinque.* Innuit enim quod Horatius in epodis Od. IV. de Mæna Pompeij liberto.

Vides ne ſacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga,
Vt ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

De anguſta toga alter Horatij locus criticis vexatus lib. I. epiſt. XX.

Quid ſi vultu torvo ferus & pede nudo
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem.

Quod ſatis durum videtur ſimulare textore Catonem exigua toga, vt ſit metonymia id quod fit, pro eo, qui facit vt ait Prophyrio, quaſi textoris opus eſſet maiores, vel minores togas conficere, atque ita totæ, ideſt vtraque pars a textore conficeretur. Quod vix fieri potuiſſe videtur. Quare alij *teſquore* repoſuerunt, ideſt ſqualore, & aſperitate, quod teſqua, ſiue teſca loca ſint inculta & aſpera vt notat Turnebus lib. XVII., qui tamen Lambino & veteribus aſſentitur qui *textore* defendunt. Quare textoris vox referenda erit non ad togam exiguam, ſed ad materiam rudem ſcilicet, craſſamque, & vili textura, filoque ſoloci confectam. Nam Lucanus de eiuſdem Catonis toga loquens ait.

. . . pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam.

Vbi *more Quiritis* non eſt more veterum Romanorum vt volunt Interpretes, nam & poſteri Quirites, & ipſe Cato, ſed Quiris pro quolibet ex populo, ideſt plebeia vulgariq; toga contecto, & anguſtâ, rudique textura confectâ.

Ex togæ quidem redundantia in fortuitas rugas tam in

ſum-

summo, quàm in imo contracta sinus efficiebatur. Ceterum quoties illæ rugæ arte cogerentur, & nodo constrictæ, vt de toga Hortensij tradit Macrobius, contabularentur, eum *vmbonem* vocatum fuisse idem vir magnus ad Tertull. docuit, quem tamen a sinu distinctum fuisse vult, vt inde inciperet sinus, vbi vmbo desineret, & ipsum veluti vmbonem ambiret. Ea mens Tertulliani est. *Adeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti vmbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet.* Mox. *recognito rursus vmbone, & si quid exorbitauit reformato, partem quidem de læuo promittat, ambitum vero eius, ex quo sinus nascitur, iam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, & excusa dextra in læuam adhuc congerat, cum alio pariter tabulato in terga deuoto.* Vmbo iste Tertulliani haud dubie a sinu distinctus, centrum nempe & nodus artifex coeuntium plicarum, vt vir ille doctissimus explicat. Ceterum non semper vmbonem arte coactum fuisse docet Persius, qui de communi toga virili loquens ait.

— totaque impune suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

Quem quidem eumdem cum sinu fuisse crediderim, cum nihil aliud esset, quàm fortuitæ rugæ ad instar vmbonis protuberantes, eumque sinum fuisse supra ostendimus. Quamquam quæ de forcipibus, nodoque artifice a Tertulliano, & Macrobio produntur mihi ficta videntur, cum nullus alius veterum huius rei meminerit. Quidquid sit, in togis communibus si nihil aliud sinus fuit, quam lacinia contracta in rugas, plicasque fortuitò congestas, adscribere eos oportebit, quid aliud præterea vmbo fuerit, quem nos non aliud fuisse statuimus, quam rugarum in rotundum, & veluti in vmbonem contractionem, eundemque sinum fuisse contendimus. Nam doctissimus Manutius errat probè cum scribit, *sinus, qui ætate Quintiliani in vsu erant, non attexi, sed insui, vel appendi togis consueuisse.* Primò enim ijdem semper sinus in toga fuêre; Quintilianus non tradit, sinus veterum diuersos fuisse, sed apud veteres nullos fuisse, posterioribus per quam breues,

quod nempe brachium veste continebatur, atquè ita nullus superior sinus efficiebatur, quem ex porrecto brachio factum diximus. Deinde si nihil aliud fuit sinus, quam contractio, & corrugatio togæ ad pectus, quomodo tamquam res diuersa adsui, vel appendi togæ potuit?

Ceterum Quintilianus cum duplicem sinum faciat, *inferiorem decentissimum fore* tradit, *si aliquanto supra imam togam fuerit*, ideſt, si extrema pars togæ cum sinu non inuoluatur, sed soluta paulo infra rugas cadat. At sinum qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur velut baltheus, *nec strangulet*, inquit, ideſt non ita ceruicibus adstringatur vt præfocet, *nec fluat*, ne nimis laxus sit. Hoc autem ex strictiore, aut laxiore togæ ora, quæ collum ambiebat, petebatur. Addit Quintilianus; *Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior; nam ita, & sedet melius, & continetur*. Sinus scilicet inferior non inijciatur priori, sed in ipso brachio resideat alioqui defluet, nec satis contineri poterit. Tùm subdit idem, *sinum inijciendum humero cuius extremam oram reiecisse, non indecens esse; Neque tamen cum toto iugulo humerum operiendum esse: alioquin fore, vt amictus fiat angustus, & dignitas, quæ est in latitudine pectoris perdatur. Hanc autem amictus obseruationem initio dicendi esse vult, procedente verò actu sinum ab humero rectè velut sponte delabi, & cum ad argumenta, ac locos ventum est, reijcere a sinistro togam, deijcere etiam si hæreat sinum, conuenire. Ceterum vt leuam inuoluere toga, & incingi penè furiosum esse, sinum vero in dextrum ab imo reijcere solutum, ac delicatum, ita nihil impedire quominus laxior sinus sinistro brachio subijciatur*. Hæc ex Quintiliano fusius paulò adduximus, quod totam veteris amictus Oratorij rationem, togæque, ac sinus explicarent, & quod locus is sanè perobscurus esset, nec illo explicando multum sudans magnus Turnebus hilum profecisset.

Cum hæc publici iuris facta essent beneficio patrui mei V. C. venere tandem in manus Doctissimi Rubenij Electa multum quæsita, ex quibus Iconismum Statuæ togatæ hac noua editione adijci curauimus, quo res tota clarius sub aspectu caderet, adscriptis etiam denuo Quintiliani verbis, quæ numeris suis ad vnam quamque togæ partem responderent.

Tabula V. 1: Si-

TABVLA V.
Pars I.



1. *Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certè sit inferior.* 2. *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum obliq; ducitur velut baltheus, nec strangulet, nec fluat.* 3. *Pars togæ, quæ postea imponitur sit inferior: nam ita, & sedet melius, & continctur.* 4. *Subaucenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat.* 5. *Tum sinus injiciendus humero cuius extremam oram reiecisse non dedecet.* 6. *Operiri autẽ humerum cum toto iugulo non oportet: alioqui amictus fiet angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris perdet.* 7. *Sinistrum brachium eousque alleuandum est, vt quasi normalem illum angulum faciat.* 8. *Super quod ex toga duplex æqualiter sedeat.*

In numero tamen quinto assentiri Rubenio non possum, qui sinum humero injiciendum eum intelligit qui a dextro humero in tergum cadit. Nam togę partem, quæ in tergo erat nemo sinum dixerit, qui tantum ad pectus, neque ille dextro humero injiciebatur, qui exertus, & togâ liber. Sinus ergo pars togæ superior, quæ in sinistro humero, qui cum sæpe in pectus defluere reijciebatur, & humero restituebatur. Plura de hoc in epistola ad Cl. Gronouium disputauimus quæ ad libri huius calcem adiecta est.

Brachium toga continere. Ciceronis locus explicatus. Cap. VII.

QVa parte ad pectus toga patebat dextrum brachium exerebatur. Et veteres quidem teste Quintiliano non exerebant, atque ideo tunc aut nulli, aut per breues sinus fuêre: post ea tempora non brachium modo, sed totus humerus exerebatur. Nec aliud intellexisse Plutarchũ existimo, cum ait, C. Gracchum primum Romanorum per pulpitum ambulasse, & togam ab humero detraxisse. ὡς τὸ καὶ δημηγορεῖν τὸν μὴ ἐνμιᾶ χώρᾳ βεβηκότα κοσμίως, τοῦ Ῥωμαίων πρώτου ἐπὶ τὸ βήματος περιπάτου τε χρήσασθαι, καὶ περιστάσαι τὴν τήβεννον ἐξ ὤμου. Fuit tamen tempus cum more veterum brachium toga contineretur. Cicero pro Cœlio. *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus, & vt*

exerci-

exercitatione, ludoque campestri tunica vteremur, eademque erat, si statim mereri stipendia ceperamus castrensis ratio, & militaris. Ad quem locum mirè nugantur interpretes, quos non moror. Postremus enarrator, qui tertium volumen Orationum fusè explicauit, inde peti discrimen inter togam, & pallium putat, quòd in togâ dextra libera, & expedita esset, pallium autem vtramque manum inuolueret, ita tamen vt dextra cum opus esset posset expediri, idque adductis Tertullianiverbis stabilire nititur. Sed etiam toga ita vtrumque brachium cohibebat, vt tamen dextra exeri posset, & pallium, præcipuè Cynicum humerum cum brachio excludebat vt toga: commune vero vt diximus, ita apertum erat, vt fibula ceruicibus adstrictum liberum dextræ aditum daret. Solum igitur eo loco Tertullianus togæ operosam molitionem cum pallij simplicitate confert, in quo nullæ vt in toga rugæ, nullus vmbo forcipibus cogatur, nulla contabulatio, quodque vno circumiectu vestiat, sicque nihil eo expeditius. Discrimen ergo pallij, & togæ aliunde quam a modo exerendi brachium petendum erat; de quo nobis satis supra dictum est.

In eo etiam falsus est Interpres ille, quòd tradit, tam togatos, quam palliatos siniſtram veste continuisse idque his Quintiliani verbis confirmat; *Quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur.* Fortasse eum Manutij auctoritas decepit, qui etiam videtur existimasse, Quintilianum de siniſtra locutum. Nam cum dixisset brachium non per manicas togæ, quæ nullæ erant emissum, sed reiecta in humerum ima toga expediri solitum subijcit, *per annum sumpta virili toga modestiæ causa in humerum non reijci consueuisse*; atqui non nisi siniſtra imam togam in humerum reiectam constat. Ceterum verba Quintiliani, *quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur*, de manu dextra intelligenda esse declarant quæ præcedunt. *Itaque etiam gestu necesse est vsos esse in principijs eos alio*, nisi dicere velimus siniſtra in gestu veteres initio vsos. Quibus etiam intelligimus non totum cum manu brachium compressum, sed saltem manum emissam alioqui non alius, sed nullus gestus fuisset. Tertio Ciceronianus interpres labitur, quod

cum

eum negare non possit dextram toga cohibitam, ait *nihil aliud hoc fuisse, quam sinu dextram inuoluere*. Sed quomodo hoc nobis vir doctus persuadebit? Quis veterum hoc dixit? Artemidori verba non hoc habent· χρὴ γὰρ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τῷ δεξιὰν ἐνειλημένῳ ἔχειν. Nihil hic de manu sinu inuoluta, nihil de toga; De chlamyde loquitur Artemidorus, qua dextram contineri vult, quam etiam toga anno virilitatis cohibitam scimus, sed hoc fuisse sinu dextram inuoluere negamus. Neque id fieri potuisse videbit quicumque, quæ de sinu togæ disputauimus perceperit. Aliter in pallio, & Chlamyde quæ vestimenta aperta fuêre. Datum igitur spatium vnius anni docet Cicero ad continendum brachium toga, hoc est ne anno virilis togæ iuuentus in viros transcripta more ceterorum brachium dextrum exereret, sicque togæ ora superior vtrique humero insisteret, nec dextro brachio subiecta ad læuum humerũ ad instar balthei recurreret. Hic profecto verborum Ciceronis sensus est. Seneca lib. v. controu. vi. De eo qui raptus fuerat in veste muliebri. *Apud patres nostros qui forensia stipendia auspicabantur nefas putabatur brachium extra togam exerere*. Quæ verba manifestè indicant, Senecæ tempore eum morem cohibendi brachij exoleuisse: immo ætate ipsius Ciceronis, ait enim, *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus*; Discimus etiam ex Seneca, non totum brachium cum manu cohibitum, sed saltem dextram extra togam missam ad gesticulationem, nam sine gestu eos orasse non est credibile. Quare & Manutium falli necesse est, qui de sinistro brachio intelligit cum ait *per annum sumta virili toga, modestiæ causa toga in humerum non reijciebatur*: quod verbis Ciceronis adductis probare contendit.

Mittere trans pondera dextrãm. Horatius explicatus. Cur anno tirocinij brachium toga cohibitum. Cap. IIX.

IN petitione honorum brachium quoque toga cohibitum esse docet Horatius lib. 1. ep. vi.

Mer-

Mercemur seruum, qui dictet nomina: læuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Mirum est quantopere locus hic torserit quotquot Horatium interpretati sunt: Qui cum multum æstuassent, nihil præter ineptias attulêre. Alij enim fortasse Acronem secuti *pondera* lapides interpretantur, qui porriguntur per vias, vt sit *trans saxa magni ponderis dextram porrigere ad aliquem ciuem in via saxis impedita laborantem subleuandum. Alij trans pondera*, ideſt, *trans turbam quæ se obijcit, quæque pondus affert transmissæ dextræ.* Alij etiam *grauia munera pondera esse* dixerunt; Postremò *trans pondera, trans plaustra* dixerunt *grandibus saxis, & magnis trabibus onusta manum transmittere.* Turnebus quidem, & Lambinus aliquid de prensatione, quæ in petitione honorum fiebat subodorati sunt, sed quid esset mittere dextram trans pondera, non intellexerunt. Nihil autẽ aliud fuit, quam toga brachium exerere, hoc est dextrã trans togã brachio, atq; humero obductam porrigere, quæ quoniam brachium premeret, & oneraret ideo poetice *pondera* appellat. Quare non sunt audiendi, qui brachium vlterius quam par est è toga protendere, interpretantur. Monet Horatius, emendum esse seruum Nomenclatorem, qui quoties quis in aliqua tribu gratiosus occurreret dominum moneat lęuum latus fodiendo, vt brachiũ veste cohibitũ exerat siue extra togæ pondera mittat, ad ciuẽ eum prensandũ.

Sed quare Romanis datum anni spatium ad cohibendum toga brachium? Festiuum est, quod ait Ciceronis Interpres nouissimus, *eo potissimum anno dexteram fuisse veste, & continendo, fulciendoq; togæ sinu saltem occupatam, vt ostenderetur nec tum quidem cum incederet, & spatiaretur, manum debere esse otiosam.* Quid enim alijs annis factum est, cum brachium exerebatur? num otiosa tunc manus fuit, cum minime debuit; num sinus tunc, qui non fulciebatur defluxit? Immo nullus dextræ vsus ad fulciendum sinum, qui humero, brachioque sinistro fulciebatur.

Vt igitur castè, ac pudicè iuuentus haberetur, hoc insti-

tutum est; lubrico scilicet ætatis flexu, ipsiusque pubertatis initio, cum fere decimo quarto anno id fieret. Ne ergo adolescentes contrectarentur, vt brachium, quod ad cubitum vsque, ob truncas tunicas, siue colobia nudum erat anno tirocinij toga cohiberetur constitutum est. Id esse verissimum ipsum Ciceronem testem dabo, qui mox addit, *& vt exercitatione, ludoque campestri tunica vteremur, eademque erat si statim stipendia mereri ceperamus castrensis ratio, ac militaris.* Nam cum reliqui in exercitatione, ludoque campestri, item castrensi, ac militari nudi exercerentur, solis subligaculis succincti, cur iuuentus anno togæ virilis domi, ac militiæ tunicata exercebatur? ob modestiam scilicet, ac pudicitiam, ne nuda epheborum corpora spectatorum oculis vorarentur: eandem ob causam brachium eodem anno toga cohibebat, eo scilicet ætatis tẽpore, quod vt ait orator ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est. Illud modò non satis expeditum esse videtur, etiam si anno primo virilitatis brachium toga contineretur, quid causæ fuisse dicemus, cur reliqui etiam eo anno elapso in petitione honorum toga brachium cohiberent, & ideo eos Horat. ait *trans pondera dextram misisse*? Ad quod non aliud in præsentia occurrit, quam candidatos Plutarchi testimonio sine tunica in Comitium descendere solitos, siue vt aduersa vulnera ostenderent, siue ne pecuniam in sinu gestarent, siue vt supplicarent humilius: cum igitur, vel nudi sub toga esent, vel arctis tuniculis, citra humeros desinentibus amicti, nudum brachium minime exerere solitos, sed decoris causa illud toga continuisse, vt tirones toto eo anno & vbique faciebant, & ideo necesse habuisse, cum prensandum esset, brachium exerere, & vt Flaccus loquitur *trans pondera dextram mittere*. Præcipuè autẽ vt ea modestia fauorem populi conciliarent. Figuram brachij intra togam cohibiti infra habes. Prima visitur in fronte domus Bassianorum, quæ vulgo T. Liuij esse creditur ad dextrum Ianuæ latus. Altera extat in nummo Lepidi.

Tabula. VI. VII.

Brachium

Tab. VI.



Pag. 27.

Tab. VII.



Pag. 28.

Brachium exerere. Cethegi exerti, ac cinctuti. Horatius, & Lucanus illustrati. Cap. IX.

ET si brachium porrigere extra togam veteres exerere, & exertum brachium dicerent, *exertos* tamen proprie eos appellarunt, qui sine tunica, nudoque humero, & brachio extra togam porrecto incederent. Hoc Cethegorum peculiare, ac gentile fuisse scriptores docent. Lucan. II.

—exertique manus vesana Cethegi.

Alibi *nudum* appellat. Quo loco recte notauit Sulpitius, *exertum* eum dici, qui habet humerum, & brachium dextrum nudatum. Quod quomodo fieret ex Horatio discere licet.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget.

Lambinus sequitur Acronem, qui *cinctutos, cinctos, ac militares interpretatur*, sed præter sententiam: cum omnes, qui sacramento dicerent cingerentur, cinctique ideo essent, cur solos Cethegos cinctutos Horatius dixit? Quare quæ de cinctu militari a viro doctissimo afferuntur non faciunt ad hunc locum. Acron tamen M.S. in Bibliotheca Mediolanensi *Cinctutos exertos* recte ex Lucano interpretatur. Vt & alius Vetus interpres ibidem M.S. *Cinctutis, exertis.* Porphyrio maculosus est, sed ex quo quasi per caliginem veram loci huius sententiam eliciamus. *Omnes enim Cethegi*, inquit, *morem seruauerunt eundem Romæ inter cetera descriptam comam retulerunt: Numquam enim tunica vsi sunt: Ideo cinctutos eos dixit, quoniam Cinctum est genus tunicæ infra pectus aptatæ.* Locus quidem malè affectus, & cui sine ope M. S. sanando non ego sim. Quid enim hic *de coma descripta*? Fortasse legendum est; *Inter cetera deiectam togam tulerunt*; Quod nempe Cethegi sine tunica incederent, ideo sinistro brachio non contraxisse togam, ne cetera corporis nudarentur, cum solo cinctu velati essent. Quidquid sit, ideo Cethegos exertos dictos intelligimus, quod sine tunica, nudisque humero, & brachio incederent, atque inde cinctutos, quod loco tunicæ

cin-

Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres, Cum librum legeres.

Toga caput inuoluene. Caput aperire. Cap. X.

LIcet e toga brachium exereretur, & summa togæ or ab dextro humero deflueret: facile tamen fuit cum re posceret eandem deiectæ togae partem reuocare, caputqu operire, aut inuoluere. Et Romanos quidem in Vrbe i tecto capite incessisse, nullumque pilei, petasi, causiæ, alius tegminis vsum nisi extra Vrbem in peregrinatione fu se satis superque doctissimus Lipsius ostendit, cui assent endum est, neque attinet rationes eius hic verbis inuerte

Vnum modò refragari huic sententiæ videbatur, qua r tione si nudo capite vulgo incedebant in salutando tamen lud aperiebant, quod Pompeio feciſse Sullam tradit Sall stius, ac Plutarchus,& fieri solitum quoties Cos: vel Præt occurreret confirmat Seneca; Quod licet de militia, atqu itinere extra Vrbem intelligere, atque interpretari possimu vbi petasi vsus, Lipsij tamen eiusdem sententiam probam ex Plutarcho in causis, morem fuisse Quiritibus quandoqu ad solem, ventumque, & alia Cęli incommoda defende da capiti togam inijcere, atque ita in occursu viri honoran nihil aliud fuisse caput aperire, quam togæ velamen cap detrahere. Plutarchi verba sunt. Οἱ ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπ τοῖς ἀξίοις ἀπαντῶντες κἂν τύχωσι ἔχοντ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἀποκαλύπτουσι. *Romani si cui obuiam facti sunt cui honor habe dus sit, & si forte toga caput velatum habeant, id aperiunt.* N est cur Interpretem Lipsius tangat, nam velatum esse, veste caput tectum habere idem plane est. Sed nescio q pacto Lipsium fugerit alter Plutarchi locus in hanc rem p cipuus. Nam in Pompeio cum recenset eximios hono quibus Pompeium Sylla excepit, ait assurrexisse ei aduen tum, & caput aperuisse. In Græco est Καὶ τῆς κεφαλῆς ἀπ θέσθαι τὸ ἱμάτιον. *Vestem capiti detrahentis.*

Verum nullo pacto eidem Lipsio assentiendum est, q ita nunc factum fuisse laciniam togæ seu κράσπεδον imamq

oram

oram in caput reijciendo: idq; veteres lapides ostendere, & feciſſe Scipionem Naſicam apud Plutarchum in Gracchis. τὸ κρόσπεδον τοῦ ἱματίου βεβλῆσθαι ἐπὶ τὴν κεφαλήν *Lacinia togæ capiti impoſita.* Hoc nequaquam nobis Lipſius perſuaſerit. Non enim lacinia togę, limbuſue inferior in caput reijci ſolebat, ſed pars togæ ſuperior ad ceruicem, quæ nempe ſiniſtro humero inſidebat & dextro deijciebatur: ea attrahebatur in caput cum ſacra fierent, & cum res alia poſceret. Nec dubitare poteſt qui modo veteres lapides, ac numiſmata viderit.

Tabula VIII.

Hoc ſi non ſufficit, id ita factum eſſe ratio ipſa euincet. Nam de Cæſare ſcribit Tranquillus, cum ſe ſtrictis pugionibus a coniuratis peti videret toga caput obuoluiſſe, ſimul ſiniſtra manu ſinum adima crura deduxiſſe, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Si lacinia, imaque pars togæ vt credit Lipſius reijciebatur in caput, quomodo ſinus deduci ad ima crura potuit qui nihil aliud erat quam lacinia brachio ſubducta? deinde quomodo inferior corporis pars velata eſſe potuit extrema ora in caput ſubducta?

Pars ergo ſuperior togæ ad ceruicem vt diximus ſiniſtro humero incumbens trahebatur in caput, eaq; obuelatio fuit. Maxime in ſacrificijs cuius rei cauſa a Plutarcho petenda eſt. Quare inter omina mortis Adriani illud Spartianus recenſet, quod ſacrificanti prætexta ſponte delapſa caput ei aperuit, vt recte Lipſius corrigit. Nec aliam ob cauſam apud Liuium lib. XXIII. Manitio Prænestinorum Prætori *ſtatua in foro Prænestę ſtatuta eſt loricata, amicta toga, velato capite.* Habitu nempe vota concipientis: ſubijcit enim. *Cum titulo laminæ æneæ inſcripto: Manitium pro militibus qui Caſilini in præſidio fuerint votum vouiſſe.*

Non ſolum autem in ſacris, contraque cæli iniurias toga caput operiebatur, ſed in re crepera, & calamitoſa totum inuoluebatur. Hoc Cæſar, & Pompeius eodem leti genere ad Cereris generum deſcendentes in ipſa morte vſurparunt. De hoc Dio tradit, quod ſimulatque inſidias eſſe, & ſe ne-



que defendendi sui, neque effugiendi facultatem habere vidit, συνεκαλύψατο. Eodemque planè verbo in morte Cæsaris vsus est; Nam ita a coniuratis vulneratum refert, vt præ ipsorum multitudine nec dicere, nec agere quidquam posset, ἀλλὰ σπασαλυψάμενον σφαγῆναι πολλοῖς τράυμασι. Quod Suetonius togacaput inuolere dicit. Plutarchus de Pompeio ὁ δὲ Τυλλίς χερσὶν ἀμφοτέραις τὸν πήβεννον ἐφελκυσάμενος κατὰ τοῦ προσώπου. Et de Cæsare. ἐφελκύσατο κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον.

Illud postremo non omiserim, Tranquillum, ac Dionem dissentire in Cæsaris cæde narranda. Ille enim tradit, e coniuratis Cimbrum Tullum, quasi aliquid rogaturum propius accessisse, renuentique & gestu in aliud tempus differenti ab vtroque humero togam apprehendisse, ne scilicet Cæsar brachia expedire posset. Atqui Dio narrat quendam specie gratiarum agendarum accessisse, togamque Cæsari ab humero detraxisse, id enim signum inter coniuratos conuenerat. Quicquid sit, Cesar tunc vtrumque humerum toga opertum habuisse videtur, nisi hoc vltimum Dionis de humero sinistro intelligere malimus, ex quo detracta fuerit toga. Plut. ait Metellum (sed Tullium Cymbrum dicere voluit) vtraque manu comprehensam togam e collo detraxisse. τὸν πήβεννον αὐτοῦ ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις συλλαβὼν ἀπὸ τοῦ τραχήλου κατῆγεν. Idque signum aggrediendi fuisse, quod signum in coniuratione alias vsurpatum. Nam Suetonius narrat, eundem Cæsarē post Quęsturam venisse in suspicionē, quasi cum Crasso, Sullaque, & Antronio conspirasset, vt Senatum adorirentur, signum autem cædis fuisse, vt Cæsar togam de humero deijceret.

Quod ad Scipionem Nasicam attinet, quem dicit Plutarchus vadentem contra Gracchum laciniam togæ capiti imposuisse, alia res fuit. Nam cum repente in mediam rixam iturus esset, vbi fustibus ac saxis, subsellioriumque fragminibus, & ceteris quæ furor ministraret maximè res agebatur, nullo spatio capiendi arma, non solam togæ laciniam, sed totam ferè partem inferiorem in rugas contractam, ac complicatam capiti imposuit ad tutelam, & se veluti galea commu-

niuit, vt etiam sic subducta toga expeditior in pugna foret. Eadem ratione qui cum eo erant, ex eadem toga clypeum fecerunt, *Alij*, inquit, *post eum toga circa brachium inuolu secuti sunt.*

Caput pallio inuoluere: Palliolum: Ciceronis Scholiastes notatus Petronius explicatus. Cap. XI.

QVoties capite obuoluto veteres inducuntur, nō semper id togæ lacinia factum est; Nam in eum vsum præcipue palliola fuêre, quæ Lipsius in Amphitheatro tantum ægrotorum fuisse ostendit. Qui tamen in eo audiendus non est, quòd cum ad id confirmandum Suetonij verba in Claudio attulisset, *ob hanc eandem valetudinem, & gladiatorio munere quod simul cum fratre memoriae matris edebat palliolatus nouo more præsedit. Nouo more*, inquit, *debuisset enim prætextatus.* Falsò. Nam idem, & prætextatus fuit, & palliolatus; Palliolum enim nihil aliud nisi caput ad arcendum frigus velabat; Nouo igitur more præsedit Claudius caput palliolo tectus, quod sola valetudo excusare poterat.

Palliolis præterea cucullis, & alijs tegminibus qui latere volebant caput obnubebant. Quare non rectè Ciceronis in Pisonem enarrator verba illa, *Meministi ne, cænum, cum ad te quinta ferme hora cum C. Pisone veniissem, nescio quo e gurgustio te prodire inuoluto capite soleatum?* de togæ, pallijque Græcanici lacinia in caput reiecta intelligi vult.

Nam de toga id accipi non posse illud argumento est, quod tunc Piso soleatus: numquam autem toga cum soleis gestata, sed cum calceis. Cic. pro Cœlio. *Cur enim balneas publicas potissimum constituerat, in quibus non inuenio quæ latebra togatis hominibus esse possit, nam si essent in vestibulo balnearum, non laterent: sin se in intimum conijcere vellent, nec satis commodè calceati & vestiti id facere possent, & fortasse non reciperentur.* Sed clarius II. Philippica. *Nam quod quærebas quomodo rediissem; primum luce, non tenebris, deinde cum calceis, & toga, nullis nec caligis, nec lacerna.* Martial. lib. 1. *Lunata nusquam pellis, & nus-*

nusquam toga. Val. Maximus. lib. IV. cap. VI. *Funerata uxore & in rogum imposita inter officium ungendi & osculandi stricto ferro incubuit, quem amici sicut erat togatum & calceatum corpori coniugis iunxerunt*. Non ergo de togæ lacinia ea verba accipienda sunt, quæ numquam cum soleis gestata.

Multo minus de lacinia Græcanici pallij, non enim extrema ora, sed totum pallium capiti injiciebatur. Talem inducit Mæcenatem Seneca. *Hunc esse qui in Tribunali, in Rostris in omni publico cœtu sic apparuerit, vt pallio velaretur caput excussis vtrimque auribus non aliter quam in Mimo Diuite fugitiui solent*. Atqui seruos olim in Comœdijs fugitiuos cum se ad cursurã expedirent pallium in caput iecisse, vt agiliores essent, notum est. Plautus. Captiuis. *Num certa res est eodem pacto vt comici serui solent Conijciam in collum pallium*. Et Epidico. *Age nunc iam orna te Epidice, & palliolum, in collum conjce*.

Pessimè autem idem enarrator hunc accumbentium ritum fuisse contendit ex Plutarcho in Pompeio de Demetrio eius liberto. Λέγε͂ ὅτι πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τ͂ Πομπηΐ͂ προσμένοντος, καὶ δεχομένου τὲς ἄλλους ἐκεῖνος ἤδη κατέκειτο σοβαρῶς ἔχων δι' ὤτων κ͂ τ͂ς κεφαλ͂ς τὸ ἱμάτιον. *Fertur sæpe in conuiuijs cum Pompeius expectaret, & conuiuas exciperet accumbere solitus cum magno fastu habens pallium per caput ad aures adductum*. Vbi bonus ille vir. *Nota* inquit, *particulam ἤδη qua notatur Demetrius, non quod accumbens veste caput inuolueret, sed quod Pompeiũ ipsum in eo præueniret*. Logi. Quis non videt notatam liberti importunitatem, quod ante dominum discumberet, qui alios conuiuas expectabat, deinde quod capite obtecto: quod soli ægroti, aut molles faciebant? Itaque & Trimalcio ille apud Petronium mollissimus *pallio coccino adrasum incluserat caput circaque oneratas veste cervices laticlauiam immiserat mappam*, quod conuiuis penè risum excussit.

Ceterum quod ad velandum caput attinet alterum Petronij locum nemo interpretum assecutus est. Anicula quæ olus agreste vendebat Encolpium errantem in lupanar perduxit *At subinde*, inquit, *vt in locum secretiorem peruenimus centonem anus vrbana reiecit, & hic inquit debes habitare*. Quid sit

centó-

centonem reijcere nemo vnus aperuit. Quidam malo consilio *Iniecit*, legunt, quasi anus iniecerit legitimum habitum prostantium in lupanari. Quòd nempe Iuuenalis eradat Messalinam *veteri centone lupanar intrasse*: quasi quod illa ad dissimulandam personam fecit, omnes centonem eo loco sumere iubet. Nec melius, qui nescio quæ vela ad fores pendenti conuenti sunt; Quod vt concedamus, quis vnquam ea vela centones esse dixit? Alij sic existimant, quos sequitur Hispanus interpres, aniculam reiecisse centonem, quo caput obnupserat Encolpius, quasi vetula peregrino illuderet, eius caput aperiens, cum potius velandum fuerat. Ceterum non minùs hic Hispanus nugipolyloquides est, quam quos ipse tales concinnat. Quî enim peregrinos omnes operto capite fuisse ostendet? Dein quis ad hanc rem centonis vsus præcipue in honestioribus? Cum præterea Encolpius nesciret se in lupanari stare, nequis ideo caput centone operuisse dicat. Quid ergo? pauciſſimis rem expediam. Anicula ipsa centonem suum, idest laceras vestes, ac pannuceam mille plagis conciſam reiecit, & vredine percita se turpi palestræ renudauit, vt formoso iuuene quem de industria in eum locum perduxerat frueretur. Quod non ante fecit, quam in locum secretiorem peruenerat, idest in cellam meretriciam. Eadē enim ratione Encolpium in lustra rapuerat, qua Ascyltos à patrefamiliâs deductus fuerat. Quis huius interpretationis auctor illustrior ipso Petronio? Subijcit enim paulo post. Encolpium *cum tardè, immo penè iam sero intellexisset se in fornicem esse deductum, aniculæ insidias execratum operuisse caput, & extra lupanar fugere cepisse*. Quæ nam aliæ fuere insidiæ, quam quæ ab anu adolescentis pudori structę sunt? Sed hæc fusiùs in Electis nostris, quæ propediem Deo dante vulgabuntur.

An toga cingeretur. Macrobij sententia reiecta. Cæsaris cinctus. Cap. XII.

FRustrà viri doctissimi quæsiuerunt, an toga cingeretur; nullus enim huic quæstioni locus fuit; Nam cum toga vtrum-

vtrumq; brachium, aut saltem sinistrum cohiberet, totumque corpus inuolueret, cingi nulla alia ratione potuit, quin eâdem cinctură, aut vtrumque, aut saltem læuum brachium colligaretur, quod cum, vt diximus, ad imam togæ oram contrahendam sub ipsa toga protenderetur, non nisi solutum, & vinculo expeditum id facere potuit. Deinde quomodo sinus contraheretur in humerum, reijceretur, reuocaretur, si cinctura impedimento fuisset? Atqui Sigonius, togam cingi solitam contendit, & Macrobij verbis nititur qui lib. 11. de Cæsare, *Ita*, inquit, *toga præcingebatur, vt trahendo laciniam velut mollis incederet, vt Sylla tamquam prouidus dixerit Pompeio, caue tibi illum puerum malè præcinctum*. Hunc Macrobij locum ante nos suspectum habuit Manutius, atque pro toga *tunica* ponendum esse censuit, quòd idem narrans Suetonius de tunica intelligat; Ait enim *Cæsarem cultu notabilem fuisse, vsum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter, quam vt super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, vnde emanasse Sullæ dictum optimates admonentis, vt malè præcinctum puerum caverent*. Absit vero vt cum Sigonio credamus, idem sensisse cum Macrobio Suetonium, & non ferendo errore in toga clauum fuisse, nam latum clauum pro tunica Senatoria & lati clauia sumi solitum satis docti ostenderunt.

Aut igitur corruptus Macrobij locus est, & pro toga, tunica reponendum est, quod fidentiùs ponerem, si quis MS. codex Macrobij ad manus esset in ea Vrbe, in qua etiam impressorum incredibilis penuria est: Aut suspicari possumus, ita tempore Macrobij togę formam immutatam esse, vt a lateribus aperta vel fortasse etiam additis manicis præcingeretur, vt talem veterum togam fuisse Macrobius crediderit. Certe idem de Hortensio loquens ait fuisse virum mollem, *quique in præcinctu omnem decorem poneret*, mox morosam eius togæ structuram describit, quasi de togæ cinctura intelligat; Aut demum existimauit veteres nodum illum in rugarum contabulatione habuisse, quem fortasse togæ cinctum intellexit.

Sed, & si de tunica loquutus fuerit Macrobius, neque satis subsistere potest, quod subijcit, ita Cæsarem male præ-

cinctum

cinctum fuisse, vt laciniam trahendo velut mollis incederet; Id enim fieri non potuit nisi in tunicis longis & talaribus, quę cum essent in viris probrosæ, & infames, non est credendum a Cæsare quamuis molli gestatas, nec alius veterum id prodidit cum reliqua minutè exequeretur. Cùm itaque tunicæ viriles teste Quintiliano paulo infra genua caderent, quantumuis laxâ cinctură quis præcinctus esset non poterat laciniam trahere. Præter quam quod laciniam trahere mollium fuisse, & effœminatorum vnus veterum quod sciam Macrobius dixit. Scio genus hominum *cum tunicis demissitijs mulierosum* Plauto dici: Sed causa in promptu, quia tales tunicæ mulierum fuere, & eorum qui opus muliebre faciebant: verum aliud est laciniam, siue syrma trahere. Tragœdi longum post se syrma ducebant, & nihil minùs quam effœminati audiebant. Sane cum togæ talares essent euenire poterat vt si quis eam negligenter componeret, ac suspenderet, toga flueret, ac traheretur, qui tamen non vt molles, sed vt insani ridebantur. Val. Maximus. lib. VII. cap. VIII. *Quam certæ, quam etiam notæ insaniæ Tuditanus? Vt pote qui populo nummos sparserit, togamque velut Tragicam vestem in foro trahens maximo cum hominum risu conspectus fuerit*. Verè quidem aiebat Cicero apud Macrobium *se in electione partium præcinctura Cæsaris deceptum fuisse*, quod nempe laxior cinctura effœminatum indicaret, & mollem, non quod laciniam traheret; Vnde Sylla monebat optimates, ne ex laxa præcinctura fractum Cæsaris animum, & nihil ausurum existimarent, nam ipsi multos Marios inesse. Illud igitur de lacinia, quodque Pompeium Sylla monuerit, vt Cæsarem caueret, de suo Macrobius adiecit scriptor non ita accuratus, vt & plagij non semel victus. Cum hæc sub prælo essent Insubres patriam meam ex negotijs reuisi, ibi in Bibliotheca Ambrosiana in tribus, Codicibus manu exaratis eandem cum impressa lectionem repperi & in omnibus *toga* constanter retineri, vt omnino deceptum fuisse Macrobium necesse sit.

Cinctus Romanus: Modus cinctura Cæsaris cur notabilis: Dionis interpres notatus. Cap. XIII.

IN cultu Cæsaris, ac laxiore cinctu enarrando nihil dissentit a Tranquillo Dio Cassius, cuius verba afferam quia male ab Interpretibus accepta sunt. Postquam enim tradidit Cæsarem occasionem de se obtrectatoribus præbuisse, quod grandis iam natu formæ studeret, subdit. Τῆτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνεβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει, καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόῳ καὶ τοὺς Βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτε ἡγουμένους, ὡς καὶ προσῆκον σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον ἐχρῆτο. Quæ verba sic reddiderunt Interpretes *Quippe semper laxiori veste delicatè vtebatur, & cinctura fluxiore: aliquando etiam veste sublimiori, ac rubea vtebatur more Regum, qui Albæ quondam imperauerant, cùm a Iulo id ad ipsos peruenisset.* Sed quænam esset ista vestis sublimior vellem mihi dicerent. Pueriliter ὑποδέσει vel pro fluxiore cinctura, vel pro veste interpretati sunt: quis enim vel leuiter litteris Græcis tinctus ignorat, ὑπόδεσιν esse calceationem siue calceatum. Sed verba ipsa Dionis ab inter punctione laborant, & vna plus coniunctione abundant, quod tot viros doctos qui Dionem recensuerunt latere potuit. Facile ergo cuiuis fuerat ea hoc pacto concinnare; Τῆτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνεβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόῳ. *Nam veste laxiori semper molliter vtebatur: & calceamentis aliquando deinceps etiam altiusculis, ac rubeis.* Melius Xiphilini Interpres, qui de pedum tegmine intellexit, sed perperam *caligas* vertit cum *calceos* debuisset; de quo alias fortasse dicemus. De calceatu autem Cæsaris capiendum Dionem obseruat Casaubonus ad Suetonij Iulium, quod nos in prima editione effugerat. Par error eiusdem Interpretis vt obiter dicam lib. XLIX. vbi narrat Dio L. Antonium, & Fuluiam, milites, qui sibi arbitrium eos cum Cæsare componendi sumpserant, inridere soliros, ac ludibrij causa Senatum caligatum appellasse. διεσκωπτον γουν αὐτὰς, ἄλλα τε καὶ βουλὴν καλίγαν (Casaub. rectè κα-

λαγάτον) ἀπὸ τῆς τῶν στρατιωτικῶν ὑποδημάτων χρήσεως ἀποκαλοῦντες. *Ab vsu militaris vestimenti*, ait Interpres. Putidè. Nemo enim tam puer est qui non videat, *à militaris calceamenti vsu*, vertendum esse. Sed hæc præter rem. Quemadmodum hunc Dionis locum a viro magno, non ferendo errore adductum vt ostenderet caligas etiam Senatorum aliquando fuisse, quod illi aliud agenti excidit. Neque rectè Xiphilinus ipse tradit, causam cur Cæsarem Sylla interficere voluerit fuisse, quod suspectam haberet cincturæ laxitatem.

Ceterum hæc cincturæ laxitas non in toga fuit, vt dicebamus, sed in tunica. Nam sola tunica cingebatur ab omnibus, præterquam a Senatoribus, ac laticlauijs. Nam vt ex Quintiliano docuit etiam Manutius, quibus ius lati claui erat, ij non cingebantur. *Cui*, inquit Rhetor, *lati claui ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant*; *Nam infra mulierum est, suprà centurionum. Latum clauum habèntium modus est, vt sit paulum cinctis submissior*, ideſt, vt tunica lati claui, quæ non cingitur, paulo longior sit tunicâ non habentium ius lati claui, quæ cingebatur. Egregiè igitur doctissimus Salmasius ad Historiam Augustã obseruat, cultũ Cæsaris tripliciter fuisse notabilẽ. Primò, quod cum ceteri tunicis non manicatis vterentur, & colobijs: Cæsar lato clauoſiue tunica laticlauia manuleata indueretur, ita vt oræ manicarũ fimbriatę esset, quod mulierũ proprium; Deinde quod cum ceteri laticlauij nõ cingerentur, ipse nihilominus tunicam laticlauiam cingeret; Tertium fuit, quod laxiore cinctura vteretur, siue vt Græci dicunt κακῶς ζωνύμενος esset. Haud inscius sum, non defore, qui aliter explicari posse Quintilianum dicant; *latum habentium clauum modus est, vt sit paulum cinctis submissior*; Ita scilicet latum clauum gestatum fuisse, vt infra cinctũram caderet, siue esset cinctu inferior, atque hoc modo Suetonij verba de Cæsare accipienda. Verum id nullo modo consistere potest; Si enim communis lati claui vsus fuisset, vt inferior zonâ esset, id tamquam nouum ac notabile in Cæsare non obseruasset Suetonius, quòd super latum clauum cinge-

retur;

retur; Latus clauus igitur tam apud Suetonium, quam apud Quintilianum est tunica lati claui, quam vult cinctis submissiorem Quintilianus, idest tunicis ariemis, & quæ cingebantur: non autem cinctarâ, nisi quis cinctura pro tunica cincta intelligat vt paulo infra Rhetor posteriorem partem togæ vult *altius* cadere *cinctura* hoc est tunicę longitudine, de quo suo loco. Quod ergo tunicam lati claui cingeret Cæsar, cultu notabilis fuit cum reliqui laticlauij non cingerentur. Et hoc est, vt docti obseruant, quod Horatius dixit. *Latum demisit pectore clauum*, hoc est, fluente tunicâ, & nullâ Zonâ constrictâ: cuius rei ignoratio viros harum literarum Iurisque Antistites eo adegit, vt scriberent, *clauum fuisse plagulam, quæ in pectus demitteretur collo appensam, vt numismata, atque apud veteres puerorum bullæ erant ceruicibus suspensæ*. Quæ opinio iam doctis explosa Nosque de lato clauo infra pauca quædam afferemus.

Expenduntur scriptores, qui togam cingi solitam docere videntur. Cinctus Gabinus. Cap. XIV.

CEterum togam cingi solitam Sigonius ex Valerio Maximo confirmari posse credidit lib. III. cap. I. *Aemilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem hostem interemit, ciuem seruauit: cuius tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta, S. C. posita*. Prætextam autem, togam fuisse, nemo ignorat. Verum, vt etiam Manutio obseruatum est, cinctus ille non communis fuit, aut ciuilis, sed militaris, quem *Gabinum* dixêre, cuius origo è militia, & vsus initio tantum in militia fuit.

Frontinus etiam cinctus togæ meminit lib. IV. *Piso Titium Præfectum cohortis, quod loco fugitiuis cesserat cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus in principijs quotidie stare iussit*. Sed hoc etiam de cinctu Gabino intelligendum est; Nam cum antiquissimi Romani etiam in prælio togis vterentur, idque fusum, ac laxum vestimentum esset, non aliter quam ritu Gabino succincti pugnarunt. Plutarchus in Coriolano tra-

dit, primis temporibus morem fuisse Romanis in acie co
bantis, antequam clypeos sumerent, togamque præcinge
rent, testamenta in procincta facere, tribusque, aut qua
ternis audientibus hæredem nuncupare, τῷ ᾗ, inquit, Το
τοὺς παρ' αὐτοῖς ἔθος ἐις τάξιν καθισαμένους, καὶ μέλλοσι τοὺς δορυσσὸ
νάλαβε τάνδε, καὶ περιζώννυσθαι τῷ Τηβέννον. De eodem cinct
capiendus idem Plutarchus, loquens de Romulo opima Io
ferente, quamuis vestem solum incinctam dicat, αὐτὸς ᾗ τὴ
μὲν ἐσθῆτα περιεζώσατο. Festus. *Endo procinctu, in procinctu, s*
gnificat autem cum ex castris in prælium exitum est procinctos qua
præcinctos, atq; expeditos. Nam apud antiquos togis incincti pugna
se dicuntur. Glossarium; endo procinctu ἐζωσμένοι ἐν πολέμ
Igitur apud Frontinum de Titio cohortis præfecto, quei
quod locum fugitiuis cesserat cincto togæ præciso Piso stat
iussit in principijs. Nihil aliud est quam lacinia togæ præci
quæ subducta, & retroacta reductaque ad pectus in nodu
cogebatur. Val. Max. eandem rem narrans lib. 11. cap. vi
His Præfectum ignominiæ generibus affecit, iussit eum toga lacinijs ab
scissis amictum discinctaque tunica nudis pedibus adesse. Idest tog
ita decurtata vt cingi more militari non posset. Hinc etia
quoties rixa in Vrbe orie batur & ad manus ventum erat to
ga succingebatur. Idem Plutarchus de seditione Gracch
na; ὡς οὖν ταῦτα τοῖς περὶ αὐτὸν ἐξήγγελεν ὁ Τιβέριος οὗτοι μὲν δὴ
τὰς τε Τηβέννους περιεζώννυντο. *Quod vt circumstantibus aperuit Ti*
berius præcingunt hi confestim togas, mox subdit, *frangentesq*
apparitorum hastilia, quibus cœtum submouent arripiunt fragmen
ta, vt ijs repellant vim inferentes. Duces etiam & Imperatore
hoc modo accincti spolia cremabant. Appianus in Punic
de Scipione post deuictum Annibalem spolia cremante. *Ip*
inquit, *vt Romanorum ducum mos est* διαζωσάμενος, idest accin
ctus *spolia cremauit*, siue incincta toga, quod verbum infra re
petit cum diruta Carthagini ab altero Scipione præda crema
ta est. Et in Mithridaticis idem a Silla factitatum prodi
cum esset more Romano διαζωσάμενος. Quod autem toga pri
us subduceretur, tum cingeretur idem demonstrat lib. 11. d
uilium. Loquens de Antonio in Cęsaris funere satagente

His

His dictis inquit quasi fanaticus ἐσθῆτα ἀνεσύρατο καὶ περιζωσάμενος vt esset expeditior, subductam togam accingens. Atqui hic Cinctus Gabinus fuit. Seruius ad illud.

Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis referat stridentia limina Consul.

Gabinus, inquit, *cinctus ex toga sic in tergum reiecta vt vna (lege ima) eius lacinia a tergo reiecta hominem cingat*. Hoc autem vestimenti genere addit vti solitum Consulem bella indicturũ, quòd cum Gabij Campaniæ ciuitas sacris operaretur, bellum subito venit, tum ciues accinctos togis suis ab agris (legearis) ad bella profectos, & adeptos esse victoriam, vnde cum morem emanasse. Idem ad illud lib. v.

Vrbem designat aratro.

Quem Cato Originalibus dicit morem fuisse. Condituri enim ciuitates taurum in dextra, vaccam in sinistra iungebant: & cincti ritu sabino (l. Gabino) *idest togæ parte capitis* (l. capita, vel capite) *velati, parte succincti tenebant stiuam obliquam vt glebæ omnes intrinsecus caderent*. Togæ parte siue lacinia superiore caput velabant, inferiore lacinia se accingebant. Liuius etiam lib. IIX. de Decio se deuouente. *Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta super telum subiectum pedibus stantem dicere*. Mox. *Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit, & se in medios hostes immisit*.

Ex his manifestum fit, cinctum Gabinum non aliud fuisse, quam cum togæ lacinia læuo brachio subducta in tergum reijciebatur, ac retrahebatur ad pectus, atq; ita in nodum colligabatur, vt togam contraheret, & breuiorem, ac strictiorem redderet. Hoc intellexit Isidorus cum ait. *Cinctus Gabinus est, cum ita imponitur toga, vt togæ lacinia quæ post secus reijcitur, attrahitur ad pectus, ita vt ex vtroque ex humeris picturæ pendeant, vt sacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur prætores*. Locus corruptus. Quid enim *picturæ ex vtroque ex humeris*? Puto legendum *Cinctus Gabinus dicitur, cum ita imponebatur toga vt togæ laciniæ, quæ post reijcitur attraheretur ad pectus, ita vt ex vtroque latere penderet*, nempe togæ lacinia. Quod ad pictu-

picturas attinet, ab Persij interprete decipi potuit omnia conterrens Isidorus cuius verba sunt *Toga est purum pallium forma rotunda, & fusiore atque inundante sinu, & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur: cuius similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus.* Porrò idem Interpres Persij paulo post mutilus est cum ait ad illud *succinctis laribus*; *Quia Gabino habitu cinctique Dij Penates formabantur obuoluti toga super humerum sinistrum dextro nudo.* Non enim toga sinistrum humerum inuoluens cinctus Gabinus erat. Nam communis hic gestandi togam modus. Idem paulo ante adductus. *Toga est purum pallium forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur.* Non erat inquam Cinctus Gabinus toga sinistrum humerum inuoluere, sed quem supra posuimus, & infra etiam explicabimus.

Cinctus ergo Gabini origo hæc fuit; Cum toga, vt diximus, longum, ac redundans vestimentum esset, & ideo pugnæ incongruum, repentina, vt notat Seruius, apud Gabios hostium incursione cum non esset tempus deponendi togas, ac sumendi chlamydes, subductam, & retrò reiectam togæ laciniam hinc inde reuocantes ad pectus se ea incinxerunt, siue succinxerunt, qui cinctus inde Gabinus seruatus in sacris, & cum Consul Ianum reseraret, aut Imperator in bello prætextam sumeret, quæ hoc ritu incingebatur, aut Prætor mappam Circensibus mitteret; atque hoc habitu statua Lepido posita est, & de hoc cincto togæ præciso intelligendus Frontinus. Hoc etiam sensu capienda Afranij verba apud Nonium. *Equidem prandere stantem nobiscum incinctam togam*, ideſt lacinia sua retracta ad pectus constrictam, & colligatam. Nisi quis credat a meretrice in conuiuio togam more tunicæ zona cinctam, quod aliter fieri non potuit quam si vtrumque brachium exereretur, atque ita superior pars ab humeris defiueret. Mihi sufficiat ostendisse togam communi vsu non fuisse cingi solitam, imò nec potuisse.

Docti

Docti viri opinio refutata de cinctu Gabino Catonis cum ius diceret. Tertullianus de pallio explicatus. Cap. XV.

TErtullianus de pallio cap. III. ait, Catonem, qui Græcos pellendos Vrbe censuerat, Prætura tempore Græcis in habitu fauisse humero exerto. Verba eius sunt. *Atque adeo ipse qui Græcos pellendos Vrbe censebat (literas eorum vocemq; senex iam eruditus) idem Cato iuridicinæ suæ in tempore humerum exertus non minus palliato habitu Græcis fauit.* Hic locus reiq; vestiariæ imperitia mira vaticinari coegit interpretes. Sunt qui togatos humero exerto esse non posse dicant, sed palliatos, & ideo palliatum Catonem in prætura fuisse, non togatum. Alij Catonem quod Orator esset, & fori habitator habitu Oratorum fuisse in Prætura contendunt, quòd Rhetores, & Causidici in gestu faciundo humerum exertum toga haberent. Hos omnes iure refutat vir magnus in suis ad Tertullianum notis neque tamen ipse meliorem sententiam affert. Vult enim credi a Tertulliano designari tempus quo Magistratum gessit Cato; Quòd nempe in Magistratu tantum, Prætura scilicet, vel Consulatu, & reliquis, Romani humerum exertum haberent, atque hunc habitum fuisse, quem cinctum Gabinum vocarent. Sic toga incinctos fuisse Consules, vel Prætores, cum in aliquo solemni actu versarentur: cum rem diuinam facerent: Ianum recluderent: item cum Prætor in ludis mappam mitteret. Cum ergo Cato Prætor humerum exertus, siue nudus esset, hoc cinctu Gabino a Tertulliano dici, Græcis Iuridicinæ suæ tempore fauisse.

Sed demonstrandum fuerat viro doctissimo, etiam Prætores cum Ius dicerent Cinctu Gabino incinctos fuisse, quod illi difficillimum fore puto. Vt autem hoc ei demus omnes Prætores in Gabino cinctu fuisse cum ius redderent, cur Tertullianus solum Catonem nominauit, cum vtique validius futurum fuisset argumentum si dixisset, *Prætores omnes Iuridicinæ tempore humerum exertum habito palliato Græcis fauerunt, im-*

mo

mò quotquot Magistratus publica munia obibant. Hæc nullo pacto posſunt conſiſtere. Quid ergo? Nomine Græcorum hic philoſophos deſignari nemo dubitare poteſt, qui meminerit vetus illud maledictum in Philoſophos diſtringi ſolitum ὁ γραικὸς βαρβαρος; Et Græci quos pellendos Vrbe Cato cenſuerat Philoſophi, ſiue ſophiſtæ fuerunt. Quanquàm non Catonem, qui exitu ſuo Vticam nobilitauit, ſed ſeniorem, Philoſophos Vrbe pellendos cenſuiſſe, & ideo memoria lapſum Tertullianum, & ratio ipſa, & Gaſparis Sciopij V. C. autoritas ſuadet. Confirmat hoc Plinius lib. VII. cap. XXX. *Cato Cenſorius in illa nobili trium ſapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quamprimum legatos eos cenſuit dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri eſſet haud facile diſcerni poſſet. Quanta morum commutatio! Ille ſemper alioquin vniuerſos ex Italia pellendos cenſuit Græcos: at pronepos eius Vticenſis Cato vnum ex Tribunatu militum Philoſophum, alterum ex Cypria legatione deportauit. Eandemque linguam ex duobus Catonibus illum abieciſſe, hunc importaſſe memorabile eſt.* Ita enim locus ille legendus. Cùm igitur hic Tertullianus tradit Catonem habitu palliato fauiſſe Græcis, de pallio Philoſophorum haud dubiè intellexit quod ita præcipuè a Cynicis geſtabatur, vt dextro brachio ſubiectum in læuum humerum reijceretur, exerto humero dextro, & plerumque nudo, maxime in Cynicis, qui ſine tunicis, aut ſaltem ſtrictis tunicu lis humerum non velantibus induti erant. Vetus Interpres Iuuenalis ad illud Sat. XIII. *nec Stoica dogmata legit, A Cynicis tunica diſtantia*, hæc notat. *Dicit Cynicorum, & Stoicorum dogma conuenire, tantum veſte diſtare; Nam Cynica mater hæreſis Stoicæ: Cynici abſque pallio exerto brachio*; Sed vel nugatur ſolens Gloſſator ille, vel pro *pallio tunica* legendum eſt, totuſque ille locus corrigendus; *Nam Cynica hæreſis* (ſecta) *mater Stoicæ: Cynici abſque tunica, ex pallio exerto brachio*. In Anthologia lib. II. de philoſophis.

Καὶ ϛόλιον, μάλιον, ϖωγώνιον, ὦμιον ἔξω.

Et baculus, villoſa veſtis, barbula, humerus exertus. Quare S. Cyprianus *Cynicorum vocat exerti, ac ſeminudi pectoris inuere-*

cundam

cundam iactantiam.

His nempe Græcis philosophis, quos Vrbe pellendos censuerat, furidicinæ tempore fuit Cato exerto & ipse, nudoque humero, non ex Gabino cinctu, sed quia sine tunica erat, idque præter morem ceterorum, & ideo ipsum peculiariter nominat Tertullianus. Id nisi apertè docebimus nulla causa est quin nihil nobis in posterum credatur. Val. Maximus lib. III. cap. VI. *M. autem Cato Prætor M. Scauri, ceterorumque iudicia nulla indutus tunica sed tantummodo prætexta amictus egit.* Asconius Pedianus in Orationem pro Scauro *Cato* inquit, *Prætor iudicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus; In forum quoque sic descenderat, iusque dicebat, idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis.* Sed quod ait Pædianus, id egisse Catonem, quia tempus æstiuum erat, præter tolerantiam est magni illius viri, ac Romanorum vltimi. Vera ergo causa a Plutarcho affertur, hoc illum egisse, non quòd gloriam ex hac nouitate aucuparetur, sed quo assuesceret ob solam turpitudinem erubescere, reliqua indecora contemnere. πολλάκις δὲ, inquit ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων εἰς τὸ δημόσιον προῄει μετ' ἄριστον. *Crebro sine calceis, & tunica procedebat a prandio in publicum.* Ob causam quam attulimus. Sed quod magis ad rem nostram pertinet, idem tradit, Catonem prætorem factum creditum esse non tantum maiestatis & fastigij recte administrando adiecisse magistratui, quantum detraxisse, ac deformasse; Verba eius sunt ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων πολλάκις ἐπὶ τὸ βῆμα προσερχόμενος, καὶ θανατικὰς δίκας ἐπιφανῶν ἀνδρῶν οὕτω δραβεύων. *Quod frequenter sine calceis & tunica* (vetus Interpres perperam habet, *sine toga*) *ad tribunal accederet, & de capite illustrium virorum sententiam ferret.* Tertiò eiusdem rei meminit Plutarchus, quod cum Consulatus repulsam tulisset, eaque res non solum ipsis candidatis, sed etiam eorum amicis solita esset per multos dies cum aliquo rubore tristitiam, ac mærorem afferre, adeò cum casum lentè tulerit Cato, vt vnctus pila luserit, & a prandio rursus in forum more suo sine calceis, &

absque tunica descendens cum familiaribus deambularit. Ac ne quis dicat, præter tunicam superiorem etiam interiorem gestasse Romanos, & propterea nudum humerum habere non potuisse Catonem, non semper hoc verum fuit, & interiores istæ tunicæ, siue subuculæ strictæ erant, & humerum excludebant. Gellius lib. VII. cap. XII. *Viri Romani primi quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt* (hoc voluit imitari Cato) *postea substrictas, & breues tunicas citra humerum desinente habebant;* Quales etiam fuisse Cynicorum subuculas, si tamen omnes ijs vtebantur existimamus.

Tam Cato igitur in Prætura, sed solus, quàm Græci philosophi exerto, nudoque humero fuerunt, & ideo Catonem in Prætura humero exerto non minus quam palliati solerent Græcis Tertullianus fauisse dixit. Recte igitur Baronium in exercitationibus Casaubonus reprehendit, qui Catonem palliatum ius dixisse prodidit, sed nec ipse Tertulliani sensum assecutus est. *Eandem* inquit *& Tertullianus significare voluit, cum dixit illum ius dixisse humero exerto, quod non solum de palliatis dicitur, verum etiam de togatis, qui togæ laciniam humeri detractam sub brachium conijciebant.* Atqui omnes ætate Catonis exerto hoc modo brachio erant. Ita de nudo intelligendum, quia sine tunica. Quare frustra etiam a viris doctissimis tres modi afferuntur togæ gerendæ apud Romanos; antiquissimus, cum toga vtrumque humerum tegeret: recentior, quo toga ab humero dextro retracta, & sub brachium missa in leuum deinde brachium congesta dexteram liberam relinquebat: Tertius, cinctus Gabinus; Nam diligenter veteres statuas togatas inspectanti, nummosque quorum beatissimum thesaurum suppeditat mihi Paulus Caotorta Venetus Senatus lumen longè clarissimum, non alius quàm duplex modus occurrit, antiquissimus, quo brachium toga cohibebatur exerta dextra: & recentior, quo cum brachio humerus exerebatur; nec alio distinguebatur ab hoc cinctus Gabinus (vtrobique enim exertus humerus) quàm, quòd hîc toga cingebatur, nequaquam ibi. Et de his hactenus.

Nul-

Nullum in toga fibulæ vsum fuisse. Panciroli non vnus error in re vestiaria perstringitur. Cap. XVI.

VT toga communi vsu non cingebatur, ita neque fibula nectebatur, nullusque in ea fibulæ vsus esse potuit, contra quàm censuit Pancirolus in libro rerum deperditarum. Nam cum vestimenta tantum aperta, vt pallia, & chlamydes, sagaque fibulâ in humero, vel ad ceruices iungerentur, ne scilicet defluerent: toga, quæ erat circumclusa, & humero sinistro inhærebat, vt læuo brachio sustineretur, nullo modo cadere aut defluere poterat, nisi spontè deijceretur, ita nullus in ea fibulę vsus; nec quis quã veterum, quod sciam, fibulæ in toga communi mentionem fecit. Quare quam in veteri sepulchro auream repertam tradit ille, non togæ debuit esse, sed chlamydis, aut pallij si tamen pallium habuit: vt ante aliquot annos cum doctissimo Io. Rhodio disputaui. Nam togæ vsum non planè intellexit Pancitolus; Si enim clausum fuisse vestimentum non ignorasset non fuisse opus fibula intellexisset, quæ duas vestium apertatum partes iungebat. Verum non ita in re vestiaria versatum fuisse senem grauioribus studijs implicitum non est mirum, alioqui non toties duobus illis capitibus lapsus esset. Vt cum ait *Aliculam chlamydem fuisse pallium, quod pueri vsque ad* XIII. *annum gerebant, idque ex Vlpiano colligi, post quod tempus prætextam sumptam*: vtrumque falsò. Neque Vlpianus hoc dixit; Lege enim Vestis XXIII. D. de auro arg. leg. hæc tantum habentur. *Puerilia vestimenta sunt, quæ ad nullum alium vsum pertinent, nisi puerilem veluti togæ prætextæ, aliculæ chlamydes, pallia, quæ filijs nostris comparamus.* Vnde nescio quid IC. noster de pallio puerili vsque ad XIII. annum sit expiscatus. Cum notum præterea sit a pueris prætextam gestatam vsque ad tempus togæ virilis.

Hinc veluti in tenebris micat; Ait togam communem fuisse cœruleam, vt Crinitus manicatam: togam candidam tantum Senatorum fuisse: item tunicam eorundem totam pur-

puream, cuius latera globulis aureis connexa, qui lati claui dicti sint: Lacernas sub toga gestatas, quæ pudet recensere, nedum refellere.

Ceterum Dionysius Halicarn: lib. 11. vsum fibulæ in toga videtur nouisse. Nam cum Saliorum cultum describit ait, χιτῶνας ποικίλους χαλκίαις μίτραις κατεζωσμένους, καὶ τηβέννας ἐμπορπωμένους περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι Γαβίνας. Vbi trabeas, quæ togæ erant, fibulatas Salijs assignat. Sed vt solus Dionysius fibulæ in toga meminit, ita solus veterum togam Salijs adscribit. Apud me potior est Liuij auctoritas, qui solas tunicas pictas in Salijs agnoscit. Ait enim. *Salios item duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegumen, cœlestiaque arma, quæ Ancylia nominantur ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudijs, solemnique saltatu iussit.* Nec aliud quam puniceas tunicas agnoscit Plutarchus in Numa. φοινικοῦς, inquit, ἐνδεδυμένους χιτωνίσκους. *Puniceas tunicolas induti.* Cruserius enim non rectè Dionysium magis secutus quam sensum verborum, *trabeati* vertit. Trabea enim non nisi toga fuit, Plutarchus tunicolas appellat. Præter tantorum virorum auctoritatem ratio ipsa vincere videtur, sine toga Salios fuisse, nihil enim magis incommodum saltanti, quam vestimentum fusum, ac talare, nihilque tam ineptum, quam vt ait ille, *togam saltanti personæ inducere.*

Sed etiam si auctoritas Dionysij valeat, & habuerint Salij togas, simul & fibulas; non licet tamen arguere inde in cómuni toga fibulæ vsum. Nam fibulas illas in trabeis Saliorum non est credendum eundem vsum præstitisse, quem in vestimentis apertis ad partes diuisas connectendas, (nam clausam togam ostendimus) sed potius adhibitas ad ipsam togam contrahendam, atque attollendam, ne scilicet ad pedes fluens saltantes impediret; quales fibulę fluentia mulierum pepla coercebant. Vel quod verius mihi videtur, apud Dionysium ἐμπορπωμένους τὰς τηβέννας non tam est *infibulati togas*, quàm *succincti* ritu scilicet Gabino, de quo supra, quo etiam ritu easdem trabeas succinctas ab equitibus in transuectione gesta-

gestatas non est dubitandum.

De Togæ materia. Lanarum varia genera. Togæ pexæ, & detritæ. Cap. XVII.

TOgas, tunicas, lacernas, & reliqua Quiritium vestimenta ex lana confecta fuisse apparet, quòd nusquam vestes nisi a pretio lanæ, aut a colore scriptoribus commendantur. Plinius lib. IIX. cap. XLVII. *Magna*, inquit, *& pecori gratia, vel in placamentis Deum, vel in vsu vellerum. Vt boues victum hominibus excolunt, corporum tutela pecori debetur*. Deinde lanarum genera exequitur, omnemque Romanorum cultum inde contectum ostendit. Addit ex Varrone, lanam cum colo, & fuso Tanaquilis in templo Sangi durasse, factamque ab ea togam Regiam vndulatam, qua Seruius Tullus fuerat vsus. Atque inde factum, vt nubentes Virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine. Etiam Martialis sæpè ab lana Tarentina vestimentis commendationem petit, præcipuè lib. II. ep. XLIII.

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso.

Vt Plinius Apulam, siue Tarentinam ceteris præfert. Siue Galesi fluuij propè Tarentum aqua pota ouibus pretiosum vellus daret, siue lana ipsa eodem fluuio lota, quod de alijs fluminibus veteres crediderunt, summam nobilitatem acciperet. Martial. lib. IV. XXVIII.

Et lotam tepido togam Galeso.

Alia etiam lanarum genera memorat idem poëta, Parmensem, Bæticam, Altinatem. Eodem epigrammate.

Vel quam sepositò de grege Parma tulit.

Et lib. VIII. ep. XXVIII. de Partheniana toga.

Dic toga facundi gratum mihi munus amici
Esse velis cuius fama decusque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanti
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoque lauit aqua?

An

Antuā multifidum numerauit lana Timauum
Quem prius aſtrifero Cyllarus ore bibit?

Porro de Bætica lana. Idem lib. IX. ep. XXII.

In Tarteſſiacis domus eſt notiſſima terris
Qua diues placidum Corduba Betin a mat.
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo
Et linit Heſperium bractea viua pecus.

Scilicet ob rutilum, ſiue aureum lanæ colorem natiuum. Hinc natiui lanarum colores in veſtibus ſeruati, & celebrati. Quorum plura genera fuiſſe idem Plinius oſtendit, vt etiam aliquibus nomina deſint. *Hiſpania*, inquit, *nigri velleris præcipuas habet: Pollentia iuxta Alpes, Cani: Aſia rutili, quas Erythræas vocant: Canuſium fului: & Tarentum ſuæ pulliginis.* Hinc tot in lacernis præcipuè, alijs què veſtibus, (ſi togam, ac tunicam demas, quæ albæ geſtabantur) colores fluxêre, ab varietate ſcilicet lanarum earum què natiuo colore, aliquando etiam ab infectu.

Notat præterea Plinius. *Iſtriæ, ac Liburniæ lanam pilo propiorem, quam lanæ, & ideo pexis veſtibus alienam, & quam ſolas ars ſcutulato textu commendat in Luſitania.* Pexas veſtes fuiſſe, in quibus ob villorum denſitatem nec ſtamen, nec trama apparet, alijs animaduerſum ſcio. Tales omnes recentes veſtes fuere. Martialis.

Pexatus pulchrè rides mea Zoile trita.

Idem lib II. epigr. XLIV.

Emi ſeu puerum, togamue pexam.

Et lib. III. ep. XXXVI. tritam pexæ opponit.

Hoc merui Fabiane toga, tritaque, meaque.

Vnde in tela aranearum *pexitatem* a Plinio dici villoſam quandam in ea, & lanuginoſam filorum naturam quæ in rara earum textura non perinde appareat vt in denſa notauit Turnebus lib. V. cap. XIV. Nam veſtes obſoletæ, ac detritæ his contrariæ, in quibus ſcilicet vellere attrito, & defloccato, filorum textura apparebat; Idem lib. IV. ep. XXXIV.

Sordida cum tibi ſit verum tamen Attale dicit,
Quiſquis te niueam dicit habere togam,

Vbi

Vbi niuea tenuis est, & detrita. lib. IX. ep. I. de toga Partheniana.

Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli;
Quam possis niueam dicere iure tuo.

Tales togas *decutes*, siue *decotes* Festo dici censet Lipsius in Electis. Quia igitur lana illa Istrica, & Liburnica sine villis fuit, & pilo propior, iure alienam pexis vestibus dixit Plinius atquè ex ea scutulatam vestem confici in Lusitania; Nam cum scutulæ in vestibus quadraturæ essent ad instar plagarum quibus retia distinguuntur, contextæ, ex lana villosa haud quaquam texi poterant huiusmodi scutulæ quod villorũ densitate textura, & artificium operiebatur, secus in lana minime villosa, & pilo propriore, vt in Liburnica, vbi scutulatus textus non impedientibus villis apparebat. Similem Istricę, ac Lyburnicæ lanam circa Piscenas prouinciæ Narbonensis, in Aegypto prouenire subijcit Plinius, ex qua vestis detrita vsu tingitur, rursusquè æuo durat. Vbi frustra *tegitur*, vel *pingitur*, inferciunt correctores: Nam *tingitur* rectumest. Vestimenta communi lana confecta vsu attrita defloccantur, villosque cum colore amittunt, nec renouari possunt etiam si denuo fingantur, nam delapsis villis cum stamine subtemen apparet. At vestes lana Istrica, vel Aegytia contextæ, quę pilo propior est postquam vsu obsoleuêre, colorẽ quidẽ amittunt, quem si tingantur, recipiunt denuo, & interpolantur, nouæque videntur, nihil enim præter colorem amittunt, quia cum villis careant, & veteres, & recentes filorum texturam ostentant: secus in reliquis pexis vbi detrita semel fila reparari non possunt. Hic est sensus verborum Plinij. Quare non semper vesti pexæ trita oponitur, idest vetus, ac detrita, sed recens sine villis, quales ex lana de qua diximus contexebatur, eaque, *rasa* appellabatur, qualisque vt plurimum serica, quæ sine villis, & minime pexa: eaque scutulatæ texturę aptior, vt ait Plinius; Hincquè existimo Iuuenalem vtrumquè coniunxisse Sat. II.

Coerulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Rasæ etiam togę meminit Martial. lib. II. ep. LXXXV. quã aestati aptiorem fuisse indicat.

Vimine

Vimine clausa leui niueæ custodia cistæ
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod aestatis misi tibi mense Decembri
Si quereris, rasam tu mihi mitte togam.

Alibi videtur *leuem togam* appellare. lib. VII. LXXXV.

Nulla venit a me
Argenti tibi libra pustulati
Nec leuis toga, nec leues lacernæ.

Nisi tenui filo intelligat, & ideo pretiosam. Nam & ab ipsa lana, & a textura togæ aliæ alijs pretiosiores fuerunt. Ouidius de arte lib. III.

Sed vitate viros cultum formamque professos
Quique suas ponunt in statione comas
Nec toga decipiat filo tenuissima.

Qualis illa Martialis lib. X. LXXIII.

Qua non Fabricius, sed vellet Apicius vti
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.

Hoc est ex lana tenui ac molli textura, quæ tamen vestes mulieribus aptiores visę. Quo respexit Cicero. *Velis amicta non togis.* & Varro in Modio. *Istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clauos.* Contra toga pinguis dicebatur quæ crassiori filo compacta erat. Suetonius Augusto. *Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & subuculæ thorace laneo, & fæminalibus, & tibialibus muniebatur.* Horatius lib. I. Sat. III.

Concha salis puri, & toga quæ defendere frigus
Quamuis crassa queat.

Lana coacta. Plinius vno capite non semel correctus, & explicatus. Cap. XVIII.

SEd quoniam in lanarum mentione versamur, curæ pretium fuerit Pliniani loci eodem capite miserè affecti curationem tentare. Postquam lanas recensuisset, ex quibus vestes texebantur, addit; *Lanæ, & per se coactæ vestem faciunt, & si addatur acetum etiam ferro resistunt: imò vero etiam ignibus nouissimo sui purgamento: quippe alienis polientium extractæ in tor-*

menti

menti vsum veniunt, Galliarum vt arbitror inuento, certè Gallicis hodie nominibus discernitur. Nos penè adolescentes, *ahenis polientium extractæ*, legendum videramus, & gauisi sumus cum eandem coniecturam apud doctissimum Gelenium inuenimus. Verum tetigit ille vulnus, non sanauit. Sic enim locus ille interpungendus est, *& si addatur acetum, etiam ferro resistunt, imò vero etiam ignibus; nouissimo sui purgamento ahenis coquentium extracta in tomenti vsum veniunt*, Quæ enim ratio illa erat, quod ignibus resisterent lanę quia extractæ ahenis venirent in vsum tomenti? Numquid tomenta igni resistunt? Duplex lanarum qualitas Plinio recensetur; altera, quod coactæ addito aceto ferro, & ignibus resistant: altera, quod earum purgamentum extractũ ahenis coquentium (hoc malui; quam *polientium*, secutus veteres codices) ad culcitas inferciendas adhiberetur. Hoc est venire in vsum tomenti; Tomentum quippe culcitæ fartum fuit, vt rectè Gelenius; Festus *culcita, quod tomento inculcatur appellata*. Martialis

Culcita tomento quod viduata suo.

Isid. lib. IX. cap. XXVI. *Culcitæ vocantur quod calcentur, idest farciantur plũma, siue tomento.* Id inuentum Galliarum existimat Plinius, quia tomentũ tunc Gallicis nominibus discerneretur. Nam lib. XIX. cap. I. de lino. *Nullum est candidius, lanaue similius: sicut in culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent, Galliarum hoc, & tomenta pariter inuentum, Italiæ quidem mos etiam nunc durat in appellatione stramenti.*

Quæ sequuntur verba, eâdem prauâ interpunctione pessimè habent. *Nec facile dixerim, qua id ætate ceperit; Antiquis enim torus e stramento erat, qualiter etiam nunc incastris gausape;* Quid hoc monstri est? eadem res fuit stramentitius torus, & gausape? Nihil minus. Ait Plinius nescire sequando ceperint tomenta e lana fieri, quia apud antiquos non tomenta siue culcitæ in vsu erant, sed torus stramentitius, qualis adhuc in castris ætate Plinij retinebatur. Nihil igitur adhunc locum gausape. Postquam in vrbe in locum lecti stramentiti, tomentum venerat, inrepere tamen in castra culcitæ, siue tomentum non potuit, in quibus veterem e stramento torũ

non retinere nimis delicatum vſum eſt, & præter diſcipli-nam militarem. Ne longum faciam. Verbum illud *gauſape* ad ſequentia ſpectat, quæ ſic concinnanda ſunt. *Gauſapæ patris mei memoria cepere, amphimalla noſtra, ſicut etiam villoſa ventralia.* Ignorare ſe dicit Plinius, quando lanæ in vſum tomenti venerint, quod apud antiquos e ſtramento torus eſſet. At qui memoria patris ſui factum, vt gauſapæ in vſu eſſe cepe-rint, ſicut ætate ſua, & amphimalla, & ventralia villoſa in vſum venerint. Gauſapæ veſtes villoſæ ad inſtar tapetium. Amphimalla autem, ſiue ἀμφιμάλλοι χιτῶνες veſtes vtrinque villoſæ; Ventralia demum veſtimenta contegendo ventri, quæ fortaſſe eadem cum ſemicinctijs. Plinius M.S in Biblio-theca Ambroſiana eandem prorſus interpunctionem præ-fert, licet in verbo *gauſape* corruptus ſit, quod etiam ab al-tero M.S. deeſt. Sic enim ibi legitur. *Qualiter iam nunc in-ſtris. Cauſa patris mei memoria cepere, amphimalia noſtra.*

Nihil igitur gauſape adtorum ſtramentitium, nihil ad to-mentum. Ad Plinium intelligendum non parum facit Mar-tialis, qui quid ſit tomentum explicat lib. XIV. *Tomentum Lin-gonicum.*

Oppreſſæ nimium vicina eſt faſcia plumæ
Vellera Lingonicis accipe raſa ſagis.

Quo loco intelligimus, quare Plinius putarit inuentum tomenti Gallorum eſse, & Gallico vocabulo diſcerni. Nam aliud erat tomentum *Lingonicum*, idque propriè tomentum, quod ex lana Gallicis ſagis deraſa cogebatur; Aliud minus propriè, quod *Circenſe* dicebatur, idque ex arundine conci-ſa, iuncoque paluſtri inferciebatur, cuius vſus in Circenſi-bus fuit. Idem titulo *Tomentum Circenſe.*

Tomentum conciſa palus Circenſe vocatur
Hæc pro Lingonico ſtramina pauper emit.

Vbi Lingonicum ſimpliciter pro tomento vſurpat. Quali autem fuerit torus ille Plinij ſtramentitius ex eodem diſcas titulo. *Fænum.*

Fraudata tumeat facilis tibi culcita pluma
Non venit ad duros pallida cura toros

Iuriſcon-

Iurisconsultus lib. 111. de legatis. *Tomentum cognominabatur Circense ex arundinibus concisis factum, idque stramentum habebatur plebeiorum.* Seneca de vita beata. *Nihilo miserior ero, si lassa ceruix mea in manipulo fæni acquiescat: si super Circense tomentum, per sarcinas veteris lintei effluens incubabo.*

Non eadem tamen ratio conficiendi tomenti Plinio, & Martiali. Ille ex purgamento lanarum coctarum coactum vult: hic ex lana Lingonicis sagis derasa. Etiam ex pilis hircorum confecta tomenta notat Philargyrius ad illud Georg. III.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphij tondent hirci, setasque comantes
Vsum in castrorum.

In vsum castrorum, inquit, *quod inde tomenta fiant, itemque cilicia.* Vt vt sit, non est præter rem quod adijcit Plinius, cum hæc scriberet, *tunicam laticlauiam in gausapæ modum texi primum ceptam.* Reliquas tunicas ante Plinium in gausapæ modū textas ideſt villosas, & pilis hirtas crediderim, demum etiã lati clauiam, in qua fortasse maius artificium fuit, ne scilicet claui purpurei villorum densitate tegerentur. Sed quid Ventralia esse dicemus apud Plinium? *Gausapæ patris mei memoria cæpere amphimalla nostra, sicut villosa etiam ventralia.* Glossæ *Ventrale* Κοιλιόδεσμος, φολιῶδα. Iurisconsultis Zona, crumena, quam, & *fundum & profundum* vocauerunt, vt Cuiacius cap. XXVI I. lib. x. Obseru. Ita Alciatus lib. I. Pareg. cap. XL. illud Callistrati. *Pannicularia bona damnatorum esse, quæ damnatus habet, & modici sunt pretij, promiscuique vsus qualis est vestis qua fuerit indutus, aut nummuli inueterales quos victus sui causa in promptu habuerit. Nec debent*, inquit, *Præsides pati, vt commentarienses ea pecunia abutantur, sed debet seruari ad ea quæ iure Præsidum solent erogari, vt puta carciaticum (carceraticum) quibusdam officialibus inde subscribere.* Illud inquam *inueterales* recte corrigit *in uentrali*, intelligitque de his pecunijs quas in sacciperio habent, quod insitum inest in semicinctij plagula, quam ante ventrem gerunt. Itaque horum sententia ventrale nihil aliud fuit, quam crumena, siue zona inquã

nummi condebantur. Sed quid opus erat ea villosa facere? Quare existimauerim fuisse potius vestimentum breue, quod ad instar thoracis muniendo ventri tunicę subijceretur, quod frigoris causa ætate Plinij etiam villosum fieri ceperit; In eo sicut in zona pecuniam circumlatam.

Vestis serica. Bombyx Coa, & Assyria. Plinius defensus. Cap. XIX.

TArdè admodum, & non nisi sub Imperatoribus serica vestis Romanis cognita. Eam a Seribus Indiæ populis vnde aduehebatur, appellatam conuenit. Ouidius Amorum 1. eleg. XIV.

Quid quod erant tenues, & quos ornare timeres
Vela colorati qualia Seres habent?

De qua tamen duplex veterum opinio fuit. Alij enim, inter quos Virgilius, ac Plinius, Marcellinus, nec pauci præterea existimarunt, ex arborum lanugine aqua mollitā canitiem ab Indis depecti solitam, vnde Sericum conficeretur. Plinius. *Seres canitio siluarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem.* Reliqua scriptorum loca obuia sunt. Alij opus id bombycum esse tradiderunt, qui folijs inuolut i fila deducerent sericumque conficerent. Priores secutus Lipsius ad Tacitum hoc distinxit bombycinum a serico, quod bombycinū vermiculorum opus esset, quos bombyces dicimus: sericum autem ex illa Indica lanugine confectum. Nec pauci Lipsium sequuntur. Verior tamen Salmasij opinio videtur, qui ad Tertulliani pallium ex Seruio, & alijs ostendit, etiam sericum bombycum opus fuisse, & ideo non alia re, quam loco, sericum a bombycino diuersum, quod nempe bombycinum ab Indis aduectum præstantissimum κατ' ἐξοχὴν sericum diceretur: bombycinum autem appellatum, quod in Insula Coo conficeretur.

Duplex autem bombycinum statuere videtur Plinius Coum, & Assyrium, & hoc quidem pretiosius: ait enim cap. XXIII. loquens de Coa bombyce. *Nec puduit has vestes vsurpare etiam viros leuitatem propter æstiuam. In tantum a lorica gerenda*

renda discessere mores, vt oneri sit etiam vestis. Assyria tamen bombyce adhuc fœminas cedimus. Hic in Plinium inclementiùs mea quidem sententia viri doctissimi inuecti sunt. Quasi vestes Coas ex Assyria bombyce confectas crediderit: item ab eadem bombyce Assyria quæ ceram facit bombycinum texi. Quicunque enim caput illud XXII. perlegerit, inueniet non a bombycibus, qui ceram faciunt, bombycinum texi, sed ab alio bombycum genere, de quo Plinius Aristotelem secutus ait; *Et alia horum origo e grandiore vermiculo gemina sui generis protendente cornua eruca fit, deinde, quod vocatur bombylis, ex eo necydalus, ex hoc in sex mensibus bombyx.* Duplex ergo Assyriorum bombycum species statuitur Plinio, altera quæ maior vespis, crabronibus, & fucis, nidos e luto, ceraſque facit, altera de qua dictum est; Atque hi bombyces, non illi, qui ceras faciunt, telas aranearum more texunt, ad vestem luxumque fœminarum, quæ bombycina dicebatur. Huius vestis bombycinæ generatim sumptæ occasione adijcit Plinius primam, quæ bombycinum texuerit, fuisse Pamphilem in Insula Coo, non tamen quod ex Assyria bombyce, quî enim id fieri potuit, sed ex Coa, licet diuersa Coæ bombycis generatio quam sequenti capite tradit.

Quod si credidisset Plinius, Pamphilem ex bombyce Assyria texuisse, nullũ discrimen fuisset inter Assyriam, & Coam: nam eadem vestis fuisset Assyria, quia ex Assyria bombyce, & Coa, quia in Insula Coo, a Coa muliere pertexta. *Prima Pamphile bombycum telas redordiri, rursusque texere inuenit.* Ita veteres codices habere docuit Gelenius non *retorquere*; Ipse Plinius vbi de Seribus loquitur, idem verbum redordiendi vsurpat. *Seres canitio siluarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem, vnde geminus fœminis nostris labor redordiendi fila, rursumque texendi:* quod eleganter positum; bombyces dum telam suam conficiunt ordiuntur fila id est stamina deducunt, texuntque tramam licijs nectentes, fœminę ad texendam vestem iterum ordiuntur fila, iterumque texunt.

Ceterum tam serici, quam vtriusque bombycinę vestis, hoc proprium fuit, vt quod dixerunt veteres, corpora denuda-

rent.

rent. De serico Plinius; *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona transluceat.* Et Seneca: *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis mulier parum liquidò nudam se non esse iurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur vt matronæ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quam in publico ostendat.* Simile est illud apud Senecæ patrem in controuersijs lib. 11. *Infelices ancillarum greges laborant, vt adultera tenui veste perspicua sit: eo nihil in corpore vxoris suæ, plus maritus, quam quilibet alienus, peregrinusque agnouerit.*

De Coa, quæ etiam a viris gestabatur, Horatius.

Cois tibi penè videre est
Vt nudam.

Multo magis de Assyria, quam nondum ausos viros sua ætate gestare tradit Plinius. A pretio igitur, aut a ratione texendi diuersitas petenda fuit.

Porro aliquod discrimen inter Assyriam bombycem, & sericum Indicum fuisse apparet, licet vtrumque translucens fœminas denudaret, quod si res eadem fuisset, dixisset Plinius, *serico adhuc fœminis cedimus*, quod ab alieno orbe petitum vult, vt fœmina in publico transluceret. Atqui Plinium pro Assyria bombyce intellexisse sericum contendunt, immeritò; Nam Plinius sericum non fieri ex bombyce credidit, sed ex pexa arborum lanugine. Præterea ætate Plinij viri Assyria bombyce abstinebant, & tamen ante eius tempora serica vestis a viris gestata. Tacitus de Tiberij temporibus. *Promiscuas viris, & fœminis vestes.* Et tamen ante decretum fuerat. *Ne vestis serica viros fœdaret.* Ex quo apparet, præstantiorem bombycinam vestem Assyriam fuisse, siue maioris luxus, vt pote quam gestare viros puderet, quibus serica vsurpata. Quare non est tam absurdum, bombyces etiam in Assyria prouenisse, vt in Insula Coo, licet non constet vnde hoc Plinius acceperit. Nec ea cum serica, vt dicebam, confundenda est. Certe Assyria eodem tempore & serica Rome in vsu erat, & de vtraque distinctè meminit Plinius. Quod si

ex

ex India aduecta fuisset, non eam bombycem appellasset, qui nullum bombycum opus in serico texendo credidit, sed solam lanuginem.

Vestes bombycinæ: sericæ: subsericæ: mulititia. Cap. XX.

BOmbycinæ vestis mentio frequentior, quam sericæ apud auctores occurrit, quod rarus sericæ vsus, atque ex alieno orbe petitus, cõmodius bombycina subueheretur. Quamquam si verum est, quod de Cæsare tradit Dio lib. XLIII. ludis theatrum velis sericis contexisse, non tanta debuit tunc esse serici penuria. Scio de subserico Dionem, Tacitum, & reliquos, qui serici meminerint, capiendos doctis viri animaduersum quod apud Spartianum dicatur Heliogabalus *primus Romanorum sericam vestem induisse*, idest holosericam, *cum ante subserica in vsu esset*, in qua stamen ex lino, subtemen sericum erat. De holoserica. Vopiscus in Aureliano *Vestem holosericam neque ipse in vestiario habuit, neque alteri vtendam dedit. Et cum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit Absit vt auro fila pensentur. Libra enim auri, tunc libra serici fuit.* Distinguit tamen sericum a subserico Lampridius in Alexandro. *Vestes sericas ipse raras habuit, holosericas numquam induit, subsericam numquam donauit.* Nisi eandem vestem modo sericam, modo subsericam appellat, vt eam raro adhibuerit Alexander, alijs numquam donauerit: sed fuisse eam vestem inusu promiscuo sub Heliogabalo notauerat: quidquid sit magna serici huius, siue subserici copia debuit esse, quæ Theatro contegendo satis esset. Sed id verum sericum, siue holosericum, fuisse videtur indicare Dio. τοῦτο δ', inquit, ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου δεῖγμα ἐστὶν, καὶ παρ' ἐκείνων, καὶ φορὸς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τῶν γυναικῶν περιῆλθε. *Sericum quo Theatrum Cæsar velauit, fuit textura barbaricæ luxuriæ ad superuacuum luxum Romanarum mulierum aducta.* Idem lib. LIX. de Caligula. καὶ ἐπ' αὐτῷ χλαμύδα σηρικὴν ἀλουργῆ ἐπένδυ. Chlamydem sericam purpurei coloris induit, & paulo

Io infra. Ἄλλως ὃ δι' ὅντινα τῇ σηρικῇ, καὶ ἐντῇ νικητηρίᾳ στολῇ ὡς πολὺ ἐθέριζον. *Vt plurimum in serico vestitu, aut triumphali ornatu in publico versabatur.*

Sed tam subsericæ, quam sericæ vestis, id proprium fuit, quod, & bombycinæ, vt transluceret, hominesque nudaret. Iuuenal. Sat. 11.

Acer, & indomitus libertatisque magister,
Cretice pelluces.

Lipsius de Coa, siue serica toga intelligi vult. Alij de Coa tantum, nec de serica capi posse Iuuenalem, quæ tantum fœminis tunc gestata, cum Coa etiam viris in vsu, vt ait Plinius. Ego de serica, & quidem muliebri locutum poëtam censeo. Nam si ætate Plinij, ideſt, aliquot annis ante Iuuenalem Coa vestis viris promiscuè gestata, labentibus in deterius moribus, non erat quod poëta Cælum terræ misceret, si Creticus veste Coa incessisset. Hoc enim tolerabile iam fecerat vsus. Atqui hoc tamquam insanum, ac fœdissimum exagitat.

— Sed Iulius ardet,
Aestuo: nudus agas, minus est insania turpis.

Mox.

Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.

Præterea ait Satiricus futurum fuisse, vt meretrices talem togam recusarent, si damnatæ essent.

— Est mœcha Fabulla
Damnetur sivis etiam Carsinia, talem
Non sumet damnata togam.

Non ergo vestis illa Coa fuit, quæ multis ante annis meretricibus familiaris. Horatius.

Cois tibi pænè videre est
Vt nudam.

Quare non togam Coam, siue bombycinam damnauit Aquinas poeta, quę multo ante gestabatur a viris, sed sericam & muliebrem.

Et ideo infrà eam vestem, *multitia*, appellat, quæ abeodem fœminis adscribuntur.

Humida suspectis referens multitia rugis.

Quam-

Quamquam non ignorem, multitiarum virilium mentionem a Vopisco fieri ; sed quod additur, *virilium*, denotat propriè multitia muliebria vestimenta fuisse, & secutis temporibus a viris vsurpata, vt & vestes holosericæ.

Eius vocis originem me fateor ignorare. Nam quod alij quasi multilicia dicunt, & polymita intelligunt, præter verbi nouitatem, apud Iuuenalem sermo est de toga, quam albam fuisse constat, non filorum varietate intextam. Qui autem multicia a multum iciendo deducunt, quasi vestimenta multum icta, & percussa, præter idem vitium nouitatis, potius rei ipsi contrarium adducere videntur ; Nam vestes multum ictæ, & bene textoris pectine percussæ, densiores sunt, minusquè pellucent ; quo magis enim trama stamini connectitur, fila spissantur densius, minusque per ea corpora apparent.

In illo quoq; hærere me non abnuerim, an de bombycinis togis capiendus Cicero sit, cum de Catilinæ socijs loquitur ; *manicatis, ac talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Imò an Varro apud Nonium easdem intellexerit, cum ait. *Istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clauos.* Nam bombycinas non multo ante Plinium a viris vsurpatas vidimus : Si laneæ, vt omnia tunc vestimenta, nescio an tales pellucidæ vestes, & vt ait Varro, *vitreæ*, ex lana confici potuerint : nisi sericas fuisse dicamus, & de subsericis intelligamus, qualia Cæsariani Theatri vela fuisse supra tetigimus.

Neque illud omittendum, quomodo hæ vitreæ togæ tunicæ clauos ostentarint, quasi vero communi toga claui purpurei tegerentur, neque apparerent per densum vestimentum : cum tamen certum sit, clauis hisce Curiam ab reliquis ordinibus distinctam, quod fieri non potuisset, si latuissent. Fortasse igitur, cum plures in tunica claui essent, & in toga communi duo tantum, aut tres apparerent, quà ad pectus toga patebat, & brachium dextrum exeri solitum diximus, togis vitreis, ac pellucidis pectus denudantibus omnes apparuere, & in oculos incurrerunt.

Togæ color. Candidati. Cap. XXI.

TOgę communis colorem album fuisse, satis doctissimus Manutius ostendit, & eum secutus magni nominis Criticus, qui ne Manutium quidem nominat, cui omnia ferè in hac disputatione debet. Neque hic ego congerendo scriptorum loca, quibus id probetur, lectoris otio abutar, cum vel mediocriter eruditi id ignorare non possint, & facile sit ipsum Manutium consulere.

Duo tamen sunt, quæ huic sententiæ refragari videntur; Alterum, si omnes vulgo albâ togâ Romani vsi, cur qui honores petebant, candidati dicti? Alterum, quod diebus Festis, & lętitiæ causa albati Romani incedebant. Nuperus Milonianæ enarrator ait, *Magistratum petentes nihil habuisse in vestimentis præter album, & ideo candidatos vocatos: quia nempe sine tunicis essent, in quibus claui purpurei, vel quod tunicæ ipsæ totæ purpureæ essent. Ita petitores, vel deposuisse tunicas purpureas, vel saltem clauos, & ideo candidatos dictos.* Quæ ratio nihili est. Nam tunicas non fuisse purpureas, infra vincam: & clauos purpureos in petitione depositos, falsum est: & si verum esset, id modò in Senatu, & Equite locum habuisset, quid ij, quibus nullum claui ius fuit? Quid plura? Depositas tunicas in petitione consentiunt auctores non quod purpureæ, aut purpura illuminatæ, sed vt aperto pectore, honesta vulnera petitorem commendarent. Alij ne pecunia occultaretur emendis flagitiosè suffragijs factum putant, quod refutat Plutarchus in Coriolano.

Melius ergo Lipsius, qui inter albam, & candidam togam distinguit, quod alba natiuo lanæ colore esset: candida addita creta fieret. Idquè ex Liuio, & Isidoro. Ille lib. IV. *Placet, tollendæ ambitionis causa Tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret*, Isidorus, *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior.*

Etiam Manutius aliud fuisse candidum, aliud album docuerat: esse autem in colore candido splendorem quendam,

qui

qui non est in albo: itaque candidam niuem propriè dici, pallorem autem album, non candidum, licet aliquando confundantur: vt cum Gellius lib. III. tradit. *Scipionem die dicta, neque barbam desisse radere, neque non candida veste uti.* vbi *candidum*, pro *albo* vsurpatur, Et Liu. Dec. v. lib. v. *Legati Rhodicrum, cum primo in veste candida visi essent, quod & gratulantes decebat.* Huic mox opponit sordidam. *Et si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant.* Infra. *Extemplo veste sordida sumpta, domos principum cum precibus, ac lachrimis circumibant.* Vt & apud Martialem.

Cum plebs, ac minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

Addita ergo creta, vt ait Isidorus, *candidior toga fiebat.* Illud tamen difficultate non caret, quod in omni togarum lotione adhibebatur creta, nec ars fullonia sine creta fuit. Titinnius apud Nonium.

Terra hæc est, non aqua,
Vbi tu solitus argutarier pedibus,
Cretam dum compescis, vestimentaque lauas.

Et Plinius lib. xxxv. cap. xvii. vbi de generibus Cretæ loquitur. *Ergo ordo hic est: primum abluitur vestis sarda, dein sulphure suffitur; mox desquamatur Cimolia, quæ est coloris veri.* Hæc autem & sarda cretæ species fuere. Ex his apparet, omni togæ adhibitam cretam fuisse. Fortasse ergo communi togæ abluendæ creta adhibebatur: at togæ petitorum iam lotæ, creta superinducebatur, vt candeseret magis, ac poliretur. Certè Plinius Cimoliam cretam abluendis vestibus in vsu fuisse scribit: Vmbricam autem, quæ, & saxum vocabatur, nonnisi poliendis vestibus assumi solitam. Illud etiam addere possumus, togas petitorum, vt candidæ fierent, postquam Vmbrica expolitæ essent, prælo subiectas fuisse, vt niteserent, splendoremque illum acquirerent, quem coloris candidi proprium esse diximus: & ideo togam candidam, λαμπραν Polybio dici, cum nempè a prælo, & a creta splendesceret. Talis toga splendens dicitur Senecæ, epist. v. *Non splendeat toga, ne sordeat quidem.* Quod Lipsius

explicat, nitidam, recenter lotam, & pexam. Sed tales erant quæ minime sorderent, nitidæ scilicet, & recenter lotæ. Atqui Seneca non vult splendentem, & sine sordibus optat. Ergo *splendens* est a prælı pressura. Vt alibi Lipsius recte illud eiusdem Senecę de tranquillitate cap. 1. *Non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus, aut tormentis splendere cogentibus pressa.* Pondera scilicet, ac pręla vestem splendere cogebant. Huc spectat locus Martialis, quem Lipsius adduxit.

Sic tua suppositis pellucent prælа lacernis,
Et micat innumeris arcula syntheſibus.

Et Ammianus lib. XXVIII. *Solutis pressorijs, vestes luce nitentes arbitra diligenter explorant.* Quod verò Lipsius subijcit, ideo suppositas prælis vestes, non solum vt niterent, sed etiam vt pexæ essent, credibile non est. Nam vestium pexitas non à prælo, sed à lana recenti, aut ab artificio erat, cum erinacei cute polirentur. De quo iam multa viri docti disputarunt.

Ceterum quod ait Lipsius, communes togas natiuo tantum lanæ colore albas fuisse, falsum esse ex Plinio ostendimus, qui artis fulloniæ cretam præcipuam facit. Quod nec ipse negare potest, nam explicans illud Plauti in Aulularia. *Qui vestitu, & creta se occultant, & sedent quasi sint frugi;* homines designari ait tenuiores, quibus cum copia mutandę togę non esset, tamen, vt nitidi apparerent, sub dies ludorum togulam suam incretabant; vel seruos, qui vt liberos mentirentur, fortasse cretam addebant in vestem, vt in cauea fallerent. Si ergo sola creta candida vestis fieba t, & isti candidati fuere extra honorum petitionem. Quare vt diximus, vestis petitorum candida fuit; Cimoliâ primum, vt reliquæ vestes abluta, deinde Vmbricâ, siue saxo expolita, tum prælo splendere iussa.

Ceterum Marcilius ad illud Persij,

Quem ducit hiantem.

Cretata ambitio.

Notat, ideo cretam togis adhibitam, vt rigidæ essent, tabularum, siue tiliarum capaces, quòd esse non potest; difficilius enim plicæ, ac rugæ in veste durata, quam in molli.

&

& flexibili finguntur. Deinde cum omnes togæ plicas, rugasque haberent, si ad hoc cretabantur, togæ omnes candidæ fuissent. Idem perperam locum Tertulliani accipit. *Rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assignet*, legit, *porpicibus πόρπηξι*, fibulis, quasi vllus ibi fibulæ vsus esse potuerit. Sed de hoc alias.

Albus color lætitiæ causa adhibitus. Albati. Cap. XXII.

ALterum, quo communes togas non fuisse albo colore, ostendi poterat, illud erat, quod Romani diebus festis, ac solemnibus albati incedebant, præcipue die natali; idque non scriptoribus notatum esset, si reliquo tempore in alba veste fuissent. Horat.

Ille repotia, natales aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Ouidius Trist. lib. III. eleg. XIII.

Scilicet expectas solitum tibi moris honorem
Pendeat ex humeris vestis vt alba meis?

Et lib. v. El. v. de Natali vxoris.

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno:
Sumatur fatis discolor alba meis.

Et Persius.

— *Quamuis te albata rogarit.*

Vbi vetus Interpres, *Albata autem festiua, aut certe albata pura, & vitijs carens.* Idem ad illud:

Et natalitia tandem cum sardonyche albus. Ad hoc recitaturus, inquit, *ornatus, & festiuus incedebat; Albus, aut festiua veste indutus, aut recitandi pauore confectus.* Etiam Dio in aduentu Teridatis Romæ impletum fuisse tradit forum: mediam eius partem a plebe albata, & laureata: alteram a militibus armorum nitore fulgentibus.

Lipsius hoc pacto nodum soluit, quod Romani diebus festis, lętisque recentes togas sumerent, & vsu nondum sordidas, atque obsoletas. Sed quî fieri potuit, vt cum sæpè

festi

tionis videri, quòd cum veteres matronæ in alba, aut nigra veste præcipue incederent, postquam crescente luxu, Galbanæ, Cerulæ, & Coloriæ inuectæ sunt, albam vestem spretam, vt vilem, & luctui tantum reseruatam. Hoc falsum est: nam, vt Valerius tradit lib. 11. matronæ in veteri Rep. & auro abundanti, & multâ purpurâ vsæ sunt: contra sub Imperatoribus, aut interdicta purpura matronis, aut certis tantum personis permissa. Corruit igitur tota coniectura. Me eius mutationis causa hactenus latuit. Ceterum mirum est, verba Herodiani de matronis in veste alba funus Seueri celebrantibus, λιπὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι, Politianum vertisse, *Vestibus albis exilibus indutæ*. Quid enim fuere hæ vestes exiles? cum vestes illæ vulgares, ac communes essent, siue viliores. Eadem ratione Dio lib. LVI. de Tiberij, & Drusi eius filij cultu lugubri in funere Augusti, Tiberius, filiusque eius Drusus, φαιὰν τὸν ἀγοραῖον τρόπον περιεβέβλητο, εἶχον. pullam togam vulgari siue communi more paratam (non forensi more, vt hic interpres,) habebant.

Togæ mensura. Togæ talares. Quintilianus explicatus. Cap. XXIV.

CVm toga vestimentum laxum esset, ac fusum, pro opibus tamen cuiusque laxiorem fuisse, aut angustiorem Horatij Interpretes notarunt, ad illud.

— *Tibi paruula res est.*
Arcta decet sanum comitem toga.

Quare ille opum contemptor Cato, cum arcta toga ab eodem inducitur.

Quid, si quis vultu toruo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem?

Pro opibus inquam, & arbitrio cuiusque, ne quis Orationum Ciceronis enarratori credat, qui M. Antonium quòd prætextatus decoxisset, arctiorem ceteris togam sumere debuisse scribit, quasi id lex iuberet, & non potius necessitas cogeret. Has togas arctas, *togulas* scriptores vocarunt, quales

les patronorum auaritia clientibus donabat, quarum Cicero, & Martialis meminerunt. Iustam autem togæ mensuram sex vlnarum fuisse ijdem Horatij Interpretes obseruant, vbi poëta Menam libertum carpit, quod toga sex vlnarum sacram viam metiretur. Mihi tamen verisimilius est, quòd si sex vlnarum togæ mensura fuisset, non id tamquam nouum aut insolens Horatius notauisset. Nisi id in liberto non ferendum, quod ingenuos deceret. Vt vt ea res se habeat, antiquitus quidem toga ad calceos vsque demittebatur, vt Græcorum pallium teste Quintiliano: idque vt fieret Plotium, Nigidiumq; præcipere, qui circa illa tempora de Oratoris gestu scripserunt. Quo circa Plinium refutat idem Quintilianus, qui scripserit solitum tantùm Ciceronem id facere velandarum varicum gratia, cum tamen hoc genus amictus in statuis eorum quoq; qui post Ciceronem fuerunt, appareret. Id tamen etiam impudentis maledicentiæ, & exhausti pudoris vir Fusius Calenus apud Dionem semper magnis viris iniquum obiectauit Ciceroni, quod nempe demissitijs vestibus ad crurũ vitia velanda vteretur. lib. xxxxvi. *ὧν ἐδέσυ ἐποίησας, ὁ δῆνὸς, ὁ σοφὸς ὁ πολὺ πλέονι τῷ ἐλαίῳ τοῦ οἴνου χρώμενος, ὁ καὶ μέχρι τῶν σφυρῶν τὴν ἐσθῆτα σύρων, ὅυμὰ Δὶ' ὀυχ ὥσπερ οἱ ὀρχησαὶ, οἱ τὰς ποικιλίας τῶν ἐνθυμημάτων διδάσκοντες σε τοῖς χήμασιν, ἀλλ' ἵνα τὰ αἴχη σου τῶν σκελῶν συγκρύπτῃς.* Interpres. *Qui vestem vsque ad talos dependentem trahis.* Rectius si togam talarem vertisset, nam Græci, & præcipuè Plutarchus ἐσθῆτα pro toga ponere consueuerunt. Aetate ergo Ciceronis, & paulo post Togæ talares fuêre. Talis est quã dedimus Tabula I. quod monumentũ positũ Lepido, & Munatio Coss. diximus anno moriẽtis Romanæ libertatis supremo.

At Quintiliani æuo eodem teste, non vltra medium crus porrectæ; Ait enim ipsam togam rotundam esse debere, & apte cæsam, aliter enim multis modis futuram enormem: Horat. I. Serm. Sat. III. *rideri posset eo quod Rusticus tonso toga defluit.* Mox subijcit Quintil. *Pars eius prior medijs cruribus aptè terminatur, posterior eadem portione, altius quam cinctura.* Quæ postrema verba, fateor, me magnopere torse-

runt. Quomodo enim togæ pars posterior altior quam cinctura esse potuit? Fuit cum existimarem de parte ea loqui Quintilianum, quæ brachio subducta in humerum sinistrum reijciebatur, & sic ipsa cinctura altior esset, siue de illa, quę excluso dextro brachio ab humero pariter dextro defluebat, & tamen superior cinctura erat; Sed cum Quintilianus dicat, eadem portione, ac priorem, non aliter explicari potest, quam vt medijs cruribus, quemadmodum prior terminetur, & ita quomodo cinctură altior erit? Fortasse Quintil. ibi pro cinctură tunicam cinctam intellexit: quod nempè tunicæ Zonæ arbitrio, altiùs, sub missius suspenderentur, & proprerea vult togæ partem priorem, & posteriorem ita medijs cruribus terminari, vt tamen tunicæ cinctæ imâ ora paulo altiores essent. Iuuant coniecturam nostram eiusdem Quintiliani verba paulo supra, vbi tunicæ laticlauiæ longitudinem tradit. *Latum* inquit *habentium clauum modus est, vt sit paulum cinctis submissior*, ideſt paulo longior tunicis, quæ cingebantur. Nam vt ostendam cum illuc ventum fuerit, & aliquid supra tetigimus, tunica lati claui non cingebatur. Si ergo ibi *cinctis* ponit, pro habentibus tunicas cinctas, cur non & hîc cinctură, pro tunicâ cinctâ intelligamus? Si quis tamen priorem interpretationem malit, non repugnem. Vtramque trepidè, & hæsitanter posui, donec alius meliora promat.

Togam antiquis temporibus commune vestimentum fuisse tam virorum, quam fœminarum. Recinium. Festus emendatus. Toga meretricum gestamen. Ouidius, & Varro explicati. Plebs infima quandoque togata. Gladiatores in toga producti. Cap. XXV.

PRimis Vrbis temporibus tam viros, quam mulieres in toga incessisse, totamque Romanam gentem vere togatam fuisse veteres critici adnotarunt. Varro apud Nonium de Vita Pop. Rom. *Prætereo quod in lecto togas ante habebant; ante enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum*

& no-

& nocturnum, & muliebre, & virile. Ex eo autem quod togas in lectis haberent antiquitus vt ait Varro perseueraſſe in nuptijs eum morem crediderim vt lectus toga sterneretur. Quod indicat Annobius lib. 11. *Cum in matrimonia conuenitis toga sternitis lectulos, & maritorum genios aduocatis*. Seruius 1. Aeneidos ad illud *Gentemque togatam*. *Bene inquit gentem, quia & sexus omnis, & conditio toga vtebatur: togas autem etiam fœminas habuisse Cycladum, & Recini vsus ostendit. Recinus autem dicitur, quòd post tergum reijcitur, quod vulgo Mauorte dicunt*. Recinum, siue vt Festus Recinium, commune mulierum pallium fuisse, ex his Seruij verbis collegisse viros doctissimos, miror; Nam non fuisse commune mulierum pallium, docere eos poterat Nonius, cius verba ipsi attulerunt. Is *Ricinium* modo *palliolum breue* appellat, modò *pallium, quo mulieres in aduersis rebus, & luctibus induebantur. Ricinium quod nunc Mafurtium dicitur palliolum fœmineum breue; Varro* ταφῆμενίπτου. *Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palliolum simplex*. Idem de Vita Pop. Rom. lib. 1. *Ex quo mulieres in aduersis rebus, ac luctibus cum omnem vestitum delicatiorem, ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt*. Nihil igitur opus distinctione, aut correctione, nam si *palliolum*, in *pallium* mutetur perit sententia Nonij qui ricinium palliolum esse dicit, idque Varronis auctoritate confirmat.

Non ergo commune pallium Ricinium fuit. Imò ætate Festi quid ea vox significaret, non plane constabat, ait enim *Recinium omne vestimentum quadratum ij qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt; Alij virilem togam, qua mulieres vtebantur prætextam clauo purpureo*. In V.C. est *Vir toga*; Vnde *Virilem togam* quidam fecêre, malè, nec rectiùs qui *vel togam* reposuerunt; Hoc enim modo idem esset pallium & toga, quadratum, & rotundum. Neque attinet dicere, ideo quadratum, quia apertum: togam autem, quia vt toga reijceretur, alioqui omnia pallia quæ reijci in humerum poterant, togæ etiam dici potuissent.

Sed non constabat quid esset proprie Recinium, & pro-

pterea alij quadratum veſtimentum fuiſſe dixêre, alij rotundum: qui duodecim interpretati ſunt pallium quadratum explicarunt: contra alij togam muliebrem; Quare legendum *Alij togam qua mulieres vtebantur*. Nec diſplicet Lipſij coniectura qui Ver: legit ideſt. *Verrius Flaccus togam eſſe vult*. In hac opinone fuit Seruius, Recinium, fuiſſe togam, vel togæ ſimile, nam ex eo, & ex cyladum, quæ rotundæ erant, vſu a mulieribus togas olim geſtatas contendit. Quòd ſi Recinium commune pallium fuiſſet, fruſtra ex vſu pallij togæ vſum demonſtraſſet. Fuerit ſane Rica eadem cum palliolo, & capitis integumento, dummodo Recinium commune mulierum pallium non fuerit, quod nempè ſtolæ inijciebatur;

Sed vt vnde Recinij cauſa digreſſi ſumus, redeamus (nam de Mauortio, ſiue Mauorte egregie ijdem viri doctiſſimi diſputarunt) Toga antiquis temporibus commune viris, ac mulieribus veſtimentum fuit. Hoc etiam Aſconius Pædianus teſtatus eſt pro Scauro. *Toga* inquit *communis habitus fuit, & marium, & fœminarum: ſed prætexta honeſtorum, toga viliorum, quod etiam circa fœminas ſeruabatur*. Verum non ſatis mirari poſſum, aut intelligere, quomodo prætexta eſſet honeſtiorum, toga viliorum. Nam præter magiſtratus, & Sacerdotes, puerilemque ætatem nulli ius prætextę fuiſſe conſtat, & reliqui etiam honeſtiores in togâ purâ inceſsêre. Aſconium quidem ętate Tiberij vixiſſe certum eſt, & ideo vſum prętextę non ignoraſſe. Fortę igitur hoc ex gloſſemate eſt, a quo deceptus Nonius qui *Prætexta*, inquit, *inſigne Romanum, quod ſupra tunicas honorati quique ſumunt*.

Hoc quidem in mulieribus verum eſſe potuiſſe credo, vt nempe quo tempore toga communis vtrique ſexui erat, honeſtiores matronę in toga prętexta incederent. Feſtus *Togam, qua mulieres vtebantur prætextam clâuo aureo*. Sed de viris tota vetuſtas negat. Poſtquam togam depoſuêre matronae, ea ſolis viris remanſit, ſed temporum mutatione etiam fœminis probroſis quæque quęſtum corpore tolera-

rent.

rent. Has enim togatas incessisse abunde Manutius ostendit quem non pauci, sed præcipuè summus Iurisconsultus in selectis Antiquitatibus aduocarunt. Acron ad illud *Pecce sue togata. Matronæ, quæ maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant sublata stola propter ignominiam. Toga autem meretrici apta, ita enim prostare solebant cum togis puellæ, vt discernerentur a matronis.* Quamquam in sacrificijs etiam honestas fœminas togis vsas docet Festus in verbo *Armata. Armata dicebatur Virgo sacrificans, cui lacinia togæ in humerum erat reiecta.* Eius abbreuiator, *Mutini Sacellum fuit Romæ cui mulieres velatæ togis prætextis solebant sacrificare.* Varro de L. Latina. *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub caprifico faciunt, & e Caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis.* Sed Varronis locus defectus est. Desideratur enim causa ob quam toga prætexta tunc dabatur matronis. Sed aut me coniectura fallit aut de est, non tam matronis, quam ancillis in eo sacrificio datam togam prætextam; quod me facile persuasurum ijs scio, qui originem Feriarum Caprotinarum non ignorant. Scilicet quod narrat Plutarchus in Paralellis ex Aristide Milesio Atepomarum Gallorum Regem ad versus Romanos bellum gerentem edixisse tunc belli finem fore, cum vxores, & filias Romani fruendas darent. Ancillæ astu elusam barbarorum procacitatem: missas scilicet in veste matronali, & puellarum nubilium, barbarisq; somno, ac mero victis vnam ascensa caprificu signum dedisse in vadendi hostes, quibus profligatis diem festum institutum ancillarum, Nonas scilicet Iulias, easque ferias Caprotinas dictas quibus ancillis concessum, vt in veste libera, & prætexta toga quæ puellarum erat in cederent. Scio Macrobium dissentire, & non a Gallis, sed a Latinis post bellum Gallicum impudens postulatum factum esse. Verum Plutarcho adstipulatur Ouidius loco per obscuro, & a Criticis vexato, sed cui vnius literulæ mutatione, & lucem, & medicinam afferemus. Is est libro II. de arte amandi, vbi precipit amatori, vt omni ratione amicæ familiam

liam demereat, & munusculis colat.

Sed tamen & seruo, leuis est impensa roganti
Porrige fortunæ munera parua suæ.
Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Interpretū sententias afferre odiosum esset. Qui tamen nūquam expedient cur ancilla pœnas pependerit, & quid Gallica manus sit, ac quomodo cum ceteris cohæreat. Sed mutata voce *quæ* in *qua* loci sententia liquido apparebit. Ait enim donandū aliquid ancillę ea die, quæ erat festa ancillis. Scilicet Nonis Iulij, siue caprotinis. Dona igitur inquit *ea Luce*, ideſt ea die, *qua Gallica manus*, exercitus Gallorum, *decepta veste maritali* habitu matronarum *pependit pœnas* barbaræ libidinis. Nihil iam clarius. Sicut ergo viris die natali, matronis Kalendis Martijs munera missitabantur, ita ancillis Nonis caprotinis. Et ideo Varro ait ijs iustogæ prætextæ fuisse, quia ancillæ & stola matronali, & puellari prætexta Gallos deceperant. Macrob. lib. 1. Sat. c. 11. *Ancilla nomine Tutela siue Philotis pollicita est se cum ceteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram: habituque matrum familias & Virginum sumpto hostibus ingestæ sunt.* Quam porro lectionem reposuimus extare in tribus M SS. monuit qui varias lectiones operi adiecit: eamque retentam in nupera editione vidimus.

Ceterum virorum omnis cōditio togata. Primores, plebs, etiam populi viliſſima pars, quae in emenda toga sumptum facere posset. Tertullianus de pallio cap. IV. *Vespillo, leno, lanista, tecum vestiuntur.* Et in fine operis. *Verum, & Cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Quo loco docti immeritò Cerdones proturbant, ignotasq; voces Latio inferciunt. Nam licet Cerdones, & reliquus popellus ob inopiam fermè tunicatus incederet, aut penulatus, præcipuè ea tempestate, qua togæ in desuetudinem abierant: nihil tamen præter paupertatem impediebat, quin extremæ sortis homines dummodo ingenui togam gestarent præsertim in officijs, aut collegiorum sacris, festisque diebus.

Cur

Cur igitur licet raro, ex societate Cerdonum aliquis post ductam dentibus pellem toga non enitescceret? Num quid vespillo, Leno, Lanista cerdone ditiores aut honestiores? Quod ad gladiatores attinet, falso Lipsius existimat eos togatos depugnasse: ex Suetonio in Claudio. *Induxit vnum ex nomenclatoribus suis sicut erat togatum.* Nam hoc tamquam nouum notauit, quòd gladiator togatus induceretur. Capitolinus autem in Pertinace inter vestimenta Commodi recenset *togam, armaquè gladiatoria gemmis, auroque composita.* Et Tertullianus hîc *togatos producit gladiatores.* Sed non alij vsui fuisse togam credendum est, quam cum gladiatores in pompa ante pugnam incedebant, & spectaculum de se prebebant, siue vt Tertullianus loquitur producebantur, & de hoc Suetonius, & Capitolinus capiendi sunt. Quis enim credat togam fusum, ac prolixum vestimentum pugnæ ad hibitum?

Imperatores togati. Cap. XXVI.

POpulus Romanus Quiritium omnis ius togæ habuit, diuque etiam plebs ipsa togata incessit. Immo sublata libertate ipsos Imperatores toga vsos certum est. Nam præter Cæsarem qui in toga confossus est: tradit Suetonius Caligulam, cum die muneris esedario Porro ob proseperam pugnam seruum suum manumittenti studiosius plausum esset, ita se proripuisse e spectaculis, vt calcata lacinia togæ præceps per gradus iret. Martialis quoque Domitianum *Martem togatum* appellat. Et alibi

Palmataque ducem, sed cito redde togæ.

Spartianus de Adriano. *Ipse cum in Italia esset semper togatus processit.* Capitolinus etiam notat Antoninum Philosophum per Brundusium in Italiam venientem togam sumpsisse, & milites togatos esse iussisse. Sic Pertinacem cum peteretur ad necem toga caput operuisse. Lamprid. in Alexandro. *In vrbe semper togatus fuit, & in Italiæ Vrbibus.* Idem. *Veste, vt & pingitur alba vsus est, nec aurata, penulis, togisquè communibus.*

Non

Non tamen toga pura, & communi semper vsos, sed aliquando toga purpurea & triumphali inde apparet, quòd inter reliquos honores hunc Cęsari a Senatu tributum testatur Dio lib. XLIV. Τὰ μὲν γὰρ πρῶτα φέρεσθαι τε αὐτὸν ἀεὶ, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τὴν στολὴν τὴν θριαμβικὸν ἐνδεδυκότα. *Primum ei datum est vt semper etiam in ipsa Vrbe toga triumphali indutus incederet.* Hanc autem fuisse purpuream, & pictam suo loco ostendemus. Malè qui, *vt veste triumphali cinctus versaretur*, verterunt. Nihil enim de cinctura apud Dionem extat. Eo tamen honore non semper vsum Cæsarem credere par est, quod Dio eodem libro tradit *eum ex S. C. vestem triumphalem omnibus ludis gestasse*. Et lib. LIII. post deuictos Astures datam Augusto potestatem Kalendis Ianuarij singulis coronæ, & vestis triumphalis gestandæ. Sane reliqui Imperatores in ciuili habitu vulgarique. Quare Tacit. lib. XIII. Inter honores, quos sueta adulatione Senatus Neroni ob pulsos Armenia Parthos decreuerat eum precipue recensct, *supplicationes, & diebus supplicationum vestem principi triumphalem*. Capitolinus etiam in M. Antonino notauit ipsum, & Verum fratrem Ludos ob triumphum decretos spectasse habitu triumphali. Non igitur is in vsu communi.

Lampridius tradit, Alexandrum adeo ciuili ingenio fuisse, vt licet Imperator prætextam, & togam pictam numquam sumeret, nisi cum esset Consul. & infra de eodem. *Hostia cruenta effugit, & vt se ciuiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam eius vestem cum qua constiterat, cruentauit.* Quare Commodum perstringit Herodianus lib. I. *Quod pro Romanorum Principum cultu leonis pellem indueret, purpureasque, & auro intextas vestes gestaret.* ἀμφίεννύσθαι τε ἀλκῆς καὶ χρυσοϋφεῖς ἐσθῆτας. Alibi de eodem. ἀντὶ τῆς ὑπαρχικῆς καὶ βασιλικῆς πορφύρας pro eleganti vestitu purpuraq; Imperatoria arma gladiatoria sumere solitum.

Non nisi igitur mali, superbiq; principes inuidiosum eum habitum vsurparunt. Dio Neronem in aduentu Teridatis triumphali veste vsum tradit lib. LXIII. Sueton. de Caligula cap. LXXII. *Vestitu calceatuque, & cætero habi-*

tu

tu, neque patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique humano semper vsus est. Sæpe depictas, gemmataſque indutus pænulas, manuleatus, & armillatus in publicum proceſſit: aliquando ſericatus, ac cycladatus, ac modo in crepidis, vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonnumquam ſocco muliebri. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem aſſidue geſtauit. Quod etiam Dio tradit lib. LIX. Eodem triumphali ornatu vſum Domitianum tradit Idem lib. LXVII. ſed tantum cum in Senatum veniret. Quod egiſſe Marium Romanorum primum legimus in epitome Liuiana LXVII. Ita Heliogabali habitum, purpura auroq; intextum, cultumque barbaricum Herodianus, & reliqui ſcriptores perſtrinxerunt. Et Trebellius de Gallieno. *Cum chlamyde purpurea gemmatiſque fibulis, & aureis Romæ viſus eſt, vbi ſemper togati Principes videbantur: purpuream tunicam, aureatamque virilem, eandemque manicatam habuit.* Tandem Vopiſcus de Tacito. *Togis, & tunicis iiſdem eſt vſus, quibus priuatus.*

Togas in luctu, & calamitate publica depoſitas. Quæ veſtis earum loco ſumpta. Cap. XXVII.

VEſtes ſæpè in luctu publico, ac calamitate mutatas, togaſque depoſitas Dion Caſſius teſtis eſt non vno in loco. lib. XXXIIX. *Cum eadem denuo euenisſent, decreuerunt, vt veſtes mutarentur.* Mox. *Non tamen aut veſtem lugubrem poſuerunt, aut ad ſolemnes cœtus prodierunt.* Quæ eſſet iſta veſtis mutatio declarat idem lib. XL. *Coſſ.* Τὼ βελλτικὼ ἐσθῆτα κἀθέμενοι, καὶ τῇ ἱππάδι, *Senatoriam veſtem deponentes, & in veſte equeſtri Senatum tamquam in magno luctu conuocantes.* Rurſus lib. LVI. *Sequenti die Senatus habitus, & ad eum,* ἄλλοι τὼ ἱππάδα σολὼ ἐνδεδυκότες ἐλθῆλθον, οἱ δ' ἄρχοντες τὼ βελλτικὼν πλὼ τῶν ἱματίων περὶ πορφύρων. *Reliqui quidem inveſte equeſtri conuenerunt, magiſtratus vero in Senatoria, demptis prætextis.* Cicero in Orat. poſt reditum. *Conſul, cum vos veſtem mutandam cenſuiſſetis, cunctique mutaſſetis, vnguentis oblitus, cum toga prætexta, quam omnes prætores, ædileſque tum abiecerant, irriſit*

ſqualorem veſtrum. Ex quèis perſpicuum eſt, quod etiam notauit Faber in Semeſtribus, Senatores in luctu latum clauum depoſuiſſe, & in veſte equeſtri, ideſt anguſti clauia inceſſiſſe: Magiſtratus depoſita prætexta in lato clauo tantum, Equites ſine clauo. Nollem tamen vir ille doctiſſimus adieciſſet lib. II. cap. X. *Equites anguſto clauo, & annulis aureis abiectis trabeatos ne, an penulatos, an tunicatos, ac forſitan etiam atratos prodyſſe in publicum*. Nam clauum, & annulos aureos depoſuiſſe certum eſt, ceterum neque trabeati in luctu, (in funere Germanici id eius honori datum, vt eadem veſte qua tranſuehebantur vterentur, ideſt trabea) & extra luctum etiam penulati, & tunicati, numquam atrati, nam luctus inſignia erat annulorum, & claui depoſitio.

Sed in plebe, cui nullum purpurei claui ius fuit, quænam veſtis mutatio eſſet, docti quæſiuerunt. Sanè omnes aliquando ciues veſtem mutaſſe, vel Cicero docere poteſt in Sextiana. *Quid enim*, inquit, *quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quàm pro vno ciue, & bonos omnes priuato conſenſu, & vniuerſum Senatum publico conſilio mutaſſe veſtem?* Sunt, qui exiſtiment togam pullam pro alba ſumptam, vt etiam in priuato luctu. Sed dubitare non ſinit eiuſdem Tullij auctoritas, mutationem veſtis factam, poſitis togis ſumendo ſaga militaria. Phil. XIV. *Brutum egreſſum iam Mutina cognouiſſem, propter cuius periculum ad ſaga iſſemus*. Et alibi. *Conſulares togati* (ideſt ſine prætexta) *eſſe ſolent cum ciuitas eſt in ſagis*. Ipſe etiam Dio lib. XLVI. *Igitur neutra conditio approbata eſt, ſed bellum potius iterum Antonio indictum, militeſque iuſſi eum deſerere, aliaque dies conſtituta: ſaga autem omnes Romani etiam ij, qui non proficiſcebantur in bellum ſumpſerunt*. Vbi fortaſſe Dio ad diſtinctionem lacernarum, quæ in Vrbe geſtabantur appellat τὰς χλαμύδας στρατιωτικὰς. Nam chlamydes, ſiue lacernæ etiam extra luctum vſurpatæ, immo tunc fortaſſe in locum togarum inductæ. Libera ergo Rep. numquam lacernæ ſine togis, niſi in calamitate, & periculo, poſtquam togæ cum libertate exceſsêre hæc veſtis mutatio minime ſeruata, nec vllus ſcriptor eius meminit poſt ea tempora. An ve-

ro præter mutationē claui etiam Senatores saga induerent, nō liquet; Videtur id Cicero docere loco laudato. *Consulares togatos esse solere cum ciuitas esset in sagis*; & Philippica IIX. *Equidem P.C. quanquā hoc honore vsi (consulatu) togati esse solent, quum est in sagis ciuitas, statui tamen a vobis, ceteriſque ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione Reip. non differre vestitu.* Reliqui ergo non Consulares in sagis fuere, vel saltem sine togis. Sed & Consulares sagati. Nonnius in *Sagum. M. Tull. ad Cæsarem Iuniorem lib.* I. *Pridie Nonas Februarias cum ad te litteras mane dedissem descendi ad forum togatus, cum reliqui Consulares sagati vellent descendere.* Togam etiam in deprecatione depositam docet Cicero lib. IV. ad Atticum. *Serranus pertimuit, & Cornicinus ad suam veterem fabulam redijt, abiecta toga se ad soceri pedes abiecit: ille noctem sibi postulauit.* Si non ponebatur saltem deijciebatur humeris. Suet. Aug. cap. LII. *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.*

An toga vestis domestica fuerit.
Cap. XXVII.

TOgatos non nisi in publico Romanos fuisse Critici veteres obseruant. Nonius, *Toga sicut in consuetudine habetur, vestimentum est, quo in foro amicimur.* Et antiquissimo quidem tempore non modo domesticum, ac forense vestimentum toga fuit, sed, & diurnum, & nocturnum. Varro de vita pop. Rom. apud Nonium. *Prætereo, quod in lecto togas ante habebant, id enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Mox alia vestis domestica, alia Forensis. Suetonius Vitellio cap. VIII. *Subitò militibus e cubiculo raptus, ita vt erat in veste domestica Imperator est consalutatus.* Idem Augusto cap. LXXIII. *Forensia autem, & calceos numquam non intra cubiculum habuit ad subitos, repentinosque casus parata;* Vbi Forensia vestimenta sunt quæ in foro, siue foris adhibebantur, vt toga, lacernæ, ac pęnulæ; Augustus domi veste domestica indutus in cubiculo tamen

semper togam, & calceos habuit ad subitos casus, vt si egrediendum esset non nisi cum toga conspiceretur. Idem Caligula cap. XVII. *Posteriore epulo Forensia insuper viris, ac pueris, ac fœminis fascias purpuræ, ac conchylij distribuit.* Græci etiam togam stolam Forensem dixerunt. Dio lib. LXI. vbi Neronis insaniam in equos Circenses percensèt tradit ab eo insignes equos victores, & iam senio confectos στολῇ τῇ ἀγοραίῳ ὡσ ἄνδρας τινὰς κοσμῆσαι, stola Forensi ideſt toga non secus, ac homines ornatos fuisse. Lampridius in Alexandro, *Vestes Forenses binas, domesticas singulas.* Quæ nam igitur vestis domestica si toga tantum Forensis? Manutius fuisse lacernam suspicatur; loca tamen scriptorum, quibus id confirmat, nihil aliud ostendunt, quàm loco togæ sumptas fuisse lacernas, & sic eas quoque vestimentum Forense fuisse.

Ego crediderim, domi tantum tunicatos fuisse, ita tamen, vt hyeme pluribus tunicis vterentur quod de Augusto tradit Suetonius; si quis tamen lacernas, etiam domi pellendo frigori adhibitas contendat, non multum repugnauerim: licet, quòd sciam, nullus veterum hoc tradiderit.

Togæ in conuiuijs adhibitæ. Toga submissa. Cap. XXIX.

LIcet toga vestimentum Forense fuerit, conuiuijs tamen adhibitam maxime publicis, ac solemnibus acepimus. Cicero Vatinium reprehendit, quòd in epulo Q. Arrij cum toga pulla accubuerit, cùm tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus albatus esset, ideſt in toga alba. Sallustius etiam apud Macrobium Metelli luxum in Hispania carpens inter cetera ait, *togam pictam plerumque amiculo fuisse accumbenti.* Postremo apud Spartianum, *Adrianus ad cōuiuium venientes senatores stans excepit, semperque, aut pallio tectus discubuit, aut togæ submissa.* Togam submissam viri doctissimi, *quæ sub brachium missa esset*, interpretati sunt; Quòd cum in conuiuio exerto brachio opus esset, consueuisse discumbentes togam, quæ in publico vtrumque humerum operie-

operiebat, ab dextro deijcere, & sub dextro item brachio in læuum humerum congerere: hancque fuisse togam submissam.

Hoc rectè se haberet, si verum esset, in publico vtrumque humerum togâ obuolutum fuisse: quod vt de antiquissimis temporibus non negarim, ita posteriori æuo fuisse in vsu negant statuæ ferè omnes togatæ, quas videre potui, negant veteres nummi, qui dextrum cum humero brachium exertum ostendunt. Negat Quintilianus lib. XI. *Sinus qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur velut balteus, nec strangulet, nec fluat.* Non magis ergo in conuiuijs, quàm in publico, submissa toga fuisset, vtrobique enim sub dextrum brachium missa, & in læuum humerum recurrens.

Quare togam submissam nihil aliud, quam demissam fuisse crediderim. Nam cùm, vt diximus antè ita toga gestaretur, vt exerto dextro brachio, sinistro verò togæ subiecto lacinia eiusdem subduceretur, & contraheretur in rugas: sinistrum brachium hoc modo togæ congestu oneratum nulli vsui in conuiuio esse poterat; Quare qui togati accumbebant, submittebant togam, hoc est partem sinistro brachio contractam defluere ad pedes patiebantur, tum ipsum brachium quod sinui, ac rugis sustentandis occupabatur per superiorem togæ oram, vt & dextrum exerebant, ita vt togæ vtrique brachio subiecta, & demissa, & submissa dici posset.

Cùm igitur mos esset in conuiuo togas cænatorijs mutare, notat Spartianus Hadrianum, vel palliatum, vel togatum accubuisse. Et pallium quidem cum esset apertum, vtrũque brachium excludebat: at togâ clausâ, cum dextrum tantum exereretur, sinistrum contrahendo sinui impeditum esset, vt vtrumque expediri posset, debuit sinistrum extrahi, & sic toga vtrique brachio submitti, quæ inde submissa dicta est. Quod verò adijciunt, palliatos omnes brachium exertos fuisse, palliumque, & togam submissam inuicem respondere, aliàs videbimus: & aliquid diximus cum de Catone Iuridicinæ tempore Græcis fauente disputauimus.

Ceterum Imperatoriæ cenæ nemini licuisse acumbere, nisi togato,

togato, ex Spartiano obſeruatum eſt in Seuero. *Habu etiam aliud omen Imperij, cum rogatus ad cænam Imperatori palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat togam præſidiari ipſius Imperatoris accepit.* Togam præſidiariam dictam volu Interpretes, quam Præſidens geſtaret, quam vocis notati nem, vt feramus, neſcio tamen cur potius *Præſes*, vel *Præ dens* nouo nomine, quam *Cæſar* aut *Imperator* dicatur, & abeo toga potius Cæſaria, & Imperatoria, quàm præſidi ria.

Veſtis conuiualis. Cænatoria. Syntheſes. Cap. XXX.

HAec quidem in epulis publicis, & Imperatorijs: do autem priuatis conuiuijs togas cęnatorijs mutabat quas, & *Syntheſes* dixerunt. Harũ mentio frequens in antiqu ſcriptoribus, precipuè apud Martialem, eaque omnibus o uia. Lipſius in Saturnalibus ſyntheſim fuiſſe tantum diti rum, & lautiorum exiſtimat, & eum ſecutus commentari rum Martialis conſarcinator. Sed quî id probet, non vide Martialem adducit.

Vndecies vna ſurrexit Zoile cæna,
Et mutata tibi eſt syntheſis vndecies.

Deinde quod Suetonius tradit, *Neronem plerumque syn theſinatum prodiiſſe in publicum ſine cinctu, & diſcalceatum.* Se ex neutro fuiſſe tantum lautiorum intelligas. Zoilum quid diuitem fuiſſe, & faſtoſum, quòd magnum ſyntheſium nu merum haberet, quas ſubinde ad oſtentationem inconui uio mutaret: non tamen ſyntheſes tantum a diuitibus ge ſtatas: ſibi etiam eodem epigrammate, licet nec diuiti, nec lauto fuiſſe ſyntheſim dicit Martialis, ſed vnam tantum.

Quare ego non ſudo qui tecum Zoile cæno?
Frigus enim magnum syntheſis vna facit.

Nec quod Nero ſyntheſinatus proceſſerit, ideo veſtis pre tioſa. Nam, & Imperatores togati, & tunicati, ergo vtra que veſtis tantum lautiorum fuit. Idem Nero diſcinctus, & diſcalceatus, ille igitur habitus ditiorum modò fuit. Repre

hendit

hendit eum Suetonius, quod synthesi, ideſt veſte conuiuali ſine calceis, & cinctura viſus ſit, quod poſteà, & alij Principes monſtroſi imitati ſunt. Certè eum circa habitum fuiſſe pudendum idem ſubijcit.

Multo minus ſcholiaſtæ ratio valet, qui ex alijs Martialis verbis id confirmat.

Syntheſibus dum gaudet eques, dominuſquè Senatus.

Fuiſſe ergo geſtamen equeſtris ordinis, & Senatorij. Falsò, Nam poëta ad indicandam ſaturnalium licentiam ait, non ſolum vulgus, ſed vtrumque ordinem poſita toga cum ſynthesibus, ſiue cœnatorijs inceſſiſſe. Idem lib. XIV. *Syntheſis*

Dum toga per quinas gaudet requieſcere luces,
Hos poteris cultus ſumere iure tuo.

Non hic Senatum, aut equites alloquitur, ſed Romanos omnes, qui ſaturnalibus ſyntheſinati, ſiue in Coenatorijs, quaſi eo tempore eſſet perpetuum conuiuium. Quare merito Cariſianum reprehendit Martialis, quod ſaturnalibus togatus incederet. lib. VI. XXIV.

Nil laſciuius eſt Cariſiano
Saturnalibus ambulat togatus.

Seneca ep. XVIII. *December eſt menſis cum maxime ciuitas deſudat* (ſaturnalibus). *Si te hic haberem libenter tecum conferrem, quid exiſtimares eſſe faciendum, vtrum nihil ex quotidiana conſuetudine mouendum: an ne diſſidere videremur cum publicis moribus, & hilarius canandum, & exuendam togam. Nam quod fieri niſi in tumultu, & triſti tempore ciuitatis non ſolebat* (cum ſcilicet ad ſaga tranſiretur) *voluptatis cauſa, ac feſtorum dierum veſtem mutauimus.*

Fuit ergo ſyntheſis communis conuiuantium veſtis etiam viliorum: cuius vſus etiam in municipijs. Idem poëta Hiſpanus. lib. IV.

Duxit, & æſtates Syntheſis vna decem.

Quod tamen poeticè dictum.

Potuere quidem eſſe pretioſiores diuitum, & lautorum, ceterum commune diſcumbentium veſtimentum fuiſſe apparet.

Quale

Quale vestimentum fuerit Synthesis. Lipsij sententia examinatur. Cap. XXXI.

SYntheſim ad inſtar pallij fuiſſe Lipſius exiſtimat, ex Martiale.

Ad menſam venio, ſed ſic diuiſa recumbes,
Vt non tangantur pallia noſtra tuis.

Et Ouid. de arte.

Hæc tamen aſpiciam: ſed quæ benè pallia celant,
Illa mihi cæci cauſa timoris erunt.

Mox. *Hoc tu non facies: ſed ne feciſſe puteris,*
Conſcia de tergo pallia deme tuo.

Catullus.

Pertundo tunicamque, palliumque.

Sed in eo fallitur vir doctiſſimus quod pallium illud, quo apud Petronium Trimalcio, *adraſum incluſerat caput*, Syntheſim fuiſſe exiſtimat: nam illud palliolum fuit, quo mulieres, viri etiam languentes, & delicati caput obnubebant, de quo infra. Veſtimenta cubitoria appellat Syntheſim idem Petronius. *Veſtimenta mea cubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria ſine dubiò, ſed iam ſemel lota.* Vbi fruſtra idem vir doctiſſimus, *Sed ſemel lota*, corrigit, quem ſatis alij refutarunt. Vltimo loco cenſet, Syntheſim fuiſſe lænam quod etiam non omnino verum eſt; Nam licet lænam aliquando conuiuijs adhibitam ſciamus, non tamen ſemper, vt infra oſtendam, neque eadem cum Syntheſi fuit.

Sed quæ Syntheſis forma eſſet, diuinandum eſt. Ad inſtar pallij fuiſſe, vt diximus, cenſet Lipſius. Atqui Xiphilinus tunicam fuiſſe oſtendere videtur; Nam narrans illud, quod de Nerone Suetonius tradit, circa cultum, habitumque adeo pudendum fuiſſe, *Vt plerumque Syntheſim indutus ligato circa collum ſudario prodierit in publicum ſine cinctu, & diſcalceatus*, ait Xiphilinus lib. LXIII. χιτωνιον τι ἐνδεδυκὼς ἀνθινὸν, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων. Vbi Syntheſim tu-

nicu-

niculam appellat. Sed fortasse innuit, Neronem aliquando cum Syntheſi, hîc ſola tunicula indutum proceſſiſſe in publicum. Syntheſim enim a tunica diſtinctam fuiſſe certum eſt, alioqui Romani in conuiuijs, & Saturnalibus tantum tunicati fuiſsent. Idem lib. LXVIIII. de Cornelio Frontone cauſarum patrono qui cum aliquando alta nocte a cęna domum rediret, ac intellexiſset a quodam cui patrocinium promiſerat, Hadrianum ius reddere ἐντετῇ στολῇ τῇ δειπνωτικῇ vterat in cęnatorio amictu ad tribunal acceſſit.

Non aliud igitur dicere poſsumus, quam fuiſse adinſtar pallij, vt vult Lipſius, vel linteam ſindonem, qua inuoluebantur in conuiuio reliquis, vt plurimum, d epoſitis veſtimentis: licet Martialis, & Ouidius *pallia* appellent communi voce, quæ de omnibus veſtimentis accipitur. Sane in antiquis Tricliniorum figuris homines ſeminudi cubant, ſolo linteo, quod fortaſse Syntheſis, ſemiamicti. Atque ita ſindonem, qua *indutus ſuper nudo adoleſcens* ille erat, qui Chriſtum D. à Iudeis captum ſequebatur, quaque relicta nudus aufugit Syntheſim fuiſse crediderim, vel certè veſtem conuiualem, nam ille recens a Cęna Dominica, in qua diſcubuiſse Chriſtum D. certum eſt, & fortaſse veſtimenta de more gentis cęnatorijs mutaſse. Quas tamen veſtes non fuiſse pretioſas (vt volebat ſatis futili coniectura Baronius) oſtendit Caſaubonus exercit. XVI. Fuere & cęnatoriæ muliebres. Pomponius de auro argento legato. *Q. Mutius ait, ſcire ſe quendam Senatorem muliebribus cœnatoris vti ſolitum.* Quę fortaſse colore a virilibus diſtinctę. Martial. lib. X. XXIX.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem
Miſiſti dominæ Sextiliane tuæ.
Et quam donabas dictis a Marte Calendis
De noſtra Praſina eſt ſyntheſis empta toga.

Pretio, quo emereſolebas togam quam mihi natali meo mitteres, emiſti viridem cęnatoriam amicæ.

Fortaſſe Syntheſis eſt, quâ indutum videmus ſenem diſcubi turum in monumento, quod publicauit Vrſinus ad Ciaccon ij Triclinium. Tabula. VIII.



An extra Vrbem togæ vsus fuerit. Togæ etiam in militia. Cap. XXXII.

NOn Romæ modò, sed quacumque Romanum patuit Imperium in pace Quirites togati fuêre Eodem habitu vsi quicumqne Romanis legibus gaudebant. Coloniæ item, & municipia. Tacitus Histor. lib. II. *Ornatum ipsius municipia, & Coloniæ in superbiam trahebant: quòd versicolore sagulo, brachas tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.* Manutius negat socios Pop. Romani toga vsos esse, & tamen honoris causâ mortuos togâ elatos. Verum non socios modo, sed Italos penè omnes toga vsos illud argumento est, quod abijs Romani togas acceperint. Immo Arcades siue Argiuos, Lydos quoque togâ vsos Tertullianus, & Artemidorus docent. Gentes etiam deuictæ simul cum seruitute togam accipiebant. Tacitus in Agricola. *Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Brittanorum studijs Gallorum anteferre, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honos, & frequens toga.* Dio lib. XLVI. de Gallia togata. *Vocabatur autem altera quidem Gallia togata, quod reliquis videretur esse pacatior, quodque* τῇ ἐσθῆτι τῇ Ρωμαϊκῇ τῇ ἀσικῇ ἐχρῶντο ἤδη. *iam tum Vrbanum Quiritium vestimentum vsurparent.* Strabo lib. III. de Hispanis. Et qui hanc formam sequuntur Hispani στολάτοι λέγονται, ἤ τογάτοι. *Stolati, siue togati dicuntur.* Infra de Celtiberis. *Tertius mediterranea regit, atq; continet pacatos iam populos,* καὶ εἰς τὸν ἥμερον, καὶ τὸν Ἰταλικὸν τύπον μεταπειμένων ἐν τῇ τηβεννικῇ ἐσθῆτι, *& mansuetis moribus & cum toga formam indutos Italicam.* Quòd vero socij Romani nominis, honoris causâ efferentur in toga, cum togæ ius non haberent, ex Iuuenale, vt vult Manutius, non deprehenditur. Verba eius sunt.

Pars magna Italiæ, si verum admittimus in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

Ea quidem tempestate tota ferè Italia Romanis legibus viuebat, & ideo togata; Liuius lib. VI. de Tusculanis. *In-*

trantibus fines Romanis non demigratum ex propinquis itineris locis: non cultus agrorum intermissos: patentibus portis Vrbis togati obuiam frequentes Imperatoribus processere. Et lib. XXIV. de Pinario Arcis Ennensis Præfecto. *Cum toga signum dedero, tum mihi vndique clamore sublato turbam inuadite*. Etiam lib. XXIII. de Perolla Campano *cum mirabundus pater quid nam id esset consilij quæreret, toga reiecta ab humero latus succinctum gladio nudat*. Illud tamen eueniebat, vt raro admodum tanquam rure essent, togam induerent, sed sola tunica vterentur. Iuuenalis. *Clari velamen honoris*.

Sufficiunt tunicæ summis AEdilibus albæ

Vbi etiam ipsi magistratus sine toga. Senatus ipse in tunicis. Idem.

— *ipsa dierum*
Festorum, herboso colitur si quando theatro
Maiestas:
Aequales habitus illic, similemque videbis
Orchestram, & populum.

Martial. de vita municipali

O soles! o tunicata quies.

Cic. in Rullum de Capuanis. *Iam vero qui metus erat tunicatorum illorum?*

Aliquando tamen, sed raro togæ adhibitæ, vt in sacrificijs, & officijs solemnibus. Martialis lib. IV.

Egisti vitam semper Line municipalem,
Qua nihil omnino dulcius esse potest:
Idibus, & raris togula est excussa Kalendis.

Vbi raras appellat non quod rarò Linus in Vrbem ventitaret, sed quod Kalendæ, & Idus, quibus municipes ad sacra togati conueniebant, raræ sunt, semel enim tantum in mense veniunt.

Ideo etiam in toga elati: vt Romæ etiam viliſſimi homines. Martial. lib. IX.

Nec pallens toga mortui tribulis.

Quærit etiam Manutius, an togæ vsus in exercitu fuerit. Et Liuius quidem sæpe togarum militarium mentionem facit.

Vt

Vt lib. XXIX. *stipendium eius anni duplex, & frumentum sex mensium imperatum, sagaque & togæ exercitui.* Et fine eiusdem libri. *Vestimenta exercitui deerant; id mandatum Octauio, vt cum prætore ageret. Mille ducentæ togæ breui spatio, & XII. millia tunicarum missa.* Idem Dec. V. lib. IV. C. *Sulpicius Pr. sex millia togarum XXX. tunicarum, & equos deportanda in Macedoniam præbendaque arbitratu Consulis legauit.* Et tamen alibi togas in exercitu visas pro re inusitata ponit. Vel ergo, quod idem existimat, non omnibus militibus togæ, sed tantùm honestioribus tributæ sunt. Vel fortasse dùm statiuis in Vrbibus, ac municipijs attinentur, toga vsi milites sunt, nequaquam in castris. Vel de antiquissimis temporibus Liuius capiendus est, quibus etiam togæ in acie, & prælio vt diximus, & inde ritus præcingendi, & in procinctu, cinctusque Gabinus dimanauit.

Milites etiam Prætoriani, quia in Vrbe, remoto terrore chlamydum fortasse togati; Saltem cohors quæ more militiæ excubabat, vt vult Lipsius ex Tacito lib. I. Hist. *Nec vna cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet.* In reliquis nullus togæ vsus pacemque toga, bellum sago notari quis nescit?

Quando toga in desuetudinem abierit. Aue togatorum. Patroni togati. Cap. XXXIII.

EXutam simul a Romanis cum libertate togam, indicat Suetonius, qui cap. XL. de Augusto loquens ait. *Etiam habitum, vestitumque pristinum reducere statuit: ac visa quondam pro concione pullatorum turba indignabundus clamitans, En, ait*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam

Negotium Aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circoue, nisi positis lacernis togatum consistere. Quæ satis declarant, sub Augusto penè desuetam togam, si officia clientum excipias, & in earum locum lacernas successisse.

Quo tempore ait Lipsius, quique eum sequuntur, togam penes paucos, & quidem honestiores remansisse. Hoc verum

rum est, si loquantur de communi, & continuo togæ vsu; Nam si officia respiciamus, quibus clientes *Aue matutinum* patronis, ac magnis amicis portabant, eosque in forum deducebant, ac reducebant, tunc etiam a vulgo, & vilissimis hominibus toga gestabatur.

Quod togati illud officium peragerent, nimis notum est. Martial.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Atrita veniet sportula sæpè toga.

Iuuenal.

Niueos ad frœna Quirites.

Et alibi sæpissimè. Vbi Vetus Interpres.

In candidis togis officium facientes. Et
Togati ante pedes.

Hinc Martialis togas pro clientibus togatis vsurpat. LIB. cp. VII.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest sterilem quæ curet amicum
E heu quam fatuæ sunt tibi Roma togæ!

Seneca epist. IV. *Vt famen sitimque pellas non est necesse superbis adsidere liminibus, nec supercilium graue, & contumelioſam etiam humanitatem pati. Non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, & expositum: ad superuacua sudatur. Illa sunt quæ togam conterunt, quæ nos senescere sub tentorio cogunt.* Idem de Vita beata cap. XXIV. *Quis enim liberalitatem tantum ad togatos vocat?* Vbi togati non sunt liberi, vt censet Lipsius, licet sequatur, *serui liberi ne sint.* Nam ætate Senecæ cum toga fere penes solos clientes remansisset nullum inter seruos, & ingenuos in habitu discrimen. Sed togati sunt clientes, vt rectius censet Muretus, qui limina potentiorum obseruabant vt deducerent, & reducerent. Quod officium diutissimè Romæ durauit etiam postquam Imperium Bizantium translatum. Nam circa vrbis Præfectos togati officium præstabant. Marcellinus lib. XV. de Leontio Vrbis Præf. qui ad concitatam multitudinem

inui-

inuitis amicis pergebat. *Illuc de industria pergens Præfectus ab omni toga, apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immiteret, & minacem.*

Quod etiam tenuuio res, atq; obscuriores in toga officium illud obirent, vt sportulam lucrarentur, clare idem Iuuenalis.

— *nunc sportula primo*
Limine parua sedet turbæ rapienda togatæ,

Mox.

Iubet a præcone vocari
Ipsos Troiugenas, nam vexant limen & ipsi.

Ergo præter Troiugenas etiam viliores; Hi nempè quos idem indicat.

Quid facient comites quibus hinc toga, calceus, hinc est
Et panis fumusque domi?

Nec multo post

— *caules miseris, atque ignis emendus.*

Alia ad hoc confirmandum attulit Kercoetius in Mastigophoro tertio.

Et quoniam magna pars populi Romani in his officijs occupata erat, non in totum togæ vsus abolitus est. Mane togati salutatores, iidem ante ambulones Regis, deductio, ac reductio togata, vt tota ferè dies vsque ad balnearum cœnæque horam a togatis transigeretur. Atque hinc tam frequens apud Martialem & reliquos eius æui scriptores togæ mentio. Sed an eodem tempore Oratores, & causarum patroni cum agerent, togati essent, non ita certum est. Quintilianus quidem Oratori suo togam dat, eamque morose vsque ad rugas disponit. *Togati etiam Augustorum, & Togati Præfectorum* in antiquis Inscriptionibus, quos aduocatos qui apud Augustum, vel apud Præfectos causas agebant, rectè docti intellexerunt. Huc spectat etiam Taciti locus si tamen sanus est lib. XI. vbi aduocati legem Cinciam deprecantur, quæ pro orando mercedem capere vetabat. *Se modicos Senatores, qui a Rep. nulla nisi pacis emolumenta peterent: cogitare plebem, qua toga enitesceret.* Sic postrema verba corrigit Lipsius, & interpretatur, etiam quemuis e plebe occupa-

cupatum, vt emergeret se, & nitidiore toga enitesceret. Sed correctionum nimius Lipsius est. In veteri legitur *cogitaret*, quod rectum est. Ipse nempe Claudius, apud quem pro se orant patroni, respiceret plebem, siue plebeios patronos, quibus nullum nisi ex mercede causarum emolumentum. Nam etsi Senatores, ac proceres ob causam orandam pecuniam donumue non acciperent, Claudius cogitaret plebem, quæ non nisi toga, ideſt mercede orandi in nomen, ac famam venire poterat. Hoc est *enitescere*, non autem candidiore toga vti. Qui locus indicat, togam aduocatorum propriam fuisse. Liuius lib. xxii. de C. Terentio Varrone. *Vnus inuentus est suasor legis C. Terentius Varro, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus, patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filioque hoc ipso in seruili arte eius ministerio vsum. Is iuuenis, vt ex eo genere quæstus pecunia a patre relicta animum ad spem liberalioris fortunæ iecit, togaque, & forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus, causisque aduersus rem, & famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honorem peruenit.* Quo loco æuum suum respexisse Liuius videtur, quo toga ferme apud patronos in foro, nam tempore Varronis omnes ciues vulgo togati, etiam plebeij, ac sordidi. Fortasse & Seneca lib. ii. de Ira in hoc sensu capiendus est. Nam cum dixisset. *Hæc tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores aduocatos habent?* Subijcit paulo post. *Inter istos quos togatos vides nulla pax est: alter in alterius exitium leui compedio ducitur.* Clarius de constantia cap. ix. *Vt accusatore submisso, aut criminatione falsa, aut irritatis in nos potentiorum motibus: quæq; alia inter togatos latrocinia sunt.* Quem videtur imitatus D. Cyprianus epist. ad Donatum. *Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum.*

Apuleius etiam improbos patronos *togatos vulturios* appellat. Nec alia mens Martiali fuisse videtur lib. vii. ep. 4.

Iure madens, varioq; togæ limatus in vsu
Non lector meus hic Vrbice, sed liber est.

Quod explicant *attrita indutum, toga qua in variis officijs vteretur.*

teretur. Sed cum eum iure coctum, siue madentem appellat, in causis, foroque versatum indicat, & tam officijs quam agendis causis exercitum. Idem Quintilianum *gloriam Romanæ togæ appellat*. Eleganter Ouidius de remedio lib. 1. forum Iudiciale appellat castra ciuilis togæ.

Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes
Da vacuæ menti quo teneatur opus.
Sunt fora, sunt leges, & quos tuearis amici
Vade per vrbanæ splendida castra togæ.

Id etiam indicare Iuuenalis videtur Sat. IIX.

— *tamen ima plebe Quiritem*
Facundum inuenies, solet hic defendere causas
Nobilis indocti, veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluat.

Et tamen idem Iuuenalis alibi videtur causidico togam adimere, lacernas dare. Sat. VII.

— *purpura vendit*
Causidicum, vendunt amethystina

Hoc est, lacernæ purpureæ, & amethystinæ: nam togæ nulla oratoribus purpurea, sed communis: nisi de lato clauo intelligamus, quod fieri non potest, quia non omnes patronil. ticlauij, deinde nullus amethysti vsus in clauo, vt dicemus. Non nisi ergò de lacernis, aut lænis intelligere possumus, quæ togæ injiciebantur. Atqui auctor de causis corruptæ eloquentiæ, qui eorum temporum æqualis fuit, indignatur, togas ab Oratoribus depositas, & earum loco pænulas sumptas. *Paruum*, inquit, *& ridiculum fortasse videtur, quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo vt rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus astricti, & veluti inclusum iudicibus fabulamur?* Hæc verba vellem respexisse, qui eum dialogum Quintiliano adscribunt, qui cum Oratoris habitum describit, solam togam agnoscit, non dissimulaturus illud incommodum, si suo tempore Oratoriæ maiestati officisset. Ceterum etiam Ausonij ævo causidici togati. Parentalibus de Arborio auunculo.

Te sibi Palladiæ anteitulit toga docta Tolosæ

Te Narbonenſis Gallia præpoſuit.
Ornaſti cuius Latio ſermone tribunal
Et fora Hiberorum, quæque Nouem populis.

Et Symmachi epiſt. xxxix. lib. v. *Epictetus togæ forenſis honore priuatus eſt.* Paulo ante eum Cauſidicorum clariſſimum appellat. & lib. ix. ep. xxviii. Ait *Carteſium togæ amicum eſſe*, ideſt ad vocatorum. Ceterum togatos pro Aduocatis a Iuriſconſultis inferioris aeui accipi doctis ad notatum eſt, pluraq; loca congeſſit ad Symmachum Iuretus.

Togas Imperatorum ætate non in totum depoſitas. Cap. XXXIV.

VEterem habitum reducere tentauit Auguſtus vt vidimus ex Suetonio. Tentaſſe etiam Domitianum quidam ex illo Martialis colligunt.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit aſtra patri.

Quod tam Domitianus, quam Auguſtus parentem ſuum Cœlo adſcripſerit. Sed non niſi tentaſſe apparet. Sicut, & Adrianum, qui Senatores, & Equites Romanos ſemper in publico togatos eſſe iuſſit, niſi ſi a cœna reuerterentur; nec ſecùs Antoninum, qui etiam milites togatos eſſe voluit. Tentarunt inquam, nam id haud quaquàm obſeruatum. Apud Gellium Titus Caſtricius diſcipulos quoſdam ſuos Senatores obiurgat, *quòd die feriato lacernis, & tunicis, & Gallicis induti fuiſſent abiecta toga; Adjcit eiuſmodi veſtitum de multo iam vſu eſſe ignoſcibilem.*

Non omnino tamen ſub Imperatoribus, & ab omnibus depoſitam togam præter clientum officium docet Seneca ep. xlix. *Si te hic haberem libenter conferrem, quid exiſtimares eſſe faciendum: vtrum nihil ex quotidiana conſuetudine mouendum: an, ne diſſidere videremur cum publicis moribus, & hilarius cenandum, & exuendum togam.* Igitur extra Saturnalia toga in aliquo vſu erat, quam Seneca quærit an exui oporteat Saturnalibus. Idem ep. cxv. *Mirari quidem non debes corrupta excipi non tantum a corona ſordidiore, ſed ab hac turba quoque cultiore.*

tiore. Togis enim inter se isti, non iudicijs dissident. Iuuenalis item.

Veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos, qui legum ænigmata soluat.

Vbi plebs togata non est minuta, & sordidior, vt volunt Interpretes, sed quæ Iudicijs, eloquentiæ & causis agendis operam dabat, & propterea in togâ. Martialis etiam.

Cum coleret puros pauper Telesinus amicos
Errabat gelida sordidus in togula.

Quæ omnia ostendunt, præter officium salutationis etiam penes aliquos togam remansisse.

In Ludis etiam togam perseueraſſe docet Lampridius in Commodo. *Et contra consuetudinem penulatos iussit spectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus solebat.* Quamquam alij ex Dione *non spectatores, sed senatores* legant. Et Martial. lib. XIII.

Delicium paruo donabis Dorcada nato:
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

Cuius distichi sententiam hanc esse suspicatur Turnebus, Dorcadam in arenam mitti dato a Quiritibus signo vestis iactatæ sinu. Sed mera suspicio videtur, ad quid enim Dorcas dato signo iactatis togis in arenam missa est? Ouidius de alia re loquitur III. Amorum eleg. II.

Fauimus ignauo, sed eum reuocate Quirites,
Et date iactatis vndique signa togis.

In Circo enim iactatis togis ignaui agitatores reuocabantur: vt contra sententiam Casauboni, & Bulengeri rectè statuit Franc. Bernardinus Ferrarius V. C. in libro de veterum Acclamationibus.

Alij Martialem sic accipiunt, quod Dorcadem in arenam missam turba agitare, & venari soleret iactatis togis. Sed quis credat togam venationi adhibitam, aut quis hic modus venandi iactatis togis? Mihi simplicior sensus videtur, Dorcadem, siue damam animal timidum in arenam missum nullo canum terrore, sed sola togarum iactatione agitatum a spectatoribus: Vel quod magis arridet ludicri causa Dorca-

dean ſubiecta toga, & iactata in ſublime miſſam, vt inepto-rum libris factum ſcimus.

Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Sed hæc, & nos ſuſpicamur, & meliora ab ijs expectamus, qui præ ſe ceteros fœnum putant. Vt ad togam redeamus, quam ſublata libertate ſenſim deſijſſe in vſu eſſe diximus, licet ab aliquibus retentam: mihi ſemper illud maximè mirum viſum eſt, ſub Seuero Imperatore, cuius ætate floruit Tertullianus, quomodo adeò in vſu promiſcuo togæ præcipuè Carthagini fuerit, vt reprehenſus propterea fuerit a Carthaginienſibus vir ille magnus, quod a toga, ad pallium tranſijſſet, vt ſcripta Apologia conſilium tueri ſuum debuerit. Si enim tunc Carthagini quemadmodum Romæ in non frequenti vſu toga erat cur ita ciuium oculos offendit Tertullianus depoſita toga palliatus? Nec credibile eſt, cum Romæ ſublatus vſus eius eſſet, in colonia retentum, cum florente Rep. & promiſcuo in Vrbe togarum vſu, rarus admodum in Colonijs, ac municipijs eſſet. Videant docti.

Tunicatus populus. Pullatus circulus. Cap. XXXV.

POſt quam togæ in deſuetudinem abierunt in earum locum lacernæ, ac pænulæ ſucceſſerunt: de quibus infra dicemus; Itaut lacerna, quæ veſtimentum militare erat, in habitum pacis tranſierit, & pænula, quæ viatorium, promiſcuè geſtari ceperit. Quamquam autem varij coloris fuiſſe lacernas oſtendemus, vt plurimum tamen nigræ vulgò, ſiue pullæ geſtabantur. Suetonius loco laudato de Auguſto. *Viſa quondam pullatorum turba, dedit negotium Aedilibus, ne quem paterentur in foro, aut circo niſi poſitis lacernis togatum conſiſtere.* Pullatos appellat, qui cum lacernis erant.

Sed viliores ferme hunc in lacernis colorem amabant. Hinc *pullatum circulum* Quintilianus de populi minuti concione; quod de pænulis docti interpretari maluerunt, cum tamen pullatos lacernatos dicat Suetonius: & frequentior

per

per ea tempora lacernarum vsus, quàm pænularum: etsi non ignorem, hoc vestimentum confundi. Vt vt sit, idem populus minutus, & pullatus, & tunicatus dicitur; si autem pullatus a lacernis, vel pænulis dicebatur, quomodo idem tunicatus; nisi eandem rem lacernam, & pænulam cum tunica facere velimus, quod video doctis viris in mentem venisse. Sed hoc minime ferendum est, & opinio de pænula, quòd eadem cum tunicâ, auctori suo displicuit.

Rectius ergo dixerunt, tunicatum dici de viliſſima plebis parte, quæ nempe sola tunica incedebat, sine vlla lacerna, vel penula, vt apud nos etiam viliſſimi sine pallio incedunt. Quod vt verum est, ita illud negari non potest, hunc populum tunicatum non potuisse dici pullatum, vt passim à scriptoribus appellatur: Nam tunicas fuisse albas non est dubitandum; Ergo albatus fuerit popellus in tunicis, non pullatus. Et tamen maiorem populi partem sellularios opifices, viliſſimæque mercis institores tunicatos incessisse credibile est.

Huic difficultati soluendæ duo sunt, quæ nunc succurant. Alterum est, tunicas viliſſimorum hominum licet albæ initio fuerint, tamen longo vsu tantum sordium contraxisse, vt pullæ viderentur, & hinc pullatam turbam dictam. Sanè vtrumque coniunxit Plinius lib. VIII. epist. *Nonne cum surgis ad agendum, tum maxime tibi ipsi diffidis, tum commutata non dico plurima, sed omnia cupis, vtique, si latior scena, & corona diffusior. Nam illos quoque sordidos, pullatosque reueremur.* Alterum est, quod quemadmodum in locum togarum, quæ albæ, alterius coloris vestes, & maximè pullæ succesſerunt, ita, & fieri potuisse, vt plebs minuta pro tunicis albis, alium colorem vsurpare ceperit pullum nempè ad instar lacernarum, vel pænularum, & ideo pullatam dictam esse.

Christ

Christi Sacerdotum vestem exteriorem Missarum Sacris adhibitam togam fuisse videri. Pænula: Planeta: Casula. Cap. XXXVI.

EXplicatis, quæ ad togam communem pertinebant, non abs refuerit inquirere, num aliquid in nostro cultu sit, quod Romanam togam referat. Et diligenter scrutantibus nulla togæ species in communi vestitu apparet. Nam quas Doctorum togas dicimus, item quêis Veneti ciues induuntur; non togæ sunt, sed talares tunicæ apertæ, & manicatæ quorum nihil in Romanâ togâ fuit. Aliquod modò in sacro amictu togæ vestigium apparet. Vestis nempe superior sacris operantium, quam rudi vocabulo *Planetam*, & *Casulam* appellant, vel toga fuit, vel togæ simillima, eâ nempe forma, quâ olim in vsu erat, nam ætate nostra non parum immutata est. Vetus quippe Planeta totum hominem cooperiebat, atque inuoluebat, ita vt etiam vtrumque brachium cum corpore obuelaret, vt expediri aliter manus non possent, nisi contractâ hinc indem subiectis brachijs, & subductâ ab inferiori parte in rugas, ac plicas planetâ. Quales nunc in antiquis picturis cernuntur, qualesque sunt adhuc Græcorum sacris operantium vestes exteriores, & nos Venetijs vidimus. Paulatim inde a lateribus scindi cepit, credo quia nimis onerosa res esset, donec ad hanc formam ventum est, quâ vtrinque aperta facile brachia excludantur.

Hanc tamen Baronius non togam, sed pænulam fuisse contendit, ad annum LVIII. vbi loquitur de pænula D. Pauli, quam reliquerat Troade apud Carpum. Et primò quidem inclinat animum, vt credat, Pænulam D. Pauli fuisse non vestimentum quale antiquitus itineris, ac præcipuè pluuiæ causa sumebatur, sed potius cum antiquis, vel fuisse thecam, & locutos, queis libri continerentur, vel potius volumen, quod Græcè φαιλονλω habeatur. Rationes quibus id firmare contendit, licet liberum iudicium relinquat, exigui momenti

menti sunt. *Si enim*, inquit, *vestis itineri apta fuisset, non eam suscepto itinere Paulus reliquisset; Deinde potuit sibi aliam Romæ comparare.* Quæ facilè refutaueris: nam, & aliam tunc pænulam habere potuit Paulus, & subito tempore, ac minime hyberno iter habere, vt nihil opus pænula esset: & si aliã Romæ potuit comparare, potuit etiam quam Troade reliquerat curare cum libris a Timotheo ad se perferendam. Nec obstat, quo φαιλόνιὰ in Græco sit, nam φαιλόνης, & φαινόλης pro pœnula a Græcis vsurpatur, vt docti pridem obseruarunt.

Verum ista parum ad rem nostram faciunt. Quod addit Baronius, pænulam dici vestem sacram a Græcis, eandemque a latinis, *Planetam* siue *Casulam*, appellatam, id curatiùs expendendum est. Pœnulam quidem fuisse inter sacras vestes, non negauerim, sed eandem fuisse, ac planetam; hoc est quod fateri non possum. Planeta sic dicta est, vt ipse fatetur Baronius a πλάνης, quod circum errans totum ambiat corpus, quales esse antiquiores ait idem, quæ in Ecclesijs asseruantur, quæ nempe rotundæ, ac per totum clausæ vno circumiectu totum corpus inuoluebant, & vt diximus etiam vtrumque brachium ita, vt nisi a lateribus vtroque pariter brachio subleuari possent. Quare alij Planetas dictas existimarunt, quod eius extrema ora hinc inde in brachia, scapulasque reiecta errabunda defluerent. Et ideo plures eandem vestem *Casulam*, dixêre elegantiâ, quæ eorum temporum propria fuit. Isidor. lib. XIX. cap. XXVIII. *Casula est cucullа, a casa, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa; Vnde, & Cuculla* (hoc ridiculum est) *quasi minor cella.* Adijcit Isidorus Græcè Planetas dictas *quia horis errantibus euagantur, vt & stellæ Planetæ; quæ vagæ suo errore, motuque discurrunt.* Sed corruptus hic locus est, & pro *horis* legendum est *oris*, idest Limbo, & extrema parte, vt scilicet secundum eymon πλανὴς Planeta Græcè dicatur, quia eius oræ errarent, & vagarentur, modo nempè subductae brachijs, modo defluentes, & numquam stabiles. Sic, & sacri glossographi Planetam vestem laxam interpretantur circa humeros, quæ errantibus

oris

oris euagatur. Gemma Animæ. c. CCVII. *Casulam* scribit *omnibus alijs vestibus circumiici, quæ Planeta dicatur quod errabundus Limbus eius vtrimque in brachia subleuetur. Hæc in pectore, & inter humeros duplicatur, in vtroque brachio triplicatur.*

Ex his apparet Planetam, siue Casulam, quæ olim in vsu, vestem fuisse laxam, rotundam, circumclusam, quæ totum corpus inuoluebat, & vtrimque a lateribus in scapulas reijciebatur. Quæ omnia ostendunt togam fuisse, non pænulam; Nam pænula, vt, & lacernæ, chlamydes saga, & reliqua pallia aperta erant, & fibula, vel in humeris, vel in ceruice nectebantur: Casula tota clausa, & toga. Pallia aperta fuisse satis alijs probatum. Pænulam autem etiam pallium fuisse docet Persij Vetus Interpres. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites vtebantur. Pænula palium cum fimbrijs longis.* Præterea Planeta vestis laxior, & rotunda; Pęnula angusta, & corpori adpressa. Auctor de causis corruptæ eloquentiæ, *Quantum humilitatis putamus eloquentia attulisse pænulas istas, quibus adstricti, ac velut inclusi cum ludicbus fabulamur?* Et licet inclusi sub pænula essent, non ita tamen, vt brachia exeri non possent, vt in Casula.

Modum gestandi Casulam diuersum a togæ gestatu fuisse. Lineus amictus. Cap. XXXVII.

TOgam, & vestem fusiorem fuisse, & circumclusam totumque corpus inuoluisse docuimus, idemque antiquorum Planetam præstitisse, vt togam, non pænulam fuisse dicendum sit. Vnum tamen discrimen erat, quod in togâ dextrum brachium, quâ parte patebat ad pectus exercebatur sinistrum sub ipsa toga eiusdem reuectione extollebatur; At quum in Planeta vtrumque brachium subiectum, ex inferiori parte ipsam contrahendo expediebatur. Quod factum opinor quia modestior, & magis verecundus hic habitus fuit, quòdque vt in antiquis picturis apparet, non omnino exertâ nudâque manu, sed veste obuelata res sacræ tangebantur.


Et

Et quoniam non aliter expediri brachia poterant, quam subductâ planetæ orâ, & in humeros reiecta, hinc factum est, vt inter Missarum solemnia, cum Sacro sancta Mysteria eleuanda, & populo ostendenda erant, quòd planeta sic contracta vtrumque brachium deprimeret, ac prægrauaret, vt difficulter attolli posset, Aræ minister posteriorem eius laciniam sublatam sustentaret, quò facilius brachia sacerdos extenderet: quod nunc quoq; seruatur, licet scissâ iam veste, & exclusis brachijs non ita vt olim, opus sit.

Præter Planetam aliud Romanæ togæ vestigium Patauij vbi hæc commentabar, obseruaui, Lineum nempe amictum superiorem sacerdotum, & Aræ ministrorum, quem Cottam vulgo appellant, de quo infrà.

Hęc inquam linea vestis Patauij (nam alibi manicata in vsu est) rotunda est, & clausa, totumque corpus inuoluens, atque vtroque brachio hinc inde subducta in humeros reijcitur, vt in veteri Planeta factum diximus. Hæc olim opinabamur cum nondum pænulæ figuram in antiquis monumentis videre contigisset: decepti etiam clarorum virorum auctoritate qui pęnulam vestimentum apertum esse docuerunt. Sed postquam non vna pęnulæ imago in manus venit mutare opinionem cogimur, vestemq; sacrificantium cum Baronio pęnulam fuisse fatemur. Eius imago suo loco reddetur. Hic veteris casulæ sacrificalis effigiem damus, quam Nicolaus Alemannus V.C. ad Procopij Anecdota exhibuit.

Tabula. IX.



Planetam, & Casulam etiam extra sacra in communi vestitu fuisse. Cap. XXXIIX.

HAud inscius sum, non defuturos qui huic opinioni genuinum frangant, grandeque facinus, & morte piandum dictitent, quod vestem sacrificalem eandem cum veste communi, ac prophana fecerim. Fateor labente æuo quædam in ornatu, cultuque sacrorum immutata esse, quædam etiam ad Iudæorū ritus exacta; Primis tamen Ecclesiæ temporibus in communi veste Liturgiam peractam ausim affirmare; Tunc enim etiam Sacerdotes, & clerici in communi habitu incedere minus inuidiosum putarunt. Veteres quidem Christianos veste cum Ethnicis indiscreta vsos, satis ostendit Baronius Tomo 11. Annalium. Soli Ascetæ, quique vitam superiorem profitebantur, pallium gestabant vesten Græcanicam, & Philosophorum propriam, vnde tot conuicijs prosciſſi sunt. Quod si sacrorum vestes respiciamus, quæ in veteri Sacerdotio fuerunt non multum eas à vulgari habitu discrepare videbimus. Vulgo enim tunc homines in Orbe Romano tunicis saltem duabus induti interiore linea, siue *subucula*, & exteriore ex lana aliaue materia, quæ propriè *tunica* dicta, olim quidem sine manicis, quæ *Colobium*, post manicata, quæ *Dalmatica*. Tunicæ quidam togam inijciebant, quidam lacernam, aut pænulam. Hæc omnia in sacrificali vestitu fuêre. Tunica enim linea talaris, quam *albam* & *Camisum*, siue *Camisam* dixêre: Zona cingendæ tunicæ: mox Dalmatica, quæ postea penes solos Episcopos remansit; Tandem Planeta quam togam, siue togæ simillimam diximus, quam ideo existimo in sacris lacernæ prælatam, quod toga honestiorum esset, & Romæ etiam cum indesuetudinem abijsset in sacris Deorum retenta. Reliqua posteriorıs æui additamenta fuere. De stola B. Iuo Carnotensis de rebus Ecclesiasticis. *Vtuntur & stola, quæ alio nomine orarium vocatur: qua vetus sacerdotium non vtebatur.* Albinus de diuinis officijs. *Sunt tamen alia quæ apud illos* (Iu-

dæos) *non habebantur, vt ſtola, ſandalia, & ſudarium, quod ad tergendum ſudorem in manu geſtari mos eſt, quod vſitato nomine Fanonem vocamus.* Idem. *Mappula* (nos manipulum dicimus) *quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus.* Eandem mappulam *ſudarium* vocat Fortunatus Amalarius.

Scio veteres ad veſtitum Pontificium Hebræorum pleraque exegiſſe, ſed præter tunicam lineam, & quem vocant *amictum*, quem ad inſtar ſuperhumeralis eſſe voluerunt, nihil admodum ſimile reperiemus. Vbi enim apud noſtros *tunica hyacinthina, rationale, cydaris, baltheum, lamina in fronte, fœminalia linea, ſiue braccæ?* Hæ poſtremæ adeo Romanis incognitæ, vt inter barbara tegmina recenſerentur, quemadmodum infra oſtendam.

Sed indecorum videtur, ac minime ferendum, veſtem prophanam ſacris caſtiſſimis adſcribere. Velim mihi dicant, quod genus veſtimenti Pænulam fuiſſe credant. Vulgare, ac viatorium. Atqui eius vſus inter ſacras veſtes a Baronio & ab alijs recipitur, & *veſtis ſacerdotalis* appellatur: Cur pænulam admittunt, togam excludunt, quæ honeſtior, & omnium nobiliſſima veſtis fuit?

Tantum autem abeſt ideo non adhibitam ſacris togam, quia prophana erat, vt etiam Planeta, ſiue Caſula ſacrorum propria, in promiſcuo tamen vſu fuerit. Io: Diaconus in vita S. Gregorij ait, *Patris eius indumentum fuit Planeta caſtanei coloris, & ſub Planeta Dalmatica.* Nec mihi recte facere videntur, qui hinc ſolum arguunt, patrem S. Gregorij fuiſſe in Clero, quod Planetam, & Dalmaticam geſtaret. Nam vt de Dalmatica nihil dicamus, quæ tunica fuit, & quidem antiquitus probroſa: ſi ideo Gregorij Pater in Clero fuiſſe creditur, quod Planetã geſtabat, illud ſequitur etiam extra ſacra eam in vſu fuiſſe. De Caſula Bonifatius ep. 111. cuius locum attulit Cerda in Aduerſarijs. *Litteras, & parua munuſcula tranſmitto vobis, ideſt Caſulam non holoſericam, ſed caprina lanugine miſtam, & villoſam ad tergendos pedes dilectionis veſtræ.* Quam non modo promiſcuus ſed vilis Caſulæ vſus?

hanc

hanc tamen a sacrificali distinctam fuisse apparet. Iuo Carnotensis etiam de rebus Ecclesiasticis. *His omnibus indumentis superponitur Casula, quæ alio nomine planeta vocatur, quæ quia communis est vestis, charitatem significat.* Concilium Ratisbonense Anno DCCXLII. *Presbyteri, vel Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis vtantur ritu seruorum Dei.* Sed totam nostram coniecturam grauissimo testimonio corroboremus licet Vualafridi Strabonis, qui ante octingentos ferè annos doctrina, ac sanctitate floruit. Eius verba sunt cap. XXIV. de rebus Ecclesiasticis. *Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti missas agebant, sicut, & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus autem* XXIV. *constituit sacerdotes & leuitas vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, nisi in ecclesia tantum.* Mox. *Addiderunt in vestibus sacris alij alia, vel ad imitationem earum, quibus veteres vtebantur sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionem* Amalarius Fortunatus lib. II. ep. XVII. *Stephanus natione Romanus ex patre Iobio constituit sacerdotibus, leuitisque vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti.*

Dalmatica. Lacernum byrrhum. Cardinalium Vestitus. Baronij opinio reiecta. Cap. XXXIX.

NOn Planeta modo, & Pœnula olim sacri, ac prophani vsus fuit, sed & Dalmatica. Eam in sacris adhibitam constat, eiusdem etiam extra sacra vsus primo quidem promiscuus, deinde in Diaconis, mox in Presbyteris, tandem in solis Episcopis. Vvalafridus Strabo. cap. laudato. *Et Siluester ordinauit, vt Diaconi Dalmaticis in Ecclesia vterentur. Et primò quidem Sacerdotes Dalmaticis ante Casularum vsum induebantur: postea vero cum Casulis vti cepissent, Dalmaticas Diaconibus concesserunt.* Addit a Romano Pontifice earum vsum alijs Episcopis permissum, alijs interdictum: sua vero ætate omnes pene Episcopos, & nonnullos Presbyterorum sub Casulis Dalmaticas gestasse.

Ergo

Ergo ante Stephani, & Siluestri tempora Dalmaticæ in promiscuo vsu fuere. In actis S. Cypriani. *Idem S. Cyprianus in agrum Sexti perductus, & ibi se lacerno byrrho expoliauit, & genua interram flexit, & cum se Dalmatica exspoliasset in linea remansit.* In quo falluntur, qui putarunt fuisse hunc habitum peculiarem Episcoporum: cum vulgaris esset. Nam byrrhus, siue lacerna communis fuit, Dalmatica item, & tunica linea siue subucula. Nihil igitur peculiare habuit, nisi si forte lacernam magis pretiosam. Multo magis nugantur, qui hebetis esse ingenij dicunt, existimare lineam ibi esse tunicam interiorem, siue Camisiam, nam esse lineũ amictum Episcoporum, quem alij Ephod appellant Ipsi multo hebetiores sunt, nam linea illa verè fuit subucula, in qua exspoliatus superioribus vestibus, lacerna nempe, & Dalmatica Cyprianus carnificem operiebatur: Argumenta quæ contra afferuntur, stipulis leuiora sunt. Quis enim nescit, lineum amictum siue ephod non sub lacerna, & Dalmatica poni, sed tunicæ, & reliquis vestimentis super induci?

Neque me multum auctoritas Baronij mouet, qui illud *lacernum byrrhum* explicat byrrhum per modum lacernæ cõpositum, vt fuerit species quædam lacernæ. Sed byrrhum idem, ac lacernam fuisse Cl. Salmasius docuit. In eo, inquam, non me mouet Baronius, quod Cardinalium vestes ad Cypriani cultum exigit. Haud vidi magis. Cyprianus indutus linea, mox Dalmatica, supra lacerna. *Illi* inquit *post vestem superinduunt lineam, & desuper solutam tunicam, & tantum humeros, brachiaque tegens lacernum byrrhum.* Nihil tale in Cypriano. Lineam habuit, Dalmaticam, & lacernam. At patres purpurati hodiè lineam quidem habent, sed duplicem, interiorem quæ subucula, deinde thoracem, mox tunicam talarem, tum alteram lineam, siue Ephod: postremo loco non tunicam solutam, vt tenet Baronius, sed vel togam, vel togæ persimilem vestem, nam fusa est, & syrmate prodiga, totumque hominem inuoluit. & licet ad pectus aperta, brachio tamen sinistro, vt veterum toga subduci-

ducitur, ac contrahitur, & ideo *Cappa* appellatur, vel quod hominem capiat, vel a capite, cum in luctu ea caput inuoluant, vt in veteri toga; Quod autem humeris super injicitur *Exomidis* species est, siue *cuculli*, qualis simplicior in Monachorum habitu visitur: Ea autem trunca vestis vulgo dicitur.

Sed quid pænulam in sacris fuisse dicemus, cuius mentio in actis Concilij Ephesini, si ea non fuit Planeta? *Misimus tunicam candidam, & pænulam castaneam*; Vbi in Græco vt notat Baronius est φαινόλιον. Ea etiam vestis sacra fuit, quæ licet aperta, & sibula nexa, tamen totum hominem coopertiebat. Hæc vulgi voce *Pluuiale* dicitur, forte quia vt Pænula olim pluuiæ tempore sumebatur, eiusque vsus in supplicationibus, & vespertinis precibus. Eaq; omnino à Casula, siue Planeta distincta, vt propterea non rectè quidam φαινόλιον Casulam interpretati sint, cum Penulam debuissent. Quamquam ex eo quod totum hominē inuoluat, licet aperta, etiam Casula impropriè dici possit. Sed de veste sacrificali, totiusque aræ ornatu alias accuratiùs cum Deo disputabimus. Interim auctarij loco viri doctissimi literas in ea, quæ hactenus disputata sunt ad scribemus.

V. Cl. Ioanni Rhodio Ioannes Fredericus Gronouius. S. P. D.

MIrifice me exhilararunt literę tuæ, Vir Præstantissime quas tanto iam tempore ignarus vestri, rerumque vestrarum nuper admodum accepi. Atque vtinam sciuissem Elzeuiriū aliquid in illas oras mittere; nihil mihi fuisset antiquius, quam vt nuperum illum fętum meæ obseruant iæ obsidem ad vos allegarem. Spero tamen postquam aliquandiu vel moratus fuerit in itinere, vel oberrauerit vēturum, quo est destinatus. Certe amico per multa exemplaria commisi in Italiam curanda, quæ ille partim Nuntij

Apo-

Apoſtolici, partim Veneti Legati Coloniæ hominibus tra-
dita mihi adfirmauit. Nos vero quando Veslingij *lapſa*
externis opobalſama truncis, quando Argoli Circenſes Pan-
uiniani delectabunt? Rara fortuna eſt, hæc ad nos perue-
nire, eique ad ſcribo vſuram Commentarij Ferrariani:
quo viro quod me amari ſcribis, id vero mihi gratiſſimum
eſt. Nimium quantum deſidero Electa promiſſa: eam ſal-
uam mouet de re veſtiaria ſcriptio, cuius lectione me plu-
rimum profeciſſe dicerem, ſi aliquid in literis profeciſſ-
me agnoſcere auderem: Toga mihi viſa ſemper vnum e
difficillimis Romanæ antiquitatis capitibus, in quo necal
ſatisfaciebant, nec ipſe vnquam vt ſatisfacerem mihi ſpe
rauiſore. Sed ingentem lucem & mihi, & materiæ attul
doctiſſimi Ferrarij induſtria, & ſagacitas: cui dum φοίτη
menuper prebui, iterum non ad dies aliquot, ſed menſe
capaciſſimo amictui ita ſum inuolutus, vt ſi Clytæmneſtra
domi haberem, Agamemnonis caſum timuiſſem. Aliqu
tamen extricare me ſum conatus, & πτερόεντα ἐνθυμήμα
deuinxi verbis in chartam coniectis, quæ peius, fateor, pe
rire non poterat, tamen perituræ vtique, quoniam in noſtr
peculio erat, parcere ſuperuacuum duxi. Excerpſi ex aduer
ſarijs inſignia quædam, & ad te mitto (quando hanc libe
tatem datis) vt cum illo communices, & iudicium ab e
ſcriptum, ſi me amatis, impetres. Cupio autem ſincer
& ſeuere tum accipi illa, tum haberi, vt ipſe a malignita
ſum alieniſſimus ζητησιδίων loco ſint, non κυρίων δοξῶν; Qu
re & reuinci gratiſſimum erit mihi, dummodo eruatur ver
tas & antiquitas.

1. Communis recentior habitus dextrum humerum vn
cum brachio exertum habuiſſe haudquaquam videtur. Ide
Quintilianus. *Tum ſinus injiciendus humero, cuius extrema*
oram reiecisse non dedecet. Ideo Curius Fortunatianus. *Sinu*
ab humero pateſt labi. Quod non poteſt niſi de dextro intel
ligi: nam ad ſiniſtrum humerũ nulla pars ſinus pertinet. Ite
rum Fabius ſtatim poſt illa verba. *Operiri humerum cum to*
iugulo non oportet: alioquin amictus fiet anguſtus. Non totum i
gulum

gulum vult vna cum humero operiri: vult ergo ipsum humerum operiri: nam pars iuguli humero plane nudo operiri nulla potest. Præterea Tertullianus ait, *vmbonis ambitum, vnde sinus nascitur retrahi a scapulis*. Est ergo in ipsis scapulis aliquod tegimen, vnde *retrahitur* (non dixit *detrahitur*, vt ostendat aliquid in humero manere) illud circa vmbonem vnde nascitur sinus. Denique veteres statuæ id liquido ostendunt. In illa quam vulgauit Rubenius, & obliquo eo situ, quo dextrum latus contemplandum præbet, & aduerso opertus humerus brachio exserto conspicitur. Eodem habitu vtraque imago in nummo M. Aurelij, nec diuersum significant illa Quintiliani. *Sinus qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus, nec strangulet, nec fluat.* Etenim illa vox *Sinus* nec hodie in textu est, nec olim, cum sententiã suam his verbis efferret, in mente fuit Quintiliani. Aliud autem est, ille veluti baltheus, qui sub humero dextro ad sinistrum latus ante pectus ducitur, aliud pars togæ, quæ dextro humero insidet, vt statim exponemus.

2. Quintilianus. *Sinistrum brachium eousque alleuandum est, vt quasi normalem illum angulum efficiat*. Quem angulum nisi illũ qui fit brachij parte, vel cubito vna cũ manu alleuato? Namque articulus qui medium brachium diuidit, & a quo tota pars inde ad carpũ cubitus appellatur. Plerumque vt ex statuis nummisque apparet, manus sinistra erat decliuis, & molliter propendens: eousque ergo id quod eleuatur sinistri brachij, alleuandum erit, vt articulus ille, quo cubitus a lacerto separatur sit norma altitudinis quam capere oportet manum: non eleuatur vlterius quam angulus ille demisso superiori brachio pertinet. Et ratio præcepti huius est, quia altius eleuando brachium obuertatur cubitus, non manus quod pugilum est. Hinc inferius, quo & prior animaduersio confirmatur. *Sed hæc amictus observatio, dum incipimus: procedente vero actu, iam penè ab initio narrationis, sinus ab humero rectè velut sponte delabitur: & cum ad argumenta, & locos ventum est, reijcere à sinistro togam, dejicere etiam si hæ-*

reat sinum conueniet: læuam a faucibus ac summo pectore ab ducere licet. Ardent enim iam omnia: & vt vox vehementior, ac magis varia est: sic amictus quoque habet actum quendam velut pralii antem. Ait, *sinus ab humero delabitur*, nimirum dextro, ne de sinistro intelligamus, ecce de eo aliud præceptum: *conueniet reücere a sinistro togam*: & rursus de dextro, quod si non delabatur sponte sinus, *si hæreat*, tum & conueniet inde *deïcere*. Aliud est igitur toga in humero sinistro, quam conuenit *reïci* non *deïci*: aliud sinus, qui debet velut sponte delabi, & si non delabitur *deïci* non tantum *reïci*. Atque ita restituendus ex Quintiliano quem ferè describit Curius. *Et deïcere sinum etiam si hæreat conuenit.* Nam *etiã* quod vulgo est, non potest referri nisi ad id quod proximè, *togam a sinistro* itaque sensum facit absurdissimum, quasi ab vtroque humero deijci toga, & ita pectus, ac tergum quasi ad medium vsque nudare delapsa deberet. Tum igitur etiam cum cessat illa prior obseruatio, quia actus est iam quasi præliantis, non opus est vltra, vt angulus cubiti sit normalis, sed licet oblique eleuare læuam manum altius, ferendaque ad summum pectus, & fauces, & vicissim inde abducendo illa quoque gestum facere. Neque enim *lænam* legendum videtur quasi hiemantem oratorem formet Fabius.

3. De duplici sinu nihil mihi lectum apud veteres, verba autem Quintiliani vnde eum viri docti effingunt, male accepta haud dubito. Nonnis; vnus ab illo sinus agnoscitur: alterum illud non dicitur quid sit, sed quod quasi sit, & sic euoluenda oratio: *ille velut baltheus, qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur*. Quæ enim similitudo est inter baltheum, & sinum vt hæc vocabula pro eadem re ponantur? aut quomodo sinus potest instar balthei duci? Nec vero *ille velut baltheus* Fabio aliud est, quam *vmbo* Persio, Curio Fortunatiano, & Tertulliano: sed hunc vinbonem esse sinum æq; iudico absurdum, quã rugas, & plicas esse sinum. An ἄκρον, seu lingua in mare pro currens potest dici etiam κόλπος, siue sinus mare intra terram recipiens? An Trinacriam Insulam a tribus sinibus fas est appellatam dicere?

Nihilo

Nihilo probius *Vmbonem* dicas esse sinum: nam vmbo prominens aliquid est, & extans, sinus retractum, & concauum. Quid quod clare Tertullianus, *ex vmbonis ambitu sinum nasci:* ergo sinus est aliquid extra vmbonem: ergo aliud est, nisi idem est extra se, & idem ex se nascitur.

5. Apud Tertullianum rugas deducere in tilias non est melius quam deducere in fagus aut quercus. In M S. inuenimus *intillis*. Veritas est in promptu: *rugas ab exordio formet, & inde deducat in tabulas*: scribunt compendio tablas, vt *simil* pro *simul*, & talia. Hæc lectio nec pro cul abit a uulgatę veterum librorum lectionis vestigijs, & sensus non tantum apti, sed & necessarij est. Quomodo enim mox, *de ficientibus iam tabulis* quas factas, aut fuisse numquam didiceramus? Non est idem *rugas ab exordio formare*, & *in tabulas* dilatare, ac *deducere*. Abexordio idest vbi primum incipit fieri, & corrugari baltheus, nempe statim de sub ala, aut de sub dextero brachio rugæ formantur. Vbi nondum tabulas esse quiuisse, hoc est rugas latas, sed breues, ac tantum rugas satis manifestum est. Primum igitur ab exordio balthei formantur rugæ, dein prout ille procedit ad pectus deducuntur in tabulas, fiunt latiores, itaut asserum, siue tabularum nomen mereri possint.

6 Quintilianus. *Pars togæ quæ postea imponitur sit inferior, nam ita & sedet melius & continetur*. Progreditur hoc ordine: primum vult togam rotundam, & aptè cæsam esse: dein docet quousq; ante, & post debeat protendi: hinc sinum eius format, mox aliud quiddam a sinu, quod *veluti baltheum vocat*: huic proxime: *pars togæ quæ postea imponitur*. Cui vero? Nempe ei de quo statim locutus est, velut baltheo. Ergo pars illa non potest esse neq; vmbo proprijssime sic ductus; (nam hic cõstruitur in medio balthei ex ipsis baltheirugis, non imponitur) neque ea pars, quæ in siniſtro brachio residet: neque enim potest imponi baltheo, quin totus sinus pereat, & illa cauitas sub imo ventre claudatur: aliasque ob rationes multas. Sed pars illa togæ quę postea structo nempe baltheo imponitur est pars togę descendens an-

re pectus ab humero siniſtro: ea enim ſuffulta baltheo ſub ſiniſtrum brachium procurrente, circa ſiniſtrum pectus ei-dem imponitur, & propendendo modicum ſinum efficit: quod tamen *ſinum* nemo dixit, ne ambiguum redderet vtri illum ſinum, quem in toga agnoſcunt veteres. Atque hoc recte intellexit & notauit etiam Rubenius num. 3. in ſua ſta-tua togata.

7. Quid igitur tandem *ſinus*? quid *baltheus*? Cenſemus ſinum prorie eſſe medium illud inter baltheum, ſiue vmbo-nem, & laciniam maximam earum ſub dextro ventre ge-ſtantis. Ab dextro humero deſcendebat ad ventrem vſque flexo quodam canali: eius vt ſic dicam canalis labrum exte-rius protenditur vſq; ad illas rugas quę laciniam ſeparant a ſinu, & a quibus colligitur in dextro verſus ſiniſtrum ad genua, aut paulo ſuperius ipſe ſinus: interius labrum ſta-tim ſub vmbone ſiue baltheo in ambitu eius interit: nam ſinus ſub pectore naſcitur ex ambitu balthei, quem ſupra ſe habet infra vero circumſcribitur, & finitur rugis quæ di-ſtinguunt ab eo infimam laciniam ſiue oram togæ. Baltheus autē eſt collectio rugarum circa pectus, ſub dextro brachio incipiens, in medio latioribus, & exſtantioribus rugis, vt ſpeciem ſimul tabularum ſibi inuicem ſuperſtructarū ſimul vmbonis referrent in latum infra deſinens in ſinum, in lon-gum porrecta vſque ſub ſiniſtrum brachium, ibique velut nodo contracta, ſic tamen vt nullum poſt tergum eminea. Ab illa autem vmbilici ſpecie & tubere, quod in medio ap-parebat, & totus baltheus dicebatur vmbo, quod patet e collatis verbis Fabij, & Curij. Fabius enim. *Ille qui ſubli-mero dextro ad ſiniſtrum obliq; ducitur velut baltheus, nec ſtrin-gulet, nec ſluat.* Curius autem. *Quid in vmbone? nec ſle-xe, nec ad ſtrictè.* Quis auſit negare de eadem re eos loqui? Neque ſane quidquam aliud Tertulliano eſt *vmbo*, quam Quintiliano *ille velut baltheus*. Porro ab eadem cauſa plen-ori Synecdoche, *candidus vmbo* pro toga pura apud Per-ſium.

8. Sed age veſtiamus togam, & tum ea quę dicta ſunt, tu plu-

pluscula alia parum apud memoratos scriptores intellecta explanabuntur. Illud iam inter doctos consentitur, togam fuisse vestimentam rotundum, & vndique clausum, quod immissum supra caput vno iniectu totum corpus operiret, laxe patentibus in summo faucibus, vt non caput modo, sed & brachium, humerusque dexter, cum luberet, commode posset exeri. Ea sic vestiebatur ex mente Quintiliani, Curij, ac Tertulliani. In sinistro quidem humero per summam oram proprie sustinebatur, post tergum ad poplites vsque dependens, & quia nullas habebat manicas, ima eius lacinia sinistro cubito suspensa, ac suffulta, collectaque in rugas manum habebat exsertam. Summa autem illa ora quæ humero sinistro sustentabatur procurrebat ad dextrum vsq; humerum, eumque quãuis exserto dextero brachio velans illic sinui, & baltheo siue vmboni originem dabat. Sinus ab humero dextro descendebat inflexim ad ima ventris. Nam in communi vsu Fabiani æui non fuisse nudatum dextrum humerum, & ex statuis nummisque apparet, & ex verbis auctorum citatis. Sed & antea Quintilianus. *Illud non ferendum, quod quidam reiecta in humerum toga, cum dextra sinum vsque ad lumbos reduxerunt, sinistra gestum facientes spatiantur, & fabulantur.* Vides sinum reductum ad lumbos, quominus mirere deduci ab dextro humero: quamquam clare in humero sinum locet Fabius, atque eundem retrahi a scapulis Tertullianus tradit. Ergo etiam brachio non tecto, siue exserto sinus summa pars inhærebat humero, & poterat reijci paululum, poterat attrahi ad pectus. Incipiebat igitur sinus ab dextro humero, & ad latus paulatim delabens fiebat laxior magisque cauus, donec ad ipsum ventrem plus in dextrum, quam in sinistrum vergeret, fieret laxissimus, & quasi alueum acciperet. Ab eadem superiore parte, quæ in humero dextro sedebat, interius, & statim sub brachio exoriebatur, & descendebat ille veluti baltheus, cuius collecti circa pectus, & multa contabulatione rugarum, plicarumque constricti vt contineretur, aliquæ extimæ rugæ & plicæ, a quibus nempe incipiebat ambitus in sinum exiens,

præ-

præhendebantur læua manu ſuperiores,& plures mittebantur ſub ſiniſtrum brachium eminentes & obſtantem ibi duplicatam togam propellentes.

9 Hic addidimus duo, quæ ad hoc vſque in veſtitu togæ nemo, quod ſciam eruditorum obſeruauit: prius manu ſiniſtra comprehenſas aliquas extimas plicas vmbonis ſiue baltheï: alterum, ſuperiores, & plures ſub ſiniſtrum brachium procurriſſe, & aliquantulum etiam poſt tergũ prominuiſſe, ſic vt inſtar parui gibbi inter brachium, & latus ſiniſtrũ facerent. Atque illud quidem didicimus ex Tertulliano, qui nihil aliud ſignificat cum ait, qui artifex *vmbonis ambitum ex quo ſinus naſcitur deficientibus iam tabulis in læuum adhuc congerat*: didicimus ex imaginibus quę viſuntur in nummis, veluti illa in Seueri, altera in M. Aurelij, Plautillæ, & Titia Ferrario vulgatis quæ omnes ita læuam occupant. Sed apud Quintilianum manus ſiniſtra libera videtur relinqui, quemadmodum & alterius imaginis in nummo M. Aurelij: & tum quidquid erat rugarum in vmbone, in ſinu ſub ſiniſtrum brachium condebatur, aut laxior cadebat vmbonis ambitus inſinum.

10. Alterum pariter ex Tertulliano deprehendimus qui ſtatim ſubiungit, *in læuum adhuc congerat cum alio pari tabulato in terga deuoto*. Vbi *detorto* legere malim, aut quia in MS. erat *deuoco deuocato*: nam τὸ *at* poteſt videri hauſiſſe particula *Atque* proxime ſequens. Satis euidenter ſignificat (non fuiſſe duos vmbones, ante vnum, poſt vnum quod viſum viro in cõparabili: vnde enim ille poſterga neus? neque enim vel imaginando aſſequi poſſum quomodo eſſe potuerit: ſed) collectionem illam rugarum & plicarum, quę tota inſtar baltheo pectus cingit, & in medio inſtar vmbonis habet (a quo medio vmbilico totus baltheus *vmbo* dicitur, quemadmodum & clypeus ab eadem cauſa *vmbo*: vt in illo *bella vmbone propellit*) productum vſque ſub ſiniſtrum brachium in tergum detorquere, & ibi alium quaſi vmbonem vrgendo partem togæ præter labentem faceret: idem Macrobius, *nodum lateris* dixiſſe videtur.

11. Ne-

11. Neq; enim factum existimo, quæ Tertullianus & Macrobius produnt: sed apud illum certe inuidiæ augendæ causa, & oratorio more de quauis toga pronuntiatum, quæ non fiebant nisi in togis morosissimorum.

12. Antequam hic baltheus Fabij, vmbo aliorum (nam vt sæpius dixi idem sunt, erantque semper in vulgari habitu honestiorum, sed non omnes habebant tam morose constructum) sinistrum brachium subiret, partem togæ a sinistro humero descendentem ad pectus excipiebat paululum infra se pendulam, & protentam. Atque hæc est quæ dicitur Quintiliano, *pars togæ quæ postea imponitur* nempe structo, strictoque baltheo: nec alium designat Tertullianus, cum ait, *partem de læuo promittat* quod tamen explicaretur planius si legeremus, *partem quidem ei de læuo præmittat*, nempe vmboni artifex: visiturque in statuis.

13. Deficientibus infra pectus per latum tabulis, seu rugis, ac plicis nascebatur sinus attracti, ac reuocati ab dextra scapula pars anterior, & maxima, nempe magnum illud ad ventrem cauum quod deinde aliquot rugis, & plicis ab ima lacinia distinguitur.

14. Duabus tamen occasionibus obseruaui etiam in vulgari hoc amictu baltheum illum dilabi, ac resolui passos: vna si quando accumbendum esset togatis, idque *togam submissam* videtur dixisse Spartianus Hadriano. *Ad conuiuium Senatores stans excepit, semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa.* Certe vt sub brachium missam intelligamus proprietas vocis vetat: nemo enim submittere simpliciter, pro sub brachium mittere dixit, sed *submittere* & demittere, vt *submittere vultum, submittere crinem.* Toga igitur submissa esse videtur baltheo eius circa pectus resoluto, ac diffluentibus rugis plicisque. Sic cómodius liberiusq; in cubitum se reponebant, & mole illa tabulati soluta, vtique ad cænandum expeditiores, & de amictu minus solliciti erant. Nam idem obseruatum doctis, mensam Imperatoriam participasse fere togatos ex Spartiani Seuero. *Habuit etiam aliud omen Imperij, cum rogatus ad cænam Imperatoriam palliatus veniisset,*

qui

qui togatus venire debuerat, togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit. Casaubonus optimè: quam præsidens gestaret. Sed obscure, quando enim præsidere dicitur Imperatorem? Docet Sueton. in Claudio. *Gladiatorio munere quod simul cum fratre memoriæ matris edebat, palliolatus nouo more præsedit.* Et Domitiano. *Certamini præsedit crepidatus.* Toga igitur *præsidiaria* quam gestabant præsidentes muneribus, & ludis: nempe quia communi ad quotidiana ipse vtebatur imperator, & requirentibus aliam ista prima obuenit, & in promptu fuit.

15. Altera causa laxandi balthei mollities erat. Vnde Tibullus 1. eleg. 6. *effluit effuso cui toga laxa sinu.* Hoc est non stricta ad pectus sinu persuperioris balthei contractas rugas coercito. Et is habitus monstratur in prima figura p. 5. & 45. vbi nullus plane baltheus, vt alias pectus stringit, nec apparet illa pars quæ baltheo imponitur; illud autem vnde formatur baltheus laxo quodam volumine pendet, ac fluit sub dextro latere infra balthei locum. Atque vt omnia fluxa sint, ac soluta vt pote in personis τῶν τρυφώντων, & amantium ne dextra quidem humerus tectus apparet, sed negligenter omnino hæret toga.

16. Hac mollitie siquis incederet, eum laciniam togæ traxisse non miror ego, immo pene necessarium est. Atque id cum noster Macrobius siue errore memoriæ, quod in tunica notauerunt alij, at siue suos secutus auctores in toga Cæsaris reprehensum narrat; quod *ita toga præcingeutur vt torabendo laciniam velut mollis incederet.* Hoc est vt male colligeret baltheum, siue vmbonem togæ, quam vt stragulare non debere, ita nec fluere præcipiunt Quintilianus, & Curius.

17. Illud quoque dignum consideratione, quod ait Fabius. *Pars eius prior medijs cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius quam cinctura.* Vult autem Rhetor, togam ante tunica demissiorem, post eadem, qua ima tunicæ ora altitudine esse. Scribendum est; *posterior eadem portione altius qua cinctura.* Hoc enim iubent verba κατ' ἔλλειψιν tacita,

ta, & intelligenda *medijs cruribus optime terminatur*. Posterior pars eadē portione altius medijs cruribus optime terminatur, qua portione altius medijs cruribus terminatur cinctura. Dixerat autem prius *ita cingatur vt tunicæ prioribus oris infra genua paululum: posterioribus ad medios poplites vsque perueniant: nam infra mulierum est, supra centurionum*. Ergo & ad medios poplites toga, non inferius nec superius, post tergum prouenire debet, nam hactenus altius medijs cruribus optime cinctura terminatur.

Frederico Gronouio V. C. Octauius Ferrarius. S. P. D.

MVltum tibi debeo Vir Doctissime, quod non modo ad nugas meas oculos flexeris, sed etiam dignas putaris, in quibus ingenium exerceres, in his, quas ad Doctissimum Rodium pridem dedisti. Quibus ego tarde imò penè iam fero longa hac pertinaci valetudine corpus, animumque fractus aliquid leui brachio reponam. Non quod mea tanti faciam, vt mordicus tueri velim, sed si aut breuior aut obscurior fui, quam par erat emendem, & expleam.

Communi Quiritium habitu dextrum cum brachio humerum exertum non fuisse credis. Sed id nummi veteres quorum non exigua apud me copia, tum statuæ omnes quas Venetijs vidi, quasque Boissardus dedit id manifeste euincunt. In nummis præcipuè Adlocutiones omnes, Congiaria, Restitutiones prouinciarum, quæ plurimæ in Adriani numismatis hunc habitum repræsentant. Illud quidem verum est, non omnes ita exertum humerum ostendere, vt tota etiam dextera scapula vsque ad lumbos renudetur, quod in magna tum nummorum, tum statuarum parte videre est. Nulla tamen adhuc visa mihi, quæ totum opertum dextrum humerum habeat, nisi inqua etiam brachium toga contineatur, cuius causam in Commentario attuli. In tota nummaria suppellectile argenteos duos obseruaui, alterū

Augusti, in cuius auersa parte C. & L. Cæsares eius nepotes cum clypeis & hastis puris ab equestri ordine donati, quorum alter brachium toga cohibet, alterum exerit, quod me dubium reddit cur ita factum sit: nam si tyrocinij causa vterque eodem cultu esse debuisset. Quidquid sit alter argenteus est M. Antonij inquo ipse vt Augur velato brachio lituum gestans, quam dedi pag. xix. Cæterum quotquot vidi vel superiorem tantum humeri partem e intactam habent, idque pauciſſimi, reliquæ omnes figuræ totum cum brachio humerum, & bonam scapularum partem exertam ostendunt.

Negas id Quintiliani ætate factum. Atqui ipse tradit veteres more Græcorum veste brachium continuisse, ergo ipsius æuo exerebatur. Quomodo autem exeri velato humero commode potuerit non video, etiam si nullæ statuæ aut nummi id ostenderent. Immo nonnisi exerto humero, ac brachio sinus in toga efficiebatur. *Nam veteribus* inquit *Rhetor, nulli sinus: per quam breues post illos fuerunt. Itaque etiam gestu necesse est illos in principijs vsos esse alio, quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur.* Sed nos de præsentibus loquimur. Cur nulli, aut per breues veteribus sinus? quod brachium more Grecorum veste cohibebant: siue non exerebant.

Exerto humero, ac brachio quod tunc fiebat, pars togæ, quæ olim brachium, & humerum velabat delapsa, & brachio subiecta, cadensque in pectus sinum efficiebat. Quid clarius ijs verbis? *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur velut baltheus.* Paulo ante dixerat *sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior.* Subijcit. *Ille* (ideſt sinus) *qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur.* An potest pars togæ esse sub dextro humero, & humerum velare? Nullus cohibito brachio *sinus*, qui exerto fiebat. Cum ergo addit *humero sinum injciendum* de dextro accipi non potest. Vt quid enim injceretur, si tectus humerus erat? deinde quis credat partem togæ posteriorem ad scapulas sinum appellari? Nec aliter injci poterat,

terat, quam reducto intra togam brachio, quod sinum penitus destruxisset. Sinus ergo hoc est pars togæ, quæ sinistrum humerum, brachiumque velabat, cum sæpe delaberetur, & humerum renudaret erat humero injicienda, & sedi suæ reddenda. *At si* inquit Rhetor, *incipientibus, aut paulum progressis decidat toga non reponere eam prorsus negligentis aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est.* Quod ait Curius. *Sinus ab humero potest labi.* Quare & illa, *operiri iugulum cum toto humero non oportet, alioqui amictus fiet, angustior,* de sinistro pariter capienda. Vult enim partem togæ quæ humero labebatur reduci in humerum, eumque velari sed non cum eo etiam iugulum, ne angustior fieret amictus, & strangularet magis ita coniecta, quam operiret. Quod puto innuisse Tertullianum cum ait, *a scapulis retractum umbonis ambitum*: nam dilapsa in brachium sinistra togæ parte, & renudatis scapulis, retrahendum posterioris umbonis ambitum, vt sinister humerus iterum operiretur. Vel si aliud intellexit parum ad rem nostram, qui vulgares habitus exequimur, & non quos ille Rhetorice de suo commentus est. Quare non modo pars sinus ad sinistrum humerum pertinebat, sed nihil aliud sinus superior fuit quam pars togæ quæ dextro brachio subiecta ad sinistrum humerum recurrebat, extrema eius parte ad pectus cadente, quam sinum vult esse decentissimum. Quintilianus, *si aliquando supra imam togam fuerit*, idest non vltra togæ oram inferiorem protendatur, quod aliquando eueniebat in togis laxis, ac fusis, quarum sinus longiùs fluebat, contra in angustis breuior etiam cadebat.

Rubenij librum videre non contigit, etsi magna cura cõquisitum, quem si isthinc, aut aliunde opera tua impetrarem beneficium agnoscerem, eiusque mentionem in secunda editione non inuiderem. Porro licet vox *sinus* in verbis illis Quintiliani non extet, *ille qui sub humero dextro ad sinistram obliquè ducitur veluti baltheus*, certe intelligitur ex precedentibus: *sinus decentissimus si aliquando supra imam togam fuerit*. Quid enim illud est per fidem tuam *quod veluti bal-*

theus? non aliud quam sinus. Superioris sinus duplex pars; altera quæ subiecta humero brachioque dextro oblique recurrebat ad sinistrum humerum hominemque cingebat vt baltheus, altera quę ab ipso baltheo cadebat in pectus, & infra, qui de centissimus sinus erat, si tamen non esset ima togę ora inferior. Hæc omnia exertum cum brachio humerum fateri cogunt.

De angulo normali satis in commentario dictum, neque explicationis adhuc pœnitet. Normalē illum angulum non brachij situs ac motus, sed duplex togæ ora brachio subducta efficiebat, vt videre est in ipsa figura. Verba illa *sinus ab humero delabitur* de sinistro accipienda diximus. Quî enim in dextro esse poterat, si nihil aliud erat quam togę pars dextro humero subiecta, quæ si reduceretur in humerum, brachiumque retractum operiret, destruebatur sinus, ergo sinus qui procedente actu delabebatur humero sinistro injiciendus. *Cum vero ad argumenta, & locos ventum erit, reijcere a sinistro togam, deijcere etiam si hæreat sinum conueniet.* Quod ita interpretor: sinistro brachio reducere togam a pectore; Quoniam autem pars illa sinus superioris, quæ vt diximus a baltheo cadebat in pectus aliquando a parte togæ inferiori, quæ brachio subducebatur, impediebatur, quominus recte caderit, & ideo hærebat, si hæreret deijcere conueniebat, hoc est reiecta in sinistrum parte togæ quæ contrahebatur sinistro brachio, sinui locus faciendus, vt in pectus descenderet.

Non ausim autem contra omnium librorum fidem læuo consilio *lænam* mutare in *læuam*. Quasi dum inciperet Orator, & procedente actu sinistram summo pectori, & faucibus ad presserit, gestu per absurdo, quique totam amictus rationem perturbasset; Nec nisi cum arderent omnia licuerit læuam inde abducere. *Lænam* igitur, cum eius vsum anni tempestas daret, & a faucibus, & a summo pectore abducere licebat de qua veste nō pauca diximus, & plura fortasse alias dicemus.

Duplicem togæ sinum cum Quintiliano agnosco, nec alius

alius vnquam aliter eius verba accipiet iam toties adducta: *Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur veluti baltheus, nec strangulet nec fluat.* Quomodocumque Oratio euoluatur aliquid reperiendum erit, quod baltheo simile sit, quodque veluti baltheus ducatur. Quid autem nisi sinus? Nam quemadmodum baltheus militaris cingebat pectus, sic sinus ille brachio subiectus ad istar cinguli hominem circumdabat, non quidem recte, vt baltheus, sed obliquo ductu, quia ad sinistrum altior, demissior in dextro erat. Immo Quintilianus duplicem sinum superiorem videtur statuere: alterum, qui cadebat in pectus, pars scilicet togæ quæ subiecta humero dextro e baltheo euoluebatur, & reflectebatur, ac descendebat ad inferiora, qui decentissimus tamen si superior ima togæ ora fuisset: alterum, baltheum ipsum, rugas scilicet constrictas, & coactas, quæ de sub sinistro brachio ad sinistrum humerum recurrebant; Non tamen vt duplex sinus fuerit, sed duas partes habuerit; de sinu inferiori mox dicam.

Quod ad *baltheum* pertinet esto *baltheus* Quintiliani fuerit quod Tertulliano, & Macrobio *umbo* dicitur; Si vmbonem in togis communibus intelligamus sinum rugis, ac plicis fortuitis protuberantem, conuenimus. Sin vero *nodum illum*, & *artificem contabulationem* quam Oratorie, ne dicam poetice confinxit Africanus ille, in communi toga nec fuit, nec erit vnquam. Alioquin Quintilianus alias in cultu ordinando morosus non preterijsset, & veterum aliquis tetigisset, aut nominasset saltem. Nam Rhetor fortasse magis proprie *vmbonem* dixisset, quam *baltheum*. Solus Persius poetice *vmbonem* dixit, tumentes sinus rugas. Non ergo a sinu distinctum fuisse in vulgari toga contendo, nec aliud fuisse, quam rugas, & plicas vtriusque sinus, tam illas quæ de faucibus ad sinistrum bracchium cadebant, quam quę de inferiori toga eodem brachio subducta cogebantur. Quod ex Persio manifestum est. Is enim *candidum vmbonem* appellat togæ puræ deposita prætexta.

In

In prætexta candidus esse non poterat, sed purpureus, siue purpura distinctus. Ergo extrema togæ ora, quæ sola purpurâ prætexebatur pars vmbonis erat, ea scilicet, quæ brachio sinistro ad pectus subducebatur; Nulla in sinu superiore purpura, aut alibi quam in ima ora. Quare si prætextatus quis sinistro brachio togam demisisset purpureus vmbo non fuisset. Quæ clare euincunt vmbonem etiam ex rugis inferioris sinus fuisse confectum. In vniuersum ergo brachio intra togam cohibito nulli sinus fuere, nullę rugæ, quales antiquissimorum togæ: brachio dextro, atque humero exerto togæ pars superior, quæ dextrum humerum, dextramque pectoris partem velasset si brachium non exereretur a faucibus deiecta cadebat in pectus, nec cadere poterat nisi complicata in rugas, hic *sinus superior* fuit, ad has rugas aliæ accedebant, quas nempe togæ ima ora brachio subducta reddebat, qui *sinus inferior*, vtrarumque rugarum aggestio, ac conglobatio protuberans clypei vmboni similis erat vnde *vmbo* Persio dictus est. Tertullianus cum Macrobio lasciuit, & vaticinatur.

Neque tamen hinc sequitur, promontorium, atque excurrentem in mare linguam sinum esse. Quis sanus id dixerit? Veteres *sinum* dixere quod inter brachia ad summum pectus intercipitur, vnde, & recessus litorum, in quos se mare insinuat *sinus* appellarunt: ita & sinum vestium dixere quodcumque partem illam corporis tegeret, tunicæ, togæ, chlamydis; Quemadmodum ergo multa in sinum condebantur, quibus licet ille turgesceret, & inflaretur, non tamen sinus esse desinebat: ita & togæ sinus, quamuis in rugas, & plicas conuolutas turgesceret in vmbonem sinus remanebat, & inde etiam vmbo dici poterat. Nisi vero apud Horatium *Ferre nuces sinu laxo*, ille sinus non fuit quod nucibus distentus esset, apud Senecam in Tragędijs *onerato sinu aliquid ferre*, male sinus dicitur, quod intumesceret, aut minus proprie velorũ tumentiũ sinus appellatur. Quid verbis opus est? quis vnquã in togis vulgaribus *sinum*, *rugas*, *vmbonem* distinxit? Quomodo autem Tertullianus

togam

togam, eiusque *umbonem* in *tilias*, vel *taleas*, vel *tabulas* distinxerit, atque operose concinnauerit intelligere, atq; explicare non fuit nostri instituti, qui communes togas exequebamur, & vtinam in eo viri doctissimi feliciter ad laborarint.

Veniamus ad *sinum inferiorem*, quam licet veteres non nominauerint, eum tamen Suetonius agnoscit tam clare, vt ne dubitationi quidem locus relinquatur. Eius verba sunt de Iulij Cæsaris nece cap. LXXXII. *Vtque animaduertit vndique se strictis pugionibus peti toga caput obduxit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit*. Partem nempe sinistro brachio subductam ad pedes deiecit. Nam quomodo superior sinus deduci, & velare crura potuit? ergo sinus alius præter superiorem. Liuium etiam de inferiori togæ sinu capiendum existimo l. XXI. *Tum Romanus sinu e toga facto. Hic inquit vobis bellum & pacem portamus: vtrum placet sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter; Daret vtrum vellet succlamatum est; & cum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt*. Non aliter sinum facere legatus potuit, quam subducta iam sinistro brachio togæ parte, dextra manu dextram togæ partem ad pedes fluentem eleuare.

Restant illa expendenda. *Pars togæ quæ postea imponitur sit inferior*. Nempe togæ pars sinistro brachio subducta ita aptanda fuit vt sinum superiorem non obtegeret, aut obrueret, & ideo infra eum aptabatur, sicque hærebat melius. Nam si protuberante sinui imposita fuisset, facile defluxisset. Postremo. *Illud non ferendum, quod quidam reiecta in humerum toga, cum dextra sinum vsque ad lumbos reduxere sinistra gestum facientes spatiantur*. Sinistrum brachium sustinenda toga occupabatur, & ita minus commode ad gestum adhiberi poterat. Quidam ergo vt eo expedito vterentur in actione, primo togæ partem inferiorem in humerum reiiciebant, deinde ne sinus superior impedire posset eum dextra ad lumbos vsque reducebant, & sic libero, atque expedito brachio sinistro gestum faciebant, quod improbat Rhetor. Illa quæ sequuntur. *Itaque vt lauam involvere to-*

ga,

ga, & incingi penè furiosum est: sinum vero indextrum humerum ab imo reijcere solutum, ac delicatum, sunt adhuc peius aliqua: ita cur laxiorem sinum sinistro brachio non subijciamus? Nam toga læuam in voluere gestum fuisse se ad prælium componentis, vt & reducto ad tergũ sinu eodem se cingere, quod antiquissimi fecerunt, qui inde *præcincti, cinctusque Gabinus*, alias notauimus, quare vtrumq; agere furiosi esse Quintilianus dixit. Cur autem sinum indextrum humerum ab imo reijcere mollis fuerit, ac delicati non satis percipio, illud tamen indicat non fuisse opertum humerum dextrum sinu, inquem eundem sinum reijcere soluti, ac delicati esset. Subijcit *non esse indecorum laxiorem sinum subijcere brachio sinistro*, quod sic Orator esset expeditior. *Habet enim* inquit *acre quiddam, atque expeditum, & calori, concitationique non inhabile. Cum vero magna pars est ex hausta Orationis vtique afflante fortuna penè omnia decent, sudor ipse, & fatigatio, & negligentior amictus, & soluta, ac velut labens vndique toga.*

Ceterum leuam manum comprehendendis extremis vmbonis plicis fuisse occupatam cuiquam obseruatum non memini, neque id nummi a me vulgati indicant, in quibus vt in statuis videre est rotundum quid læua gestatum, siue illud volumen, siue aliud fuerit. Quod ad *tabulatum in terga deuotum* vt loquitur Tertullianus, attinet, licet antea præfatus sim nihil illa ad priuatum habitum pertinere, cum tamen etiam posterior togæ pars ab humero ad lumbos cadens in rugas, & plicas conuolueretur non ita absurdum videtur etiam illam partem *vmbonem posterganeum* ab audaci declamatore dici, sicq; summum virum ab eius mente non longe abijsse.

De *toga sub missa* non est dubitandum, quin pars sinistro brachio subducta in conuiuio deiecta sit, & sic sinistrũ quoque brachium exertum: nullo periculo ne toga discumbentis ad pedes laberetur. Primo quia si submittere est demittere toga demittebatur: nam quis credat togatos vno tantum brachio in conuiuio vsos sinistro togę congerie onerato? quomodo autem baltheus delabi in conuiuio posset

& re-

& resolui non video, cum semper pars eius sponte ad pectus, vel infra caderet, prout laxior, vel strictior toga, nisi *nodum illum artificem* Tertulliani comminiscamur. Qua ratione illæ balthei rugæ, ac plicæ in incessu & actione continebantur ne fluerent, in conuiuio soluebantur?

Mirum etiam est *togam Præsidiariam* dictam, quam Imperator gestaret, cum muneribus præsideret. Quid peculiare habuit ea toga? sane nihil. Cur autem eam mutaret Imperator discubiturus, vel cur potius præsidiaria diceretur, quam forensis, aut senatoria? Præsidiaria est Imperatoria, quod Imperatores Præsides dicerentur iam inde ab Augusto. Sic Plinius l. VII. cap. XVI. *Augustum Præsidem vocat*. Quare verba illa *ipsius Imperatoris* ex glossa inrepsisse crediderim.

Dixi maiores, minores ve sinus iuxta togæ mensuram fuisse. Tibullus. *effluit effuso cui toga laxa sinu*. Macrobius defendi non potest, qui ait *Cæsarem traxisse laciniam quod fluxiore cinctura uteretur*, quæ nulla in toga fuit. Verba illa *Altius quam cinctura, an* sint interpolanda viderint docti: ego vt verum fatear nec correctionem, neque interpretationem satis capio. Sententia videtur. Togam ante ad media crura dimitendam, retro paulo inferius ipsa tunica, quę ad medios poplites, vt idem sit *altius quam cinctura*, demissius, atque inferius. Quemadmodum supra dixerat de tunica. *Latum habentium clauum modus est, vt sit paulum cinctis summissior*: ideſt tunica quę cingebatur, vt eadem res sit cinctura, & ij qui cincti sunt.

Hęc strictim, quę in secunda editione curatius examinabuntur. Vale vir doctissime & me tui obseruantissimum ama.

V. C. Octauio Ferrario Ioannes Fredericus Gronouius. S. P. D.

MVltum debeo tibi, Vir Celeberrime, de copiosis, & humanissimis literis tuis. Non dubitabam ζητησέιαι nostra ingenij tibi in nostrum vsum exercendi occasionem

fore, ſiquidem paucas horas tuis ſtudij decerpi paterere? Cui deſiderio meo quòd indulſiſti gratias tibi pro eo ac debeo ago maximas; quod ad ipſam rem pertinet, hic tuus eſt campus in quo exultanti tibi plaudere quam certare paratiores ſumus. Ergo & poſteriorem partem operis tui mirifice expectamus, nec minus Electorum libros, non dubij, quin multa præclara & ſcitu digniſſima tibi ſimus debituri. Vides quam pauci hodie ſerio literarũ negotium agant, & eo iudicio, quo oportet in ſcriptoribus antiquis, & explanandis, & reſtituendis verſentur. Et tamen verum erat, quando ex illa præſtantiſſimorum ingeniorum, & monumentorum vbertate tam parum nobis reliqui fecit ſuperiorum ætatum incultus, ac fatalis barbaries, nos operam dare, vt quod tamen ſuper eſt, quam fieri poteſt, purum, & liquidum haberemus. Quum præſertim fruſtra aliquid elegantiæ gratiæque in noſtris qualibuſcumque ſcriptis fore ſperemus, niſi veterum res, mores, ſenſus, & linguam cognouerimus, neque hæc ipſa, niſi ex probis, & caſtigatis libris hauriantur, tuto imitari, ac reddere poſſimus. Quare mihi ſemper optime ſunt viſi de cõmunibus ſtudijs mereri, qui ſcrutari, & tradere antiquitatem, eiuſque auctores faciliores, & ſaniores reddere conarentur. Atqui etſi perſæpe in lubrico conſiſtant, perſæpe, & titubent, & cadant, neque quiſquam adeo fuerit εὔσοχος, vt non aut temeritate interdum, aut incuria peccarit: tamen interim & plurima tutis illis, nihilque audentibus inuiſa eruunt, & plerumq; ſubnaſcitur alius, qui peccata priora animaduertat. Sic altera parte plurimum boni præſtant ipſi, altera ſequentibus præſtandi anſam præbent. Sed hęc tu dominoſti, neque ego alia de cauſa ingero, quam vt me conſilium tuum magnopere probare, teque ad pergendum hortari agnoſcas. In quo et ſi nimis leuis mea, fateor, eſt auctoritas: tamen & ſummis plerumque viris popularis plauſus, vt non quæritur, ita nec ſpernitur, & gratus accedit. Quid autem (ne nunc quoque non aliquid miſceam ſolemnium nugarum) videtur tibi de loco auctoris ad Herennium lib.

IV. C. III. *Quod si quis ad Olympiacum venerit cursum, & stetérit, vt mittatur, impudentesque illos dicat esse, qui currere cæperint, ipse intra carcerem stet, & narret alijs quomodo Ladas, aut Boius cum Sicyonijs cursitarint.* Turnebus enim insciturn, & nugatorium hic exprimi sensum ait: neque enim cum populis cursitatum, sed cum certatoribus: rescribit autem, *aut Boiscus Sicyonius*. Et habet qui eum sequatur Lambinum, & Gruterum. Quid quæris? tantos viros non vidisse, non *Sicyonios* hic populos, sed sicyonia ὑποδήματα intelligi: de quibuis Lucretius: *pulchra impedibus sicyonia rident*. Et Cicero in I. de Orat. *calceos sicyonios*. Genus autem loquendi est quale Ciceronis in Antoniana: *Cum Gallicis, & Lacerna cucurristi*. Et huius Cornificij hoc libro propius finem: *venit iste cum sago gladio sucinctus*. Sane *Boius* non videtur Græcum nomen, & forsan melius sit *Bæus*, quod Fuluio Vrsino placuit, aut *Bolis*, quod vt nosti est nomen viri Cretensis apud Polybium. De quo vt & de hoc toto arbitrium tuum esto. Vale vir Clarissime, & me ama. Dauentriæ prid. Kal. Maias MDCXLVI.

Finis Libri Primi.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA LIBER SECVNDVS.

De Prætexta. Cap. I.

TOGAM prætextam Etruscæ, vt Plinius censet originis, ita appellatam satis constat, quod in extrema ora limboq; purpuram prętextam siue circumtextam haberet. Greci περιπόρφυρον dixere. Eam puerilis ætatis, sacerdotum, magistratuum, eorum item qui magistri Collegiorum, ac vicorum essent, peculiarem fuisse, viri doctissimi ostenderunt, quos non transcribo. Quintilianus Declamat. CCCXL. *Allego vobis etiam ipsum illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem*. Eandem tam a pueris, qua a puellis gestatam constat, & ab his quidē die nuptiarū depositam, a pueris die Tirocinij, quo scilicet deducti in forum transcribebantur in viros, & pro prætexta, togam puram, ideſt, sine vlla purpura sumebant. Id decimi quinti anni initio fiebat. Nam quòd alij decimo sexto aut serius factum scribunt, falli eos, ostendit Interpres vetus Iuuenalis nondum editus Bibiliothecæ Ambrosianæ, cuius verba sunt. *Prætexta genus erat togæ, qua vtebantur pueri adhuc sub disciplina vsque ad XV. annum: deinde togam virilem accipiebant, vnde in Vita Sancti Germani legitur Cessit prætexta togæ*. Ea vita scripta versibus est ab Erico qui sub Carolo Caluo floruit. *Cedebat prætexta togæ*. Scio Augustum, Ciceronis item filium, & alios serius id egisse, sed vt rectè monet Manutius, hoc magis ab alia causa, quam a lege, aut more. Porro deposita prætexta sumptam esse togam, quæ & *virilis* & *pura*, & *libera* dicebatur vix quisquam ignorat.

Viri-

Virilis quod qui eam sumerent ex ephebis transcriberentur in viros. *Pura* quod tota alba esset nihil purpuræ ad mixtum habens. *Libera* quia ephebi tum primum e magisterio excedebant, & vt loquitur Persius *purpuræ custodiam exibant*. Quo tempore bullam auream laribus appensam nihil attinet dicere.

Ab hac toga *prætextata ætas* pro puerili, ita *prætextati*, ac *prætextatæ*, pro pueris, ac puellis. Sed falsò hinc quidam *prætextata verba* deduxere, quæ erant obscæna, atque impudica, quæ procul ab prætextata ætate esse par erat: nec rectiùs Turnebus a prætextatis Comædijs, quæ lasciuæ, ac liberæ; nam veteres Grãmatici prętextas Tragœdias, vel ad instar Tragœdiarum dixerunt, quas haud verisimile est turpiloquio obsitas fuisse. Illud ergo rectius, quod cum nupturæ puellæ prætextam deponerent, ad demulcendum pudorem nuptiali licentia Fescennina cantarentur. Festus *Prætextata verba, quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscæna clamarentur*.

De Prætexta Sacerdotum. Cap. II.

ETiam prætextas purpura togas sacris adhibitas indicat Plinius, cum ait, *Purpuram Dijs placandis aduocari*. Germanicus apud Tacitum, *Vidit se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta pulchriorem aliam manibus auiæ Augustæ accepisse*. Vbi tamen Germanicus prætextatus non tantum quia augur, sed vt exercitus Imperator, & Proconsulari potestate. Quare non rectè vir doctissimus notat, prętextæ vsum in sacris fuisse, ita tamen, vt fuerit tantùm sacerdotum. Nam Consules, Prætores, alij magistratus, cum sacra facerent, erant in prætexta, licet non essent sacerdotes. Verba Lampridij in Alexandro nihil Lipsium iuuant. *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris*. Nam cum supra scripsisset Lampridius, Alexandrum adeo ciuili ingenio fuisse, vt licet Imperator prætextam, & pictam togam numquam sumeret, nisi cum esset

Con-

Consul, subdit, adhibitam quidem ab eo prætextam in sacris cum non esset Consul, sed tunc non tamquam Imperatorem, sed vt Pontificem maximum prætextatum fuisse. Quod si idem cum esset Consul sacrificasset, iure magistratus prætextatus fuisset, etiam citra Pontificatum maximum.

Augures etiam prætexta vsos notum est. Cicero pro Sextio Lentuli Spintheris filium augurem creatum indicans, *Cui superior*, inquit *annus idem, & virilem patris, & prætextam populi iudicio dedit*. Idem ep. ix. lib. ii. ad Atticum, *Vatinij strumam sacerdotij διβάφῳ vestiant*.

Prætexta Magistratuum. Varij Interpretum errores in voce περιπόφυρος explicanda castigantur. Cap. III.

MAgistratus omnes tam Romę, quam in Colonijs, & Municipijs prętexta vsos, immò & Collegiorum, ac Vicorum magistros docuit Manutius, & res omnibus obuia. Liuius lib. xxxiv. *Purpura viri vtemur: prætextati in magistratibus, in Sacerdotijs: liberi nostri prætextis purpura togis vtentur: Magistratibus in in colonijs, municipijsque: hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus, nēc id vt vini solum habeant tantum insigne, sed etiam, vt eo crementur*. Catulus etiam apud Dionem ait, an eo magistratus creantur ἵνα ἐν τοῖς περιπορφύροις ἱματίοις περιπατῶσιν; *Vt in prætextis obambulent*? Martialis de Troiugenis in magistratu diuitum limina ob sportulam vexantibus. *Quid faciet pauper cui non licet esse clienti? Dimisit nostras purpura vestra togas*: ideſt vos clientes prætextati nos tenuiores togatos ab officio dimisistis. Perperàm in vulgatis esse, *diuisit*, animaduertit Turnebus lib. xxx. Prætextàs etiam intellexit Plutarchus in Galba, cum cædem in foro factam memorans ait: ἔτι τῶν νεκρῶν ἀκεφάλων ἐν ταῖς ἱματιαῖς ἐσθῆσιν ἐρριμένων ὅπι τῆς ἀγορᾶς. *Cum vero corpora truncata in vestibus consularibus iacerent in foro*. Rectius, *in prætextis*, non enim tantùm Consulum fuere, sed, & reliquorum Magistratuum. Appianus lib. i. Ciuil.

nil. appellat Τὴν τῆς ἀρχῆς ἐσθῆτα de Octauij Consulis interitu, vestem nempe Consularem, siue quod idem est prætextam. Eadem voce vtitur Dio Lib. LV. de Magistris Virorum, & LXV. de Cecinæ prętexta. Idem Appianus lib. 2. de Dolabella Consule substituto. τὴν μὲν ἵππειον ἐσθῆτα ἠμφίεσατο. Prętextam induit. Ita varijs vocibus eam Gręci extulere. Vixque dici potest quantas tenebras eius ignoratio scriptoribus intulerit. Plutarchus tradit Romulum prætexta vsum. Ἁλουργῆ μὲν γὰρ ἐνεδύετο χιτῶνα, καὶ πάνευκον ἐφορᾷ περιπόρφυρον. Vbi flagitiose olim Interpres vertit. *Purpura enim ornatus incedebat, & toga in super purpurea.* Nemo tam puer est, vt non videat vertendum fuisse. *Purpuream tunicam induebat, & togam prætextam gestabat.* Nam præter vim Græcæ vocis, togam purpuream, & prætextam diuersas fuisse indicat Liuius lib. XXI. *Dona ampla data quæ ferrent Regi. Toga purpurea, & palmata tunica, & toga prætexta.* Quamquam de Romuli prætexta malumus Plinio credere, quam Plutarcho toties in historia Romana dormitanti. Ille enim negat Romulum prętexta vsum, sed Tullũ Hostilium primo eam gestasse. lib. IX. c. XXIII. *Purpuræ vsum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea, nam toga prætexta, & latiore clauo Tullum Hostilium e Regibus primum vsum Etruscis deuictis satis constat.*

Similis error eiusdem Interpretis paulo ante. Narrat enim Plutarchus: Deuictis Veijs Romulum triumphasse ducto in triumphum eorum Duce, qui prouecta ætate imprudenter & pueriliter rem gessisse visus est. Inde morem manasse, vt post victorias senem ἐν περιπορφύρῳ per forum in Capitolium ducerent. *Purpura indutum vertit ille*, inepte. Nam inprætexa circumducebatur. Quod enim pueriliter egisse visus erat in habitu puerili inductus est, appensaque ad collum bulla quod puerile gestamen. Dignus vtique Interpres qui seni illi succidaneus daretur, si tamen soluf lapsus esset.

Magis mirum est eum a quo Eunapius Sardianus latina ciuitate donatus est virum exacta eruditione in eiusdem vocis

cis explicatione deceptum. In Iuliano. *Ad quod verbum*, inquit, *repente a sede sua prosiluit Pro Cos.* καὶ τὴν περιπόρφυρον ἀναστείλων ἐσθῆτα, τήβεννον αὐτὴν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. *Purpureamque togam, Romani Trabeam vocant, excutiens.* Duplex error. Nam & toga illa non erat tota purpurea, sed περιπόρφυρος ideſt tantum prætexta, veſtis nempe Pro Conſularis, Neque eam veſtē Romani trabeā appellant: nec τῆ βεννος eſt Trabea, ſed ſimpliciter toga. Ad verbum ergo. *Pro Conſul a ſede ſua proſil. uit, veſtemq; prætextam excutiens, quam Romani togam appellant.* Nullus hic trabeæ locus. Nullus etiā infra in Proæreſio, vbi Præfectura Prætorij Eunapio dicitur ἀρχὴ Βασιλεία ἀπόρφυρος, ideſt Imperatoria dignitas ſine purpura. Non quod idem vertit, *purpuræ, trabeæque vſu mutilata*. Purpura enim qua carebat Præfectura Prætorio erat laticlauia de qua mox dicemus.

Ipſe Politianus, quod vix credibile eſt, vim Græcæ vocis non videtur aſſecutus. Nam quod Herodianus lib. IV. dum ritum, ſcenamque Conſecrationis deſcribit, inter reliqua poſt Pyrrhicam *circumactos*, ait *currus, qui ferrent*, ἠμφιεσμένας τὰς περὶ πορφύραν ἐσθῆτας *Currus*, inquit ille, *circum aguntur inſeſſi purpuratis rectoribus*. Sed rectores illi non purpurati erant, ſed tantum prętextati; ſcilicet vt ſubijcit Herodianus *referebant perſonas eorum, qui magiſtratum domi, vel foris geſſiſſent*, qui omnes in Prętexta. Rectius tamen in Herodiano quis περιπορφύρας legeret. Xiphilini Interpres de Traiano, qui antequam adipiſceretur Imperium viſus eſt in ſomnis videre ſenem grandæuum ἐν ἱματίῳ καὶ ἐσθῆτι περιπορφύρῳ, vt Senatus pingi ſolebat ſibi ad ſtare. Vertit, *in veſte purpurea*, cum debuiſſet, in Prætexta, ſiue ad verbum in toga prætexta, & tunica laticlauia. Quid enim pallium, & veſtem Xiphilinus coniungeret? Sed pallium ibi toga eſt, veſtis tunica, quę & ipſa clauis in pectore prętexta erat.

Prętexta igitur Magiſtratus inſigne fuit. De Aedilibus Dio lib. LXXVI. *Antequam legeretur Senatorem illum caluum* περιπόρφυρον ἱμάτιον *habuiſſe. Tunc omnes in Marcellinum oculos*

con-

coniecimus: is enim tum Aedilis fuerat. Cicero ep. x. lib. II. ad Q. Fratrem de Aedilitate Appij Claudij. *Togam sum eius prætextam, quam erat adeptus Cæsare Consule magno risu hominum cauillatus. Quod nolit inquam renouare honores eosdem, quominus togam prætextam interpolet quotannis, decernendum nihil censeo.* Quo loco vt doctissimus, ac disertissimus Seb. Corradus ad Ciceronem de Claris Oratoribus obseruat, Appij ambitionem, & auaritiam mordet, quod mallet foris, & in prouincia lucrari, quam domi damnum accipere renouandis honoribus, & interpolanda prætexta. Nam qui magistratus inibant, nouas prætextas confici curabant, auari, vt Appius, veterem interpolabant, vt noua videretur, ob magnum purpuræ pretium.

Prętores etiam in Prætexta. Appianus l. II. Ciuil. *Cinna Prætor affinis Cæsaris præter expectationem progressus in medium,* τὸν τε ἐθνικὸν τὸν στρατηγικὸν ἀπεδύσατο. *Prætextam exuit,* quod melius est, quam *Prætoriam purpuram*, nam purpura non tantum Prætoris, sed & reliquorum magistratuum.

Immo & Prętecti Prætorio in prætexta licet ius claui non haberent. Dio dat eam Seiano l. LVIII. Quem τῷ περιπορφύρῳ ἱματίῳ *ornauerant, ad supplicium duxerunt.* Et Iuuenalis sat. x. de eodem

Huius qui trahitur prætextam sumere mauis
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?

Dictatorem etiam prætextatum fuisse non est dubitandū. Supremā enim eius dignitatem, qua cunctos magistratus antistabat, non alijs insignibus, quam securibus ad fasces additis ab alijs distinctam auctores produnt. Ita illud Senecę de Silla Lib. I. de Clem. c. XII. *Descenderit licet Dictatura sua, & se togæ reddiderit*, non recte Lipsius ita explicat. *Dictator ergo in sago, qui rei gerendæ causa creatus.* Nam intra Vrbem nec Dictatores, nec Coss. nec alij magistratus in alia veste quam in prætexta fuere: extra Vrbem paludati. Quoties ergo Dictatores propter negotia Vrbana creati, ij in prætexta more reliquorum. Silla deposita Dictatura, & eius insigni toga prætexta, togæ communi ideſt puræ

pellat. Etiam in Professoribus II. videtur Senatoribus togas purpureas dare.

Mille foro dedit hæc iuuenes: bis mille Senatus
Adiecit numero purpureisque togis.

Quo loco fortasse respexit solemnitatem Kalendarum. Nam non est credibile senatores omnes eodem habitu atq; Imperatorem vsos fuisse, idest purpureo, & triumphali.

Censoribus prætextam abiudicat Manutius, quod Polybius lib. VI. cum ornamenta mortuorum narrat, ait: *Vbi præclarus aliquis ex domesticis obijt, instituunt funeris apparatum & circumfusi qui similes magnitudine, ac statura videntur.* ἐὰν μὲν ὕπατος, καὶ στρατηγὸς ἢ γεγονὼς, περιπορφύρους λαμβάνουσι: ἐὰν δὲ τιμητὴς πορφυρᾶς. *Si Consul, vel Prætor fuerit, prætextas: si Censor, purpureas.*

Atqui Tribunis idem prętextā adimit, quòd Plutarchus vbi Tribunum plebis magistratum esse negat, hoc vtitur argumento, quod prætextam non habuerit. Et tamen Cicero pro Cluentio Tribunitiam prætextam innuisse videtur, cum de Quintio Tribuno pleb. loquens ait. *Facite vt non solum mores eius, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam vsque ad talos demissam purpuram recordemini.* Manutius togam purpuream intelligit, sed quis vnquā Tribunis talem togam adscripsit? Alij de tunica intelligi volunt, quod nempe tunicæ Senatorum fuerint purpureæ, hoc nos falsum esse infra vincemus. Quid opus est verbis? Quintilianus de prętexta omnino capiendum Ciceronem docet. Nam lib. V. *Alia*, inquit, *respondendi patronis ratio, & aliquando tamen eorum non oratio modo, sed vita etiam, vultus, denique incessus, habitus rectè incusari solet; vt aduersus Quintium Cicero, non hæc solum, sed ipsam etiam prætextam demissam ad talos insectatus est.* Malumus ergo Romano homini, & antiquiori, Tribunos prætextatos, quàm Græco, & non semel aliquid humani passo, credere. Neque tamen ideo Cicero Quintium reprehendit, quod prætexta talari vteretur, nam omnes ea ætate togas talares fuisse supra ostendimus: sed quod cùm alij paulò supra imam togæ oram purpuram circum-

cum̃t extam gestarent, superbus ille, & latiorem, & talos ipsos perfundentem induerit. Nec dubie Tribunitiam prætextam intellexit Appianus lib. IV. ciuil. cum sacram vestem appellat. Vbi Cassius in Oratione ad milites, ait, *Tribunis a Cæsare sacrum magistratum* & τὴν ἐδῆτα τὴν ἱερὰν *& sacram vestem ademptam fuisse*. Nam paulo infra vestem Proconsulum idest prętextam appellat *sacram purpuram*. τορφύρα ἱερᾷ περικομένες. Vt alibi Cæsaris Pontificis Max. vestem *sacram* appellat quæ fuit prætexta.

Ceterum vsum prætextæ puerilis vsque ad extrema Romani Imperij tempora durasse indicat Ausonius in Professoribus. XIX.

Mox schola & auditor multus prætextaque pubes.

Vbi prætextam pro prætextatam dixit sicut Edyl. VIII.

Roma illa domusque Quirini
Et toga purpurei rutilans prætexta Senati.

Immo Propertius lib. IV. eleg. I.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu
Pellitos habuit rustica corda patres.

Qua licentia Macrobius lib. 2. Sat. *verba prætexta* dixit pro *prætextata*.

Ad extremum illud de prætexta non videtur prætereundum, eam a Prætore depositam antequam damnationis sententiam pronunciaret. Val. Maximus lib. IX. c. XII. narrat Licinium Macrum repetundarum reum, cum vidisset Ciceronem, qui Iudicium cogebat prætextam ponentem, ne bona hastæ subijcerentur intercluſis faucibus vitę suæ finem attulisse: qua cognita re Ciceronem nihil pronunciasse.

Seneca tamen non depositam prætextam sed peruersam indutam indicare videtur de Ira lib. I. c. XVI. *Et si peruersa induenda magistratui vestis.* Fortasse ideo deponebatur vt de more peruersa indueretur: Vt placuit Mureto, qui ad Senecã ait a magistratu laturo sententiam depositam prætextam, vt eam peruersam indueret, idest partem eius floridiorem, ac nitidiorem introrsus verteret. Quod verius quam quod Lipsius existimat deposita prętexta aliam viliorem

rem togam ſumptam eſſe, negatque veſtem peruerſam eſſe inuerſam, ſed funeſtam, indecentem, ac ſeruilem. Quaſi fuerit aliqua toga ſeruilis, aut peruerſa veſtis aliud ſignificare poſſit quam inuerſam. Sed Lipſius cum poteſt libenter Mureto obloquitur.

De Trabea. Toga φοινικοπάρυφος. Halicarnaſſeus explicatus. Cap. V.

PRætextæ Trabeam merito ſubijciemus, quia ad inſtar prætextæ fuit, non in ima ſolum ora, ſed per totum purpuræ faſcijs, virgiſque latioribus veluti trabibus tranſuerſis diſtincta, vnde & *trabeæ* nomen inuenit; Non quòd ex pluribus purpureis pannis aſſutis conſtaret, ſed vt Turnebus docuit intextis, vt nempe ſubtemen purpureum, ſtamen album vel coccineum eſſet. Suetonius in libro de genere veſtium apud Seruium ad illud.

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino.

Tria trabearum genera ſtatuit; *Dijs ſacratum, quod erat tantum de purpura: Regium, quod erat purpureum, cui tamen album immixtum: tertium Augurale, de purpura, & cocco.* Eas initio Regum fuiſſe tradit Plinius, mox peculiares equitum Romanorum fuere, cum ſcilicet Idibus Iulij tranſuehérentur ex Q. Fabij inſtituto, vt tradit Val. Maximus lib. 11. c. 1. Eam tranſuectionem Dionyſius. lib. vi. deſcribit. *Et pompa* inquit *quæ poſt ſacrificium procedit ab ijs, qui equi publici ius habent, qui ſecundum tribus, & centurias diſtributi ordine equis inuehuntur tanquam e pugna redeuntes, olea coronati,* καὶ πορφύρας φοινικοπαρύφεις ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τας καλουμένας τραβέας. Vt vertit Interpres, *togis purpureis phæniceo colore intertextis induti, quæ Trabeæ dicuntur.* Sed περιπορφύρους in Dionyſio legendum eſt. Nam ſi illæ togæ totæ purpureæ fuerunt quomodo virgis diſcoloribus, ſiue trabibus purpureis diſtinctæ erant? Et quid eſt veſtem purpuream phæniceo colore intertextam eſſe? Vel ergo trabeæ non fuerunt totæ purpureæ, vel nominis notatio pereat neceſſe eſt. Sa-

ne

ne Suetonius tradit Deorum trabeas fuisse purpureas, sed & idem Regum trabeis, quæ postea ad equites transierunt, albi aliquid intermixtum fuisse prodit. περιπορφύρους inquam legendum est: Idem enim infra de Salijs ait. Τηβέννας ἐμπεπορπήμενοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. Prætextis incincti puniceo colore intextis. Nisi malimus φοινικοπαρύφους interpretari, *palmis intextas*, siue quod idem est *palmatas*: quod Sylburgio placuisse video, quales, & triumphantium togæ fuere; Equites in transuectione veluti post victoriam ouantes, & ideo in toga triumphali palmata; Quare ipsa toga triumphalis etiam *trabea* dicta est, de qua infrà.

Scholiastæ Ciceronis error Trabeam cum Paludamento confundentis. Cap. VI.

EX dictis trabeam togam fuisse manifestò apparet; Quò magis miror nuperum Orationum Ciceronis interpretem commentarijs in Pisonianam, *quo aliquid audacius*, vt ipse loquitur, *& extra communem sensum scriberet*, prodere ausum, paludamentum cum trabea idem vestimentum fuisse. Quod adeo falsum est, vt in eo refellendo verba impendere superuacaneum sit, nisi illud succurreret, posse studiosam iuuentutem ex cuius manibus, qui non sunt sociorum libri excutiuntur eodem errore prolabi. Ratio eius est, quod paludamentum vestis militaris, & purpurea fuerit. Talem autem fuisse trabeam docere Halicarnasseum loco, quem supra laudauimus. Sed quis non videt (vt Dialecticam omittam) aperte ab Halicarnasseo trabeam togam appellari, & patriam Romanorum vestem, ideſt ciuilem? Nec ideò militaris quia equites ea vsi: non enim in bello, sed in transuectione. Nam quod subijcit idem, *tamquam a pugna redeuntes*, ad veterem morem alludit, quo antiquissimi in togis pugnabant succincti Gabino ritu. Quare non minus labitur, cum ait Virgilium illis verbis.

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino

Insi-

Insignis referat stridentia limina Consul.

Trabeam pro paludamento vsurpasse. *Quia* inquit *trabea non fuit toga picta, & ideo paludamentum.* Id falsum esse infra docebimus. Sed esto, non fuerit toga picta, fuit tamen purpura intexta; Et licet tunc trabea in vsu non esset, quæ a Romulo inuenta, Virgilius poetica prolepsi vsus est. Fuit toga & quidem magistratuum propria ideſt Consulis in officio referandi templi Iani. Nec officit, quod trabea cingeretur, toga picta flueret, nam & toga communis modo cingebatur cinctu Gabino, modo non, vt supra ostendimus.

Quid autem Dionysio, quid Seruio reponet Ciceronianus interpres, qui trabeam togam appellant? Satis fuerit ad indicandam rei vestiariæ peritiam eius verba attulisse. *Potuit eadem vestis, siue idem paludamentum tunica propter breuitatem (erat enim breuior, & succinctior) & toga (propterea quod subuculæ, siue interulæ impositæ hominem totum togæ instar inuoluerent) nominari.* Nullum hic discrimen inter tunicam, togam, & paludamentum; Omnis breuior vestis tunica: omnia, quę interulæ imponebantur etiam pallia, togæ dici possunt. En cor Zenodoti? Idem etiam trabeam lictorum propriam facit, ad quod adducit Appiani verba in Lybicis. *Imperatori præeunt lictores φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες*; Quasi trabeæ fuerint tunicæ.

Cęterum in funere Germanici atratam in municipijs plebem, Equites trabeatos inducit Tacitus, non quod trabea vestis funerum propria fuerit, sed vt aduertit Lipsius quòd ad augendā funeris pompā veste solemni Equites vti sunt. Frustra tamen idem Grammaticorum veterum fidem eleuat, dum Equitum modò trabeam fuisse contendit; Nam præterea Regiæ, Consularis, & Auguralis scriptores meminere. Immo toga picta, quæ ab Imperatoribus Consulibus dabatur, trabea dicta est, vt mox ostendam.

De

De purpura, & eius generibus. Plinius correctus, & explicatus. Cap. VII.

VT ea quæ de prætexta ac trabea dicta sunt, quæ de toga triumphali, & lato clauo dicturi sumus, melius intelligantur, non abs re fuerit pauca quædam de purpura leuiter perstrinxisse, nam plenos commentarios alij ante nos dederunt. Eleganter Plinius *ad purpuram fasces Romanasque secures viam fecisse* tradit, *eandem fuisse pro maiestate pueritiæ: distinxisse ab equite Curiam: Dijs placandis aduocari solitam: omnem denique vestem illuminasse, atque in triumphali auro misceri consueuisse.* Et purpuræ quidem vsum semper Romæ fuisse idem obseruat, *in trabea sub Romulo, in prætexta, & clauo sub Tullo Hostilio.* Non idem tamen purpuræ genus in vsu fuisse docet Cornelius Nepos apud eundem, cuius verba sunt. *Me iuuene violacea purpura vigebat, cuius libra denarijs centum venibat* ideſt X. aureis: *nec multo post rubra Tarentina: huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denarijs mille non poterat emi* (ideſt C. aureis) *Hac P. Lentulus Spinther Aedilis curulis primus in prætexta vsus improbatur, qua purpura quis iam, inquit Nepos, non triclinaria facit?* (ideſt ſtragula lectorum tricliniarium) *Spinther*, ſubijcit Plinius *Aedilis fuit Cicerone Consule, dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes penè commodiores purpuræ tinguntur.*

Primis ergo temporibus, Prætextarum, nam illæ ab Regibus inuectæ ſunt, & clauorum in tunica, purpura violacea fuit, mox rubra Tarentina, ſic dicta a loco vbi tingebatur, tandem omnium pretioſiſſima Tyria ſucceſſit, quæ a duplici tinctura dibapha dicta; Eaque initio ob luxum notata, vt in Spinthere, & in M. Cœlio, de quo extant Ciceronis verba pro eodem, *Si quem etiam minimorum horum offendit, si purpuræ genus, si amicorum cateruæ.* Purpuræ genus, hoc eſt Tyriæ, ſiue dibaphæ, quæ tunc improbabatur. Hanc vegeti coloris fuiſſe, florentiſque maximè, ac luminoſi, contra

vulgarem violaceam obtusioris, ac pænè fusci, docet Plutarchus in Catone, de quo tradit, quòd cum in vniuersum contrariam moribus sui temporis insistendam viam sibi videret qui mali erant, & magnam emendationem desiderarent, ἐπεὶ inquit, πορφύραν ἑώρα τιμὼ κατακόρος ἐρυθρὰν, καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένιμὼ αὐτος ἐφόρει τιμὼ μέλαναν; *Cum purpuram saturi coloris & acuto rubore splendentem in pretio videret esse, ipse fuscam & obtusam gerebat.* Eandem fuscam, & plebeiam appellat Cicero pro Sextio de Pisone. *Vestitus asper, nostra hac purpura plebeia, ac pæne fusca.* Nostram vocat, quod acuta, & florente delicatiores soli tunc vtebantur. Quare Piso qui grauitatem, & austeritatem affectabat, ea purpura vtebatur in prætexta, ac clauo, ne quis somniet, totum Pisonis vestitum fuisse purpureum. Idem Cicero Vatinij prætextam perstrinxit in epistolis ad Atticum. *Perinde licet faciant, quos volent Coss. Tribunos plebis etiam, deinde Vatinij strumam διὰ φοῦ vestiant.*

Post Ciceronis consulatum crescente luxu omnes ferè purpuræ commodiores Tyriæ erant, & Laconicæ, hoc est dibaphæ, & bis tinctæ. Ita tamen vt Laconicæ Tyrijs essent deteriores. Ouidius de remedio.

Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio turpius illud erit.
Vos quoque formosis vestras conferte puellas
Incipiet dominæ quisque pudere suæ.

Tyriam Horatius lib. II. Ode XVI. *muricem bis Afrum* appellat; Idest vt Porphyrio interpretatur *dibapham pretiosissimam*; Eius color roseus quodam nigrore delibutus, & vt loquitur Plinius *nigricantis rosæ colore sublucens.* Sed præstat eiusdem verba lib. XXI. c. IIX. de purpuræ generibus afferre, etiam si ab alijs notata fuerint. Ea sunt vt in vulgatis extant. *Et de odoratis coloribus satis dictum, in quibus vnguento vicisse naturam gaudens luxuria vestibus quoque prouocauit eos flores, qui colore commendantur. Hos animaduerto tres esse principales, vnum cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu, & in purpuras Tyrias dibaphasque & Laconicas. Alium in*

Amethysto,

Amethysto, qui in viola, & ipse in purpureum, quemque ianthinum appellauimus. Tertius est qui proprie conchylij intelligitur, multis modis: vnus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque saturatior: alius in malua ad purpuram inclinans: alius in viola serotina conchyliorum vegetissimus. Verba illa, *qui in rosis micat, Gratius nihil traditur aspectu, & in purpuras*, vitiosa esse nemo non vidit, & sanare conatus est. Doctissimus Pintianus locum vitiatissimum, & insanabile cacoethes fatetur; Tum in Veteri codice sic legi, *quia rosis migrante gratia nihil trahitur suspectu*, vnde minus male scribi posse, *qui rursus migrante gratia trahitur in species, in purpuras:* Baysius. *Et in purpura Tyria, dibaphaque & laconica.* Neuter satis proficit. Dalechampius in Vet. extare ait *Gratius nihil aspectu; Trahitur is in purpuras Tyrias dibaphasque Laconicas.* Quę lectio nobis omnium optima videtur. Color enim coccineus, siue roseus aspectu gratissimus trahitur in purpuras Tyrias, dibaphasque Laconicas. Quod si quis cum Salmasio *suspectu trahitur* legat, non repugnauerim, licet non tantum purpuræ suspectus, sed etiam aspectus gratissimus fuerit. Nam si solo suspectu Tyriæ gratia stetisset iocus Augusti locum haberet de quo Macrobius lib. II. Saturn. *Cum de Tyriæ purpuræ quam emi iusserat obscuritate quereretur, dicente venditore. Erige altius & suspice, his salibus vsus est. Quid? ergo vt me populus Romanus dicat bene cultum in solario ambulaturus sum?* fuisse autem Tyrij colorem nigricantem indicat illud: *De purpuræ obscuritate quereretur.*

Sed in viam redeamus. Ex Plinij verbis tria purpurę genera eius interpretes recte statuerunt, singula florum colores prouocantia. Primum coccineum, eundemque roseum Tyriarum, ac dibapharum peculiarem, de quo idem Plinius. *Laus ei summa color sanguinis concreti nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens.* Secundum Amethystinum violarum æmulum, coloris nempe violacei saturati. Tertium conchyliatum, cuius colorem in vniuersum ait fuisse Plinius austerum in glauco, & irascenti similem mari, idest cœruleum: eius tres species in floribus ponit, in heliotro-

pio fermè saturatiorem, in maluæ flore inclinantem ad purpuram, in viola serotina conchyliorum vegetissimum. Sed plenum purpuræ, ac conchyliorum discrimen, eorumque mixturam, ac temperamentum videre est apud Plinium qui omnes hos colores in temperatura mixtos fuisse docet, *gemina demonstrata via luxuriæ, vt color alius operiretur alio, seruior ita fieri leniorque dictus. Quare, & Amethystinum Tyrio inebriatum, vt esset ex vtroque nomen improbum, simulque luxuria duplex, & cùm confecere conchylia transire melius in Tyrium putant. Quin, & terrena miscere, coccoque tinctum Tyrio tingere vt fieret hysginum.* Hactenus ille. Multa præterea præclarè disputauit Salmasius ad Tertullianum, cuius analecta non conuerro. Cæterum coccineum colorem a purpureo distinctum hoc est terrestrem purpuram a marina diuersam illamq; hac deteriorem alijs ad notatum est. Capitolinus in Albino refert epistolam Commodi ad Albinum in qua hæc scripta sunt. *Sane vt tibi insigne aliquod Imperialis maiestatis accedat habebis vtendi coccinei pallij facultatem me præsente habiturus & purpuram sed sine auro.* Et Lampridius Diadumeniano. *Hic vbi primum indumenta coccea, & purpurea, cætaraque castrens; a Imperij insignia accepit.* Purpura igitur ex conchis muricibusque: Coccum terrestre granum erat. Plinius lib. IX. cap. XLI. *Quin & terrena miscere, coccoque tinctum Tyrio tingere vt fieret Hysginum. Coccum Galatiæ rubens granum, vt dicemus in terrestribus aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude est. Verum vt simul peragrantur nobilia pigmenta* (idest tractatio de purpura marina & terrestri coniungatur) *anniculo grano languidus succus: idem a quadrimo euanidus. Ita nec recenti vires neque senescenti.* (succus scilicet ex cocco vnius anni expressus languidus erat post quatuor annos euanescens). Eiusdem meminit idem lib. XVI. C. VIII. & lib. XXIV. C. IV. & lib. XXI. C. II. *Iam vero infici vestes scimus admirabili succo. Atque vt sileamus Galatiæ Africæ, Lusitaniæ cocci granum Imperatorijs paludamentis dicatum, Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, omnesque alios colores? Nec quærit in profundis murices, sesequè*

obijcien-

*obÿciendo esca*m, *dum præripit*, *belluis mariņis*: *intacta etiam anchoris scrutatur vada*, *vt inueniat per quod facilius matronæ adultero placeat*, *corruptor insidietur nuptæ*. *Stans & in sicco carpit quod frugi mundos exculpat*. *His alioqui fulgentibus instrui poterat luxuria*, *certe innocentius*. Locus non semel ab ętate & a criticis vitiatus Nam quod in veteribus erat *granis coccum*, *cocci granum* fecerunt: cum coccum & granum eadem res sit. Sed hic coccum pro ipso grani succo accipitur, vt alibi cocco tinctum dixit. Recta igitur lectio *Lusitaniæ granis coccum* (idest cocceum colorem ex granis) *Imperatorÿs paludamentis dicatum*. Maius monstrum alitur illis verbis, *quod frugi mundos exculpat*. Vtique postquam criticorum audacia accessit. Inueteri proba lectio est si coniunctio dematur. *Quod frugi ac mundus non culpet*. Legendum. *Quod frugi mundus non culpet*. Color coccineus non erat ita inuidiosus, vt purpureus, qui tanto periculo parabatur. Erāt munditiæ luxuriosæ, aliæ sobriæ, ac temperantes. Colorem inquit cocceū homo mundus frugi, siue cum frugalitate nequaquā damnet, minori enim impendio parabatur: culpaturus vtique purpuram, quæ de profundo eruebatur. Ita quę sequuntur correctione non egent. *His* (coloribus) *alioqui fulgentibus* (non minus nitidis, ac purpureis) *instrui poterat luxuria* (non solum frugales munditiæ) *certe innocentius* (sine noxa & periculo vitæ.) Porro illud *obÿciendo se se* quia in Vet. est *obÿcientes*, malim legere *obÿciens*, quamquam & illud tolerari potest.

Blatteus etiā color pro purpureo apud scriptores inferioris seculi reperitur. Lampridius in Heliogabalo. *Parauerat igitur funes blatta*, *& serico & cocco intortos*, *quibus si necesse esset laqueo vitam finiret*. Vopiscus in Aureliano. *Et cum ab eo vxor sua peteret*, *vt vnico pallio blatteo serico vteretur*. Et paulo infra. *Idem concessit vt blatteas matronæ tunicas haberent*. Eum colorem a blattis & vermiculis, qui e chermes vt Arabes vocant, & e cocco sanguinei coloris erumpunt dictū putant apud Turnebum lib. XIIX. c. XVI I. Alij quod blattæ, vel blatteæ proprie sint *bullæ luti ex itineribus* vt ex Festo scribit Paulus ita

etiam

etiam bullas sanguinis concreti vocatas, vnde in Glossis blattea βρόμβος αἵματος, hinc blatteum hoc est sanguineum pro purpureo. Mihi altera notatio magis arridet vt a blattis siue vermiculis dictus sit, vt proprie fuerit color coccineus. Distinguit tamen coccum a blatta Lampridius loco supra adducto. Sed fortasse per similitudinem purpura dicta est, vt Plinius ait cocci colorem trahi in purpuras Tyrias, & Laconicas.

Quod penè effugerat, Si Tyrius color aspectu nigricabat, cur Cato in purpura fuscum colorē adamauit qui pretiosissimus? In purpura, quam Cato & seueriores aspernabantur, roseus color vegetus acuto lumine floreſcebat: contra purpura, qua Cato vtebatur, violacea, siue conchyliata minimum rubei coloris, ac luminosi habebat, sed violacei saturati, & propterea obtusi, peneque fusci. Tyria aspectu tantum nigreſcebat, suspectu refulgens: violacea & aspectu, & suspectu fusca erat; Vt nihil aliud fuerit purpura fusca Catonis, quàm minimè luminosa.

Toga triumphalis, purpurea, picta, palmata, Capitolina. Cap. VIII.

VErrius Flaccus apud Sextum Pompeium docet, togam triumphalem primo purpuream fuisse, deinde acu pictam, *Picta* inquit, *toga quæ nunc dicitur, purpurea antè vocitata est, eaque erat sine pictura: eius rei argumento est pictura in æde Vertumni, & Consi, quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera L. Papyrius Cursor triumphantes ita picti sunt.* Antiquitus igitur toga triumphalis tantum purpurea fuit, post picta in vsum venit, de qua Plinius. *Pictas vestes iam apud Homerum fuisse vnde triumphales natæ.* Nec aliud fuisse pictam togam docti obseruant, quam acu elaboratam figurisque phrygio opere distinctam; Nam subijcit Plinius. *Acu facere id Phryges inuenerunt, ideoque, phrygiones appellati sunt.* Quare togæ triumphali purpureæ aurum immixtum esse oportuit, quo phrygiones eam varijs figuris ad instar picturæ acu variabant.

bant. Idem Plinius de purpura, *In triumphali auro miscetur.* ἀλεργῖδα χρυσόπαστον appellat Dio lib. LXIII.

Hinc præcipua dona, quibus amicos Reges Senatus Romanus colebat, togæ pictæ fuerunt, & tunicæ palmatæ, vt toties Liuius, & alij memorarunt. Tunicam palmatam, vt omnes sciunt, sic dictam Festus ait a clauorum magnitudine, quod nempe lato clauo ad instar palmæ manus distincta esset: deinde a genere picturæ, quod palmas intextas haberet, palmatam dictam. Hæc enim verior notatio est, quã quæ affertur a Seruio ad lib. XI. Aeneidos, *Palmatam dici tunicam, quam merebantur qui reportassent de hostibus palmam.* Togam tamen palmatã, vt obseruat Manutius pauci dixerunt, eamque a pictis palmis ita dictam non malè opinatur. Martialis.

I comes, & magnos illa sa merere triumphos,
Palmataque ducem sed cito redde togæ.

Suetonius etiam Claudio. *Secuti, & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus, & in prætexta: Crassus equo phalerato, & in veste palmata.* Tandem Valerius lib. IX. cap. I. *Quid sibi voluit Metellus Pius cùm palmata veste conuiuia celebrabat?* Ex hoc factum est, vt post quam procedente, tempore Consulibus loco prætextæ toga triumphalis dari cæpit, ea palmata diceretur, vt idem Manutius obseruat. Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum pro Consulatu. *Dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis: parum est, si qualis ad me trabea mittatur interroges: te coram promi iubes; hæc est picta, vt dicitur vestis, non magis auro suo, quàm tuis verbis.* In quibus illud quoque notandum, eandem vestem modo trabeam, modò togam palmatam dici, quod etiam Sidonius, & Cassiodorus fecere. Mirum est, in his recensendis nuperos Criticos Manutij nomen elato nimis, aut nimis demisso animo præterijsse.

Toga igitur triumphalis, & *picta* dicebatur, quod acu distincta erat, & *palmata* a genere picturæ, hoc est palmis, licet, & talis postea diceretur, quamquam alijs figuris distincta esset, tandem, & *Capitolina* quod talis Iouis erat in

Capi-

Capitolio. Nec triumphantium modo ea toga fuit, sed Consulum, & Prætorum: Consulum quidem quoties magistratum inirent ipsis Kalendis Ianuarijs idque sub Imperatoribus. Nam libera ciuitate in sola prætexta fuerunt. Quando id ceperit non ita certum. Virgilius per prolepsin fortasse ætatem suam respexit cum lib. VII. ait

Ipse Quirenali trabea, cinctuque Gabino
Insignis referat stridentia limina Consul.

Ex quo discimus non tantum Kal. Ianuarij Consules in toga picta fuisse, sed etiam cum Iani templum referarent saltem in trabea. Præterea Gabino ritu succinctos fuisse. Herodianus indicat in vsu fuisse sub Commodo. Nam libro I. vbi celebritatem Kalendarum Ianuarij percenset inter reliqua ait ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τότε πρῶτον τῷ ἐνδόξου, καὶ ἐννέαδιον πορφύραν περιτίθενται. *Consules primum honoratam ac solemnem*, (siue vt Symmachus loquitur annalem) *purpuram induunt*. Hoc enim malumus quam quod Politianus, summi magistratus conspicuam sibi & solemnem purpuram induunt. Nam summi magistratus fuere etiam Dictatores, Prætores, Censores. Sed propriè Consules ἐπώνυμοι quod nempe anno nomen darent. Quidquid sit, propurpura posset quis prætextam tantum intelligere quæ purpuræ nomine etiam ab alijs scriptoribus designatur.

Clarius huius ritus vestigium sub Alexandro Seuero de quo Lampridius. *Prætextam & pictam togam numquam nisi Consul accepit, & eam quidem quam de Iouis templo sumptam alij quoque accipiebant aut Prætores, aut Consules.* Capitolinus de Gordiano. *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum priuatus suam propriam habuit, cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Cui enim rei togam picta priuatus homo haberet nisi vt ea vteretur cum magistratu annumq; incoharet? Crebrior deinde eius rei vsus, ac mentio apud scriptores. Ausonius Edyl. IV.

Vt Præfecturam duplicem sellamque currulem
Vt trabeam, pictamque togam mea præmia Consul
Induerer fastisque meis prælatus haberer.

Et

Et in Gratiarum actione. *In procinctu & maxime dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis. Feliciter, & bono omine. Namque iste habitus vt in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis.* Paulo post *pictam* appellat ideſt Phrygionis opere elaboratam. *Hæc plane, hæc est picta vt dicitur vestis non magis auro suo quam tuis verbis.* In extrema oratione *trabeam* vocat. *Vt trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam.* Symmachus etiam *pictæ togæ Consularis meminit.* lib. I. ep. I. & *Trabeæ annalis* lib. IX. ep. CXVI.

Nec Conſulum modo, ſed Prætorum toga picta & triumphalis fuit quoties Ludos ederent. Iuuenalis eleganter aulæum appellat.

— *pictæ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa togæ.

Vetus interpres *In tunica Iouis Mappam mittentem in Circo Consulem describit poeta. Nam tunicam Iouis togam palmatam dixit, Tyria purpura confectam, hoc est sarrana.* Vbi niſi corruptus eſt, male togam cum tunica confundit. Quare videtur addenda coniunctio Et, inter *Iouis*, & *togam*.

Tunicam palmatam appellat Iouis, quod nempe, vt vidit Lipſius, eadem Iouis ſimulachrum in Capitolio indutum fuerit. Ita apud Tacitum Tribunis celebraturis ludos Auguſtales triumphali veſte vti permiſſum. Huc trahendus Martialis iocus in Proculeiam, quæ marito futuro Prætori repudium dixerat, ne cogeretur ſuppeditare impenſas ad emendam purpuram, qua Megaleſia ſpectacula ederet.

Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, vt nimium munera parca dares.

Megalenſem purpuram vocat togam triumphalem, qua indutus Prætor Megaleſiacæ mappæ ſpectacula editurus erat. Videntur etiam Prætores non modo in Ludorum editione, ſed inter ſacrificandum veſtem pictam, & triumphalem geſtaſſe. Cuius rei non aliud quod ego ſciam veſtigium extat quam apud Appianum lib. I. ciuil. de Aſellio Prætore feneratorum ſcelere in medio foro obtruncato. *Sic Aſellio* inquit *Prætor ſacrificans*, καὶ ἱερεὺ, καὶ ἐπίχρυσον ἐσθῆτα ὡς θυ-

σία περικείμενος. *Sacram atque auro intextam veſtem vt in ſacris indutus.* Miror ab Interprete ὡς ἐν θυσίᾳ ommiſſam, quod tamẽ indicat cur veſte auro intexta ſiue aurata vteretur. Nã vt Prætor ſolius prætextæ ius habebat. Sacrificantes tamen ſola prætexta vſos ſupra oſtendimus. Niſi hoc ſacri illius peculiare fuit.

Cæterum quęſitum eſt, vtrum hæ figurę in palmata texerentur, an acu tantum pingerentur. Vtrumque factum eſſe apparet. Quòd acu variarentur a Phrygione, docet Plinius loco laudato. Quòd texerentur, Feſtus tunicam palmatam, quę vt & toga, picta erat, a genere picturæ dictã notat, *quod palmas intextas haberet.* Et Auſonius ad Gratianum, *Palmatam, in quis, tibi miſit in qua D. Conſtantius parens noſter intextus eſt.* Etiam Polybius lib. VI. eos qui funus comitabantur viri triumphalis ait geſtaſſe ἐσθῆτας διαχρύσους, *veſtes auro intextas*, quamquam, & auro diſtinctas vertere poſſumus. Appianus lib. I. Punicorum. Veſtem triumphalem deſcribit. Ἐσταλται δὲ ἐς τὸν πάτρυον τρόπον πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων. *Induitur togam purpuream aureis ſtellis intextam.* Non rectè Interpres *amicitur toga clauata purpurea.* Hæ autem veſtes triumphales in templo Iouis Capitolini ſeruabantur, & inde cum opus foret depromebantur. Lampridius in Alexandro. *Prætextam, & pictam togam nunquam niſi Coſ. accepit, & eandem quidem quam de Iouis templo ſumptam alij quoque accipiebant aut Prætores, aut Coſ.* Capitolinus in Gordiano, *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum priuatus ſuam propriam habuit: cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Ideo hæc toga Capitolina palmata dicitur in epiſt. Taciti ad Probum, vt ad Lampridium notauit Caſaubonus.

Ius togæ triumphalis ad priuatos translatum. Purpura ſumma. Cap. IX.

PRæter triumphantes, Conſuleſque, ac Prætores ludorum editione, priuatis quandoque hominibus ius togæ pictæ factum accepimus. Paulo enim Aemilio, qui de

Per-

Perseo triumphauit, hoc indultum est: & Pompeio Magno concessum tradit Dio θριάμβιον ἐνδύεσθαι ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσι, ideſt *vestem triumphalem induere in equestribus certaminibus*. Eundem honorem Catoni ob Regiam Cypri Gazam sanctæ Romam transuectam oblatum, & ab eo repudiatum tradit Plutarchus. Idem postea Cæsari delatum, vt omnibus nempe ludis toga triumphali vteretur quemadmodum supra notauimus. Idem Dio lib. XLIV. αὐτὸς δὲ τήν τε στολὴν τὴν θριάμβιον ἐν πάσαις πανηγύρεσι καὶ δόγμα ἐνεδύετο: *Ipse ex S. C. vestem triumphalem omnibus ludis, gestauit*. De quo etiam Cicero Philip. II. *Sedebat in Rostris collega tuus amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus*. Vbi simpliciter purpuream appellat, quæ etiam picta erat, auroq; intexta, vt omnes triumphales. Nam Plutarchus idem narrans appellat *triumphalem*: Dio *Regiam*, quæ profectò eadem fuit. Quamobrem qui hic de purpura Deorum Ciceronem loquutum volunt, non minus risu digni sunt, quam qui olim in purpura sapiens saltauit. Nec in ludis modo sed etiã in sacrificijs vt testatur Appianus lib. II. ciuil. καὶ θύειν μὲν αὐτὸν ἀεὶ θριαμβικῶς ἠμφιεσμένον. *Vt inter sacrificandum triumphali veste vteretur*.

Reliquos Cęsares, atque Imperatores in ciuili habitu inceſſiſſe, ideſt in toga communi, supra ostendimus; Vt de Alexandro notet Capitolinus, quod nunquã prætextam sumserit, aut pictam togam, nisi Cos. esset. Inferiori æuo, vestem purpuream, ideſt togam, ac paludamentum, Imperatorum fuisse manifestum est. Id a Gallieno ortum videtur, de quo Trebellius. *Cum chlamyde purpurea, gemmatisque fibulis, & aureis Romæ visus est, vbi semper togati principes videbantur*. Nisi velimus intelligere, Gallienum notatum, quod chlamyde vteretur, cum alij Principes toga.

Ex eo tempore purpura pro principatus symbolo a scriptoribus passim accipitur Hinc *sumere purpuram*, pro sumere Imperium: & in tumultuarijs Imperatorum creationibus direptam a vexillis purpuram, aut de simulachris Deorum a militibus cum aliunde non suppeteret, vt ea Imperatorem induerent, Historiæ Augustæ Interpretes notarunt.

Inde etiam est, quod inter omina Imperij semper aliquod purpureum occurrit, vt in eadem historia passim obseruare licet. Denique inde Imperatoria *purpura summa* dicta est. Lampridius de Alexandro. *Vlpianum sæpe a militum ira obiectu purpuræ summæ defendit*. Malumus enim purpuram summam Imperatoriam interpretari; quàm quòd Casaubonus, de purpura, quæ in summa, siue extrema veste fuit prætexta. Quasi solo limbo, ac fascia extrema purpurea defensus fuerit Vlpianus,& non totius vestis purpureæ Imperatoriæ obiectu, quæ propterea summa dicta est. Quod si de prætexta intelligatur, dura locutio est dura interpretatio. Eam vero *purpuram principalem*, *& sacrum muricem*, *& purpuram veri luminis*, *& vestem alethinam*, hoc est veram, verique coloris idem Vir incomparabilis obseruauit.

De Vestibus holoueris. Cap X.

MAgnus Turnebus Adu. 1. cap XIII. Existimat, holoberas, siue holoueras vestes fuisse, quæ totæ essent birri, quòd nempe birri honestiorum, & palatinorum erant, totique serici, & toti conchyliati, ex Canone XII. Synodi Gangrensis *Si quis amictu pallij vtitur, & eos qui cum reuerentia birris vtuntur despicit anathema sit*. Quòdque Zonaras, & Balsamo Βίρρους σηρικοὺς ἐσθῆτας exposuere vestes sericas. Esse igitur holoueras vestes credit Turnebus birros totos verè sericos, & totos conchyliatos. *Sunt*, inquit, *holoberæ vestes, birri toti verè serici, & verè conchyliati*. A quo non abeunt Iuris consulti ad Tit. VIII. lib. XI. Cod. de vestibus holoberis; qui nihil aliud esse contendunt, quam togas sericas eadem Zonaræ, & Balsamonis interpretatione inducti.

Et in eo quidem, quod hæ vestes totæ purpureæ essent, rectè censuit Turnebus: quod vero totæ sericæ, siue holosericæ, falsam notationem ostendit Salmasius ad Trebel. Pollionem. Valido herculè argumento: Nam si holouera tota ex serico texta vestimenta erant, nullum fuisset discri-

men

men inter holouera, & holoserica: & nihilominus tantum erat, vt cum promiscuus eo tempore vsus esset holosericę vestis, sola holouera vestimenta priuatis interdicta, Principi, eiusque domui dedicarentur. Adeo autem promiscuum, & communem tunc temporis sericorum, & holosericorum vsum fuisse, vt etiam mimis, scenicisque mulieribus passim esset permissus, *dum abstinendum sibi esse censerent*, (verba legis sunt) *auratis sericis, & sigillatis, aut quibus alio colori admixtus puri rubor muricis inarde scebat*. Ostendit præterea non omnes birros sericos fuisse, quod ex alia etiam viliori materia conficerentur.

Credit ergo vir iste doctissimus, holouera sic dicta, quod essent tota purpurea, vt censebat Turnebus, & verba leg. III. titulo eodem conuincunt. *Nec pallia, tunicaque domi quis serica contexat, aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione subtexta sunt: Proferantur ex ædibus, tradanturue tunicæ, aut pallia, ex omni parte texturæ, cruore infecta conchylij*. Eadem paulo infra holouera appellat ideſt in quibus vtraque pars texturæ, stamen scilicet, & trama purpura tincta essent. Atque hæc vestimenta propterea holouera dicta esse censet, voce hybrida, siue Græco latina, quod tota vera, siue ex vero colore, quod nempè purpureum colorem, per quamdam excellentiam, verum appellabant. Vnde *chlamydes veri luminis* Trebellio dicuntur, vnde, & Græci ἀληθινὸν χρῶμα de purpura dixere.

Hanc opinionem etiam Aduersariorum sacrorum compilatori placuisse video, nam cap. L.XXI. pro sua venditauit, maluitq; seruili probro respergi, quam tanto nomine scripta sua collustrare. Sed solemne ijs homnibus est alienos sibi fœtus suppositum ire; Quæ quidem tolerabilia essent si hanc licentiam solum inter suos exercerent, nam sociorũ omnia communia; Quis ferat cuncta cum puluisculo conuerrentes? Sed de his alias.

Cęterum, vt holouerarum notatio a Salmasio allata ingeniosa est, ita fas, iusque sit, quid, & nos sentiamus aperire. Nam *holouera*, non semilatinam, sed puram vocem

Græ-

Græcam, contractam, mox, & corruptam ſemper credidimus: nec aliud eſſe, quam ὁλοπόρφυρα, *Holoporphyra*, inducti auctoritate Iſidori lib. XIX. cap XXII. Orig. *Holophora*, vel vt alij habent codices *Olophera*, *Holoporphyra*, *tota ex pur. pura*, quæ ſi non verior, at ſimplicior notatio videtur. Vocem poſtea de prauatam vulgo, & corruptam argumento eſt, quod in ſcriptis libris Iſidori ipſe etiam Salmaſius reperit partim *olophora*, partim, *olophera*, & *olopheria*, ne quis miretur ex *oloporphyris*, factas eſſe holofera, holobera, holouera. Papias Vetus Grammatius. *Holophora veſtis tota ex purpura; holon enim Grecè totum*. Holoporphyra ergo initio dicta, mox holophyra, holophera, & holobera, ſiue holouera: ideſt tota purpurea, quia vere talia erant, quorum ſcilicet ſtamen, & trama tota purpurea, hęcque priuatis interdicta. Apud Nonium verbo ſtola, Varro περὶ φθορᾶς κόσμου, *mulieres aliã cerneres cum ſtola holoſerica*. Recte docti corigunt *holoporphyro*, nullus enim tunc holoſerici vſus. De birris autem, infra commodius differemus.

Togarum diuerſa genera enumerata magis, quàm indicata. Auctorum ſententiæ expenſæ. Varro explicatus, & correctus. Cap. XI.

ET hæc quidem de toga communi, ac triumphali ſufficere poterant, niſi alia etiam togarum nomina, ac veluti ſpecies apud Plinium occurrerent: & rurſus aliqui diuerſa veſtium genera pro togis imperitè obtruderent. Verba Plinij ſunt lib. IIX. cap. XLIIX. *Lanam cum colo, & fuſo Tanaquilis in templo Sangi duraſſe prodente ſe auctor eſt M. Varro, factamque ab ea togam Regiam vndulatam in ædę Fortunæ, quã Seruius Tullus fuerat vſus*. Mox ſubijcit. *Vndulata veſtis prima e lautiſſimis fuit, inde ſororiculata defluxit. Togas raſas Phrygianaſque D. Auguſti nouiſſimis temporibus cæpiſſe, ſcribit Feneſtella. Crebræ papauerataæ antiquiorem habent originem, iam ſub Lucilio poeta in Torquato notatæ*.

In his explicandis facilius fuerit aliorum opinionem retellere,

fellere, quàm nouam interpretationem afferre. Nonius. *Vndulatum noue positum, purum.* Varro de Vita Pop. Rom. lib. 1. *Et a quibusdam dicitur esse Virginis Fortunæ ab eo quod duabus vndulatis togis est opertum, proinde vt olim nostri Reges vndulatas & prætextas togas soliti sint habere.* Vbi videtur Nonius *vndulatam togam* opponere *prætextæ*. Sed maiorum gentium critici ineptiæ Nonium accusant, ipsique existimant, vndulatas vestes dictas, quarum textura vndas imitaretur quæ Plauto *cumatilis* dicta: quod in lana texenda an fieri possit ipsi viderint: certe nostræ vestes vndulatæ qua ratione fiant, etiam rudes intelligunt. Cum præterea togæ essent albæ, ne quis vndarum speciem colorum, ac liciorum varietate expressam comminiscatur. Et licet tali toga vsus Seruius Rex dicatur, & ideo picta fuisse vndulatim dici possit, tamen communes huiusmodi vestes fuisse verba Plinij indicant, cum ait vestem vndulatam primam fuisse e lautissimis, ideſt qua, & alij præter Reges lauti homines vterentur, quibus nullum ius pictarum fuit, nisi in triumpho. In veteribus libris pro *vndulata* legitur *vngulata* voce non minus, atque illa insolenti. Ita duo manu exarati in Bibliotheca Ambrosiana constanter habent. Etiam in *soriculata* ijdem Critici vaticinantur. Alij enim *soriculatas* legunt, & sparto, ac lino condensatas interpretantur nempe a conserendo *sericulatas* dictas. Alij *sororiculatas*, vt est in veteribus libris; Alij *surorecutatas*, quæ perpetuis quibusdam suris, & latioribus virgis regulatæ essent, & eo toto texendi genere confectæ, vt sint a sura, vel a rica, vel regula. Sed quid iuuat in tenebris micare? Non exigua Critici laus est, etiam aliqua ignorare. Vel hic succurrant nobis, qui grandia semper minantur. Sanè huiusmodi suras, regulas, & figuras in lana texi non potuisse illud argumento est, quod in lana tantum Istrica & Liburnica, quæ filo proprior erat quàm lanæ, scutulæ texi poterant, in reliquis villi obstabant. Plinius eodem capite. *Istriæ, Liburniæque lino proprior quam lanæ pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania.* Hæc igitur lana, quæ minime villosa erat,

& li-

& lino similior, apta texendis scutulis erat, reliquæ ineptæ, in queis villi omnem texturam tegebant.

Quod ad Phryxianas & rasas attinet nõ ita Turnebi sententia displicet, qui ita dictas censet, quod Phryxæi velleris crispos & eminentes villos imitarentur, quasque cum spissis Seneca coniungit lib. 1. de Ben. c. 111. *Inueniam alium poetam apud quem præcingantur, & spissis, aut Phryxianis prodeant*: Vbi tamen loquitur de tunicis Gratiarum. His oppositæ rasæ fuerunt, idest minime villosæ: quemadmodum spissis rallæ. Magis inquam Turnebi opinio placet quam Popmæ ad Varronem de lin. Latina existimantis Phrygianam togam fuisse vestimenti genus distinctum filis aureis, & varijs meandris retortum quale a Virgilio describatur, *Vobis pictacroco & fulgenti murice vestis*. Nam Phrygianas, siue Phryxianas fuisse togas communes indicat Plinius cum eas rasis veluti opponit, & in vsu esse cepisse ait temporibus Augusti, cum tot seculis ante togæ pictę & a Phrygione elaboratæ in vsu essent. Sed locus ille Varronis mire deprauatus est. *Stamen astando, quod eo stat omne in tela vestimentum. Subtegmen quod subit stamini. Trama quod tramat frigus id genus vestimenti. Densum a dentibus pectinis quibus feritur.* Hęc est vetus lectio. Turnebus *trameat frigus* idest transmeat. Vt Varroni trama sit vestimenti genus rarum. Porro *Phrygum* pro frigus in veteribus legi idem testatur. Sed nec vllum vestimentum trama dictum est, & in quolibet trama locum habuit, quæ eadem cum subtemine, sine quo nullum vestimentum. Si ergo trama quod frigus tramaret siue tramearet, etiam densa spissaq; vestimẽta frigus trameasset inquibus necessario trama erat.

Nemo itaque Scaligero assenserit legenti *quod trameat Phrygionis vestimentum*. *Phrygionia* autem esse quæ Italo *ricamato* appellant. Sed omnia vestimenta, non solum a Phrygione elaborata tramam habebant. Sequitur Scaligerum Popma paucis mutatis. *Trameat Phrygium cum sit genus vestimenti. Trama enim* idest *filum trameat & currit intra stamen & subtemen cum texitur Phrygium genus vestimenti.* Nihil ineptius

prius dici potest, trama quæ subtemen erat trameabat intra stamen & subtemen. Nec rectius Ant. Augustinus. *Trama quod trameat filum*. Et postea. *Genus vestimenti densum*. Nam & trama filum erat. Deinde sequentia non cohærent. Sed denuo tentare hanc aleam, & cum viris Doctis falli quæ inuidia est? Totus locus ita legendus & interpurgendus videtur. *Trama quod trameat. Phrygium genus vestimenti densum a dentibus pectinis quibus feritur*. Sicut *stamen* a stando, *subtemen* quod sub stamine esset, ita *trama* recte a trameando quod inter stamen tramearet, & traijceretur. Sequitur *Phrygium* esse vestimenti genus densum, densum quidem a dentibus pectinis, id est bene percussum pectine. *Phrygium* autem quasi *ferigium* quod feriretur dentibus pectinis.

Notationis ineptia mira esset in Varrone si esset sola. Paulo post ait *tunicam* a tuendo dictam, & innumera his similia. Cui hæc coniectura non placet afferat meliorem.

At Paueratas grauiter pressas, & calcatas interpretantur pectineque percussas, id est easdem cum spissis, ac pauientibus. Vt crebræ sint quales Sophocli dicuntur σπαθηταὶ ἱστῆτες quod notauit Scaliger ad Cirin Virgilianam: qui apud Plinium pro *papaueratis Paueratis* legit, vt sint bene percussæ, quomodo *pauera* frumenta multum trita, vt granum deglubatur. Pauera autem a pauiendo. Pauire παρὰ τὸ παίειν. Hæc ille. Quæri postremo posset, quænam esset toga Græcanica apud Suetonium in Domitiano *Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream*. Sed facile hoc magnus Casaubonus expediet, qui recte togam Græcanicam ἀναλόγως Chlamydem interpretatur, quod magis placet quam quod alij pallium: nam idem Suetonius de Nerone in re simili. *Inuestis purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde*. Certe crepidæ numquam cum toga sumptæ, vt illa vestis Græcanica aut chlamys fuerit, aut palliũ Græcum purpureum. Chlamydẽ hanc Græcanicam diuersam fuisse a castrensi indicat Capitolinus in Pertinace. *Purpureasque chlamydes Græcanicas & Castrenses*. Lipsius etiam ad Tacitum lib. XIV. chlamydem

fuisse credit. Constanter tamen omnes M. S. Codices *togam Germanicam* præferunt. Toga etiam *flammata* apud Martialem ijs accedat licet, quæ adhuc ignorantur lib. v. epig. xx.

Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ
Flammatæ ve togæ scrupula tota decem
Luxuria est.

Nam vt demus Domitio *Flammatam* togam fuisse rubram: Quis vnquam huius togæ vsus fuit præcipuè apud clientes, & pauperiores? Nam purpureę triumphales erant, atque ingentis pretij. At sermo hic munerum saturnalitiorum, quæ quidem auari patroni largiebantur. Et licet purpureę lacernę a sumptuosioribus donarentur, togas purpureas donatas inauditum. Deinde quis vnquam dixit decem scrupula togę, quasi toga vt ligula argentea ad pondus daretur; & quę toga nisi fortè aranearum decem scrupula penderet? Neq; audiendus nuperus scholiastes qui decem scrupulis auri emptam intelligit. Nam nec locus togæ purpureæ, neque ea decem auri scrupulis parari poterat.

Quare corruptum locum suspicamur, sed cui sanando non sumus. In M. S. Florentino quem vidit Cl. & Præstantissimus Gerardus Vossius legitur *Flammaris ve tolæ*, vt & in veteri editione, quam lectionem amplexus est Scriuerius. *Flammaris ve togæ*. Sed quæ nam esset ista toga Flammaris non posuit. Ergo diuinandum est.

Abollam non fuisse togam, aut vestem Senatoriam. Quid ea fuerit. Cap. XII.

NOn erat hic Abollæ dicendæ locus, nisi eam quidam Romani cultus partem imperite feciissent, atque inuitis Quiritibus ciuitate donassent. Ptolomæum Regem ab Caio Cæsare non aliam ob causam perculsum narrat Tranquillus quàm quòd *ingressus spectacula conuertisset oculos hominum splendore purpureæ Abollæ*. Vbi Beroaldus ex Nonio obseruat, Abollam fuisse vestem militarem. Eum Torrentius, & Mar-

& Marcellus more suo descripsere. Verba Nonij afferam, quia malè affecta leguntur. *Abolla, vestis militaris.* Varro περὶ φθορᾶς κόσμου. *Toga tracta est, & abolla data est turbam, vbi fera militia munera velli vt præstarem.* Quem locum ita legendum pridem docti viderunt. *Toga detracta est, & abolla data est ad turbam mihi fera militias munera belli vt præstarem.* Belli ideſt in bello. Quę rectius se habebunt *si ad tubam* legamus, & *militiai* ideſt militiæ; Ait enim ille detractam sibi togam vestimentum pacis, & impositam militarem abollam, vt militię fera munia fungeretur.

Ex quo manifestum fit, quantopere aberrent qui Abollam Togam interpretati sunt, siue vestem Senatoriam. Sabellicus quidem ad Suetonium ait Festo *Abollam esse vestem senatoriam, dictam quasi Abullam, quod sit vndique bullata.* Neque hoc in Festo extat, quod sciam, & notatio inepta est, ac ridicula. Pappias etiam. *Abolla, togæ genus, vestis senatoria amictus duplex.* Quod toga, & vestis Senatoria, fallitur, nam Varro illam togæ opponit, vt eidem togę sagum opponebatur. Clarissime Martialis lib. IIX. ep. XLIIX.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus Abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.

Vbi Crispinus deposita abolla induit togam. Hos ni fallor in errorem Iuuenalis versus induxit.

— rapta properabat Abolla
Pegasus attonitæ positus modo villicus Vrbi.

Loquitur ibi poeta de Pegaso ab Domitiano in Albanum accito, quę verba non ostendunt abollam fuisse togam, sed potius pallium, quo extra Vrbem vtebantur. Et fortasse Iurisconsultus ille in pallio Philosophico fuit. Id enim etiã Abolla dicebatur. Idem Aquinas.

— atqui audi facinus maioris Abollæ:
Stoicus occidit Baream delator amicum,
Discipulumque senex.

Vbi Vet. Interp. *Prouerbium quasi maioris togæ ideſt sceleris potioris. Vel per ironiam dixit quasi sanctioris philosophi. Abolla species est maioris vestis, quasi pallij maioris;* Quo loco per

pallium maius philosophicum intelligitur, quod longius erat, ac fusius. Hinc Cynicos cum abolla induxit Martial. a Beroaldo adductus.

Cerea quem nudi tegit vxor abolla grabati.

Et licet idem Crispino in aula potentissimo purpuream abollam tribuat, non alia ratione vestem pretiosam fuisse credendum est, quam quòd erat purpurea.

Neque de nihilo est, quod ait Papias *Abollam fuisse duplicem amictum*, id enim a Seruio accepit, qui ad illud Virgilij.

Duplicem ex humeris abiecit amictum.

Duplicem amictum inquit *idest Abollam, quæ duplex est, sicut Chlamys.* Horat.

Quem duplici panno patientia velat.

Male autem Seruium Marcellus reprehendit, quod Abollam duplicem amictum interpretatus sit: nam Abolla erat Cynicorum vt diximus, hos, & Stoicos duplici panno velat Horatius, quare Abolla duplex amictus, & ideo pallium, non toga, aut vestis Senatoria. Cum hæc sub prælo essent, venit in manus summi Viri liber de modo vsurarum, in quo cap. xii. notatum inueni Præsides in prouincijs, immo & Præfectos Vrbis Abollam gestasse, atque in eo habitu iudicia exercuisse, atque hinc crimina extra ordinem animaduerti solita dici satyrico crimina maioris Abollæ, crimina scilicet extraordinaria, & de quibus debeat cognoscere Iudex paludatus, vel chlamydatus, quales erant Præsides, vel Præfecti. Cui opinioni nullo modo assentiri possum. Nam Præsides in prouincijs Prętextam gestasse certum est, & inde facile colligas, quod Romani omnes, & magna pars prouincialium togati incedebant, & proinde Romanus magistratus in toga prætexta. Hinc cos. qui extra Vrbem magistratum inibant eo loco prætextam sumebant quo honorem auspicabantur. Liuius lib. xxx. de Flaminio, qui iterum cos. designatus priuatus clam in prouinciam abierat. *Magis pro maiestate* inquit, *videlicet Imperij, Arimini quam Romæ magistratum initurum, & in diuersorio hospitali quam apud Penates suos prætextam sumpturum?* Ab Vrbe quidem paludati

dati proficiscebantur sed in prouincijs prætextati publicis muneribus fungebantur; Immo etiam in castris & exercitu, nisi pugnandum esset. Tacitus de Germanico pugnaturo aduersus Ariminum. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta pulchriorem aliam manibus auiæ Augustæ accepisse.* Et lib. III. Histo. *Sed vbi Cæcina prætexta, & lictoribus insignis dimota turba Cos. incessit.* Dio id a perte ponit lib. LIII. vbi Procos. institutionem sub Augusto narrat. Ait enim Καὶ ἐκ τε τοῦ κοινοῦ τῆ γερουσίας συλλόγου πέμπεσθ', μήτε ξίφος παραζωννυμένους μήτε στρατιωτικῇ ἐσθῆτι χρωμένους. *Vtque de communi Senatus corpore mitterentur neque gladio accincti, neque militari habitu vtentes.* Solis Augusti legatis datum subdit vt militari veste, gladioque vterentur. Sed demus Præsides chlamydatos, & paludatos in prouincijs iudicasse. Quis Vrbis Præfectum in ipsa Vrbe peregrino, ac militari cultu cognitiones exercuisse tradit? Iuuenalis Pegaso Prefecto Abollam tribuit: sed non iura reddenti: sed iter in Albanum facturo; sed Iuris consulto & fortasse propterea Philosophico habitu gaudenti, vel ex alia causa nobis ignota. Preterea cui non durum videatur, facinus maioris Abolle interpretari, de quo iudicet maiorem Abollam indutus? Non secus ac si quis diceret, parricidium fuisse facinus togæ, quod de eo iudices togati sententiam ferrent, & deferere agmen crimen paludamenti, quod de eo paludatus iudex cognosceret. Facinus ergo maioris Abollæ, quod supra notabamus, est facinus a philosopho & quidem sanctiorem vitam professo patratum, qui nempe Abollam gestabat. Egnatius nempe Celer stoicus, qui Baream Soranum amicum, & discipulum delatione oppressérat. Abolla pallium philosophicum, & ideo illud Cynicis Martialis adscribit, licet vestis etiam militaris fuerit, & ab alijs gestata, vt a Ptolomeo, & Crispino: sed pretiosior & purpurea. Philosophica vilior, & fusior ad instar pallij, & ideo Vetus Interpres maiorem Abollam *maius pallium* interpretatur.

Quod

Quod vestimenti genus fuerit Læna. Seruij opinio reiecta. Cap. XIII.

SIcut Abollam peregrinitatis notauimus, ita, & Lænam Romano cultui se inserentem excludemus. Plutarchus in Numa notat, Iubam Regem tradere, Lænas quas Reges ferebant, Græcorum χλαίνας esse. Idem sentit Festus, *Læna vestimenti genus habitus duplicis, quidam appellatam existimant Tusce, quidam Græcè quod χλαίνω dicunt.* Atqui χλαῖνα vt Greci notant ἡρῳϊκὸν φόρημα, Heroum gestamen. Hoc autem discrimen inter eam, & Chlamydem Macedonicam posuere, quod Chlæna vestimentum quadratum esset, Chlamys Macedonica in inferiori parte concluſa.

Lænam igitur siue Chlænam initio Heroes Regesq; gestarunt, etiam apud Romanos, vt tradit Plut. Lænam Aeneæ assignat poeta.

— *Tyrioque ardebat murice Læna*
Demissa ex humeris.

Vbi Seruius Lænam interpretatur *togam duplicem. Est autem propriè* inquit *toga duplex: amictus auguralis. Alij amictum rotundum, alij togam duplicem in qua Flamines sacrificant infibulati.* Alia quædam adijcit de Læna, quæ nihil ad rem. Postremo notat creditum Virgilium latenter indicasse Pontificalem ritum, quod veteri religione præciperetur in augurato Flamini vestem, quæ Læna dicebatur, a Flaminica texi oportere, qua vteretur Pontifex. Sanè hanc Flaminum vestem fuisse indicat Cicero de Claris Oratoribus *M.* inquit *Popilius cum Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione, & seditione nunciata, vt erat Læna amictus, ita venit in concionem.*

Sed quod eadem toga fuerit, nullo pacto admitti potest. Primò quia Læna eadem ac Chlæna, hæc autem vestimentum Græcanicum apertum, & quadratum, toga rotundum. Deinde quo modo Aeneæ apud Pœnos degenti toga datur,

& qui-

& quidem cum gladio? Immo ex hoc non male Nonius vestem militarem interpretatur. Huc accedit, quòd Læna, vt inquit idem, super omnia vestimenta accipiebatur, nec est credibile togam, & quidem duplicem supra togam sumptam. Nullaque apud veteres togæ duplicis mentio, nec scio, quo pacto duplex fieri posset, aut gestari, cum simplex satis onerosa satisque siuistrum cum brachio humerum premeret. Pallij quidem duplicis, & duplicati veteres meminerunt, de quo aliàs. Quare melius Festus qui amictum duplicem interpretatus est. Præterea Lænæ vsus in conuiuijs apud Romanos, in quis de positas togas quid attinet dicere? Quod vero reliquis vestimentis, etiam togæ Lęna superinijceretur, notum fit ex Martiale in Apophoretis.

Læna

Tempore brumali non multum leuia prosunt.
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Quintilianus de habitu Oratoris. *Et cum ad argumenta, ac loca ventum est, reycere a siniſtro togam, deiycere etiam sibæreat, conueniet: Lænam faucibus, ac summo pectore abducere licet.* Si Læna toga duplex, tribus togis implicitus, & inuolutus, ac circumclusus orator ille fuisset. Calenus etiam apud Dionem Ciceroni obiectat tenues Lænulas lib. XLVI. τὶς μὲν γὰρ οὐχ ὁρᾷ σουτὰ λεπτὰ τᾶυτα χλανίδια; Atqui tunc Cicero in Senatu, & togatus.

Quare lęnam pallium fuisse non est dubitandum apertũ, ac breue, vt Grecorum Chlęna, non multum Chlamydi absimile, quo Reges initio vsi sunt, deinde, & vulgus, idque villosum, & arcendo frigori adhibitum, togęque superiectum, in ipsis conuiuijs vsitatum. Et Heroicum quidem Regiumque gestamen ostendimus. Mox vulgo vsurpata Iuuenal.

—— Plurima sunt, quæ
Non audeant homines pertusa dicere læna.

Ea autem sumpta aduersus frigus, & ideo superiecta ceteris vestimentis. Pollux Χλαῖνα ἱμάτιον ὅπερ τῷ χιτῶνι ἐφ' ὅ-τῳ μὲν τοι ἐνδύναιον περιβόλαιον. Alias autem Chlęnas fuisse ait ἁπλοί-

ἁπλοίδας alias διπλὰς quas Attici ἁπλαγίδας, διπλαγίδας, & διβόλους appellabant. Χλανὶς δὲ ἱμάτιον λεπτόν: χλανίδιον. Fallitur Bayfius, qui veſtem ait, qua milites vtebantur per æſtatem. Hinc, & conuiuijs adhibita, hyeme ſcilicet cum depoſitis togis ſola veſtis cœnatoria non ſufficeret. Perſius.

Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna eſt

Niſi eadem cum Syntheſi fuit. Hęc hyemi, vt pinguior, linea ęſtui accomodata. Etiam Iuuenalis diuitem a cœna redeuntem, *coccina læna* amictum inducit. Martialis de fure conuiuiorum, *& tectus lænis ſæpè duabus abit*. Ita tamen vt quod de Syntheſi diximus, colore, ac pretio ditiorum, ac pauperum lænę diſcernerentur. Nam, & clientibus cum togulis donatas idem docet, & inter apophoreta numerat,

— *Algentemque togam, breuemque lænam*.

Atque hanc etiam veſtem balnearem credendum eſt de qua Lampridius in Alexandro, *Balneari veſte ad Palatium reuertens*. Niſi eam fuiſſe lacernam ex ſequentibus colligamus. *Hoc ſolum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat*.

Non enim multum abſimilis Chlamydis, ac lacernæ fuiſſe videtur, cum lacerna etiam reliquis veſtimentis ſuperinijceretur, etiam arcendo frigori. Et ſi aliquod diſcrimen fuit non aliud crediderim, quod læna grauior fuerit, ac villoſa, totumque hominem inuolueret licet aperta, ideſt humeros, & pectus, cum Chlamydes, & lacernæ ferè tantum humeros. Quare non rectè viri docti obſeruant, ideo a Virgilio lænam ex humeris Aeneæ demiſſam dici, vt exprimeret morem Romanorum in Chlamyde induenda, quæ ab humeris dependens bonam corporis partem nudam relinqueret; Nam contra nō humeros modo, ſed & pectus obuelaſſe docet Quintilianus cum in agendo a faucibus, & ſummo pectore abduci ſolitam tradit. Quia ergo vtrinque hominem tegebat, & niſi quod aperta erat, adinſtar togæ hominem inuoluebat, ideo fortaſſe *toga duplex*, Seruio dicta eſt, & *amictus duplex*, Feſto; Vetus Interp. Iuuenalis ad hunc, cum

Coc-

Coccina læna. Purpura, inquit (L. *purpurea*) *qua diuites olim vtebantur*. Virgilius.

Varioque ardebat murice læna.

Antiqui Amphimallum lænam appellabant, ideſt vtrimque villoſam. Quod idem atque ἀμφίβαλον, ſiue ἀμφίθολον docti fecerunt, quòd vtrinque indueret, ſiue hominem circumuolueret. Quæ ſequuntur apud Interpretem corruptiſſima ſunt.

Quod Græci coccum, latini teres Birrum vocarunt. Fortaſſe. *Quod Græci Coccinum, ſiue cocceum dicunt, Latini veteres Birrum vocarunt*. Veſtem enim cocineam, & rubram ab ignis colore πυρρὸν dixere Latini Græca voce, mox *Birrhum*. Iſidorus lib. XIX. cap. XXIV. *Birrus a Græco vocabulum trahit, illi enim birrum bibrum dicunt*, L. πυρρὸν Rufum, rutilum, talis enim fermè lacernarum color, de quibus infra.

Finis libri Secundi.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA LIBER TERTIVS

QVI EST DE TVNICA.

Tunica. χιτὼν. Dionis Interpres, & Manutius notati. Maldonati sententia reiecta. Cap. I.

QVod initio præfatus sum, magnam Manutio iniuriam nuperi fecerunt cuius dissertationem de Tunica transcripserunt eo tamen ne semel quidem laudato. Certo non erimus illorum similes, & a nobis ingenium, aut cultum, fidem nunquam desiderari patiemur.

Tunica, vndecunque dicta sit, (malumus enim id ignorare, quam cum Grammaticis ineptire) Græcis χιτὼν dicitur, vestimentum scilicet interius, cui toga, aut pallium, aut alia superior vestis inijceretur. Idque tam virile, quam muliebre: quamquàm Hesychius virile tantum faciat. χιτὼν, ἐνδὺς, θωρὰξ, ἱμάτιον ἀνδρικόν. Proprie tamen tunica virorum fuit, stola fœminarum, quo fortasse respexit Hesychius.

Nec alio vnquam sensu χιτὼν a Græcis accipitur, quam vt tunicam significet, vt mirum sit quosdam togam interpretatos esse. Mitto Plutarchi Interpretes, qui illud in Catone Vticense ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων πολλάκις δὴ τὸ Βῆμα προσερχόμενος, flagitiosè verterunt *sæpè nudis pedibus, & sine toga ad rostra veniens*, cum tamen initio eiusdem vitæ eorundem verborum rectum sensum assecuti essent. Miror viros doctissimos etiam curis secundis verba Dionis de Tigrane ad Pompeium veniente perperam de toga accepisse. Quem tradit, quo & reuerentia Pompeij, & misericordia dignus videre-

videretur, ita se composuisse, vt inter pristinam dignitatē, & præsentem fortunam statum seruaret; τὸν μὲν γὰρ χιτῶνα τὸν μεσόλευκον, καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον ἐξέδυ. *Togam enim* (verterunt) *semialbam & Candim purpureum exuerat.* Quis locus togæ in Tigrane, & quis χιτῶνα togam dixit? Tygranes indutus erat tunica, & chlamyde, siue veste superiore Regia purpurea; Nam fuisse ad instar chlamydis militaris testatur Hesychius licet χιτῶνα generice appellet. Κάνδυς χιτὼν περσικὸς, ὃν ἐν ἐκπορποῦνται οἱ στρατιῶται. *Candis vestis Persica, quam infibulant milites.* Fuisse autem distinctam a tunica præter Dionem hic testatur Xenophon lib. 1. Cyripæd: Οἱ πορφυροῖ χιτῶνες, καὶ οἱ κάνδυες. Xilander etiam illud Philetæ apud Strabonem lib. 111. λῳγαλέος δὲ χιτῶν πεπυνομένος togam sordibus squalidam interpretatur, cum de tunica intelligendum sit.

Sed vt ad Romanos veniamus, antiquissimi vt supra tetigimus ex Gellio, sine tunica toga sola amicti fuerunt, postea substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habuerunt, tales Romuli ætatis statuas in Capitolio, & in Rostris Camilli togatas sine tunicis fuisse tradit Pædianus supra memoratus. Rem auget Manutius, quod Ennius apud Gellium *tunicatam* non sine probro iuuentutem Carthaginiensium vocat, inusitatas fuisse tunicas Ennij ætate credit, idest inter secundum & tertium Punicum bellum. Adijcit, Cincinnatum cum ei Senatus aranti, aut fodienti Dictaturam detulisset, togam e tugurio, ne nudus, & resperſus puluere mandata senatus audiret, proferri iussisse eaque simul absterso puluere, ac sudore velatum processisse; Nulla tunicæ mentione apud Liuium qui rem narrat, qua puluerem, & sudorem abstergi potius decebat, quam toga. Quare mirari se ait, cur scripserit Plutarchus in Coriolano, eos qui magistratum petebant descendere solitos in forum togatos sine tunica, vel vt supplicarent humilius, vel vt vulnera aduerso pectore excepta ostenderent, cum multis post Coriolanum annis ignota fuerit tunica. Sed nullo modo audiendus est vir doctissimus quem ratio hic longe

fugit. Credimus quidem Pædiano, immo & Plinio, togatas Romuli ætate ſtatuas in Capitolio ſinè tunicis fuiſſe, & Camilli in Roſtris: ſed vſq; ad Ennij ætatem, vel vltra ignotum tunicarum vſum, nullus nobis perſuadebit. Quî enim poterit? Nam vt bello Punico ſecundo crebram tunicarum mentionem miſſam faciam apud Liuiũ, cuius loca non bene memor attulit Manut. in extrema diſputatione de toga, vbi tunicæ non ſemel ad exercitum miſſæ dicuntur. Numa apud Liu. lib. 1. ab vrbe *Salys tunicæ pictæ inſigne dat, & ſuper tunicam aneum pectori tegumen*. Plinius lib. IX. c. XXXIX. *Lato clauo primùm Romæ vſum Tullum Regem ſcribit deuictis Etruſcis*. Atqui latum clauum fuiſſe tunicam fatetur Manutius, & ea reliquos Reges deinceps vſos non it infitias. Ita *latos clauos audita Caudina pace depoſitos*, auctor Liuius eſt lib. IX.

Immo non vltra Romuli ætatem ignotus tunicarum vſus videtur. Nam Plinius lib. XXXIV. cum de ſtatuis loquitur. *Primas*, inquit, *putarem has, & Attij Nauij poſitas ætate Tarquinij Priſci, niſi Regum antecedentium eſſent in Capitolio ex his Romuli eſt ſine tunica, ſicut Camilli in Roſtris*. Vnius ergo Romuli ſtatua ſine tunica, nec attinuiſſet rem ſingularem notare, ſi reliquorum Regum tales fuiſſent. In Camillo debuit eſſe aliquid peculiare. Siue ipſe ſolus ætate ſua antiqui cultus imitator ſine tunica inceſſit, quemadmodum poſt Cato fecit: ſiue eodem habitu ſtatuam illi Quirites poſuerunt, quo Romulo locauerant, tamquam alteri Vrbis parenti, ac conditori.

Ennius apud Gellium non ideo tunicatam iuuentutem Carthaginenſium probri cauſa dixit, quod tunc inuſitatæ Romanis tunicæ: ſed vt alijs obſeruatum, quod ſolis tunicis induti incederent Pœni nullo pallio, aut alia exteriori veſte. Nam quod de Cincinnato Manutius addit, nullius momenti eſt. Tunicatum enim fuiſſe credibile eſt in opere ruſtico, nec diuerſum tradit Liuius, faciliuſq; illi fuit toga laxo & fluido veſtimento ſudorem ac puluerem abſtergere, quam tunica preſſa, corporique adſtricta. Et vt nudus fuerit in agro colendo, non tamen inde colligas, reliques

etiam

etiam Vrbanos sine tunica egisse.

Videntur igitur tunicæ antiquis Reip. temporibus in vsu fuisse, saltem post Romuli ætatem. Ita quidem, vt vna tantum tunica sub toga indueretur, post, vt notat Manutius, duæ pluresue in vsu venerunt. Varro apud Nonium, *Postquam duas tunicas habere cæperunt, instituerunt vocare subuculam, & intusium*; Quorum verborum sensum esse assentimur Manutio, cum binas tunicas Romæ gestare cæperunt Subuculæ, & Intusij orta esse nomina, vt ab inferiore superior tunica distingueretur, & subucula esset interior viri tunica, intusium interior tunica mulieris, superior vero in viris tunica diceretur, fœminarum stola. De subucula Horatius.

— *Si forte subucula pexæ*
Trita subest tunicæ

Et Suet. de Augusto. *Hieme quaternis cum pingui togatunicis, & subuculæ thorace laneo muniebatur*. De Intusio Nonius. *Indusium est vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret, quasi intusium*. Fuisse autem fœminarum interiorem tunicam ex eo colligit Manutius, quod Varro cum palla muliebri vestimento coniungit. Frustra igitur Lambinus ad illud Plauti in Aululari *Ne inter tunicas habeas*, quærit cur inter tunicas dixerit, & non inter tunicam, vnam enim tunicam inquit gerebant non duas: deinde satis friuolas rationes affert: siue numerum multitudinis pro singulari vsurpauerit, siue auarus ille senex putaret seruum plures tunicas gestare, vt supra non duas manus tantum, sed plures in eo quærebat. Atqui seruus alter *Amphitruone* ait *Immò equidem tunicis consutis huc ad venio, non dolis*. Duas igitur & plures tunicas gerebant, præcipue ditiores. Cynicus apud Lucianum diuitum ornatum cynædorum simile ait, nec discerni posse, aut colore vestium, aut mollitie, aut τῷ πολυδείτων χιτωνίσκων, aut multitudine tunicularum.

Quoniam autem idem mos apud Iudæos vigebat, Christus Dominus seuerius vitæ institutum formans vetuit discipulos duas gestare tunicas. Math. cap. x. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram*

peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta. Vt nunquam satis mirari potuerim doctissimum Maldonatum ita hæc interpretatum esse. Non quidem prohiberi duabus simul si necessitas, & frigus postulet tunicis indui, sed plures habere tunicas, quam in præsentem necessitatem requirerentur, vt solent diuites, & harum rerum solliciti habere vnam in præsentem vsum, alteram in futurum. Hæc vix digna sunt quæ refutentur. Nam si cogente frigore permisit Christus D. vt duas tunicas induerent: æstate vnica contenti fuerint, quid altera factum est? habere eam in futurum vetabantur, eam igitur vendere, aut donare cogebantur (Luc. III. *qui habet duas tunicas det non habenti*) quam rursus instante bruma compararent. Sed fortasse durũ videbatur illi qui Christi socius esset ita ab antiqua disciplina deflectere vt plures tunicas & cum subucula thoracem gossipio fartum, interdum pellibus suffultum gestaret.

At ratio quam affert magis mira est. *Nam & Christum* inquit, *duabus simul tunicis indutum fuisse ex Ioannis* XIX. *manifestum est*. Haud vidi magis. *Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo non scindamus eam sed sortiamur de ea*. Vbi hic duæ tunicæ? Quid plura? totum hoc commentum reuincit Marcus cap. VI. *Ne induerentur duabus tunicis*. Quod ita idem interpretatur ideſt ne duas tunicas haberent, quæ diuersis temporibus induerentur. Sed piget his diutius immorari.

Cum igitur duæ minimum tunicæ essent altera interior altera exterior dicebatur. Prioris meminit Val. Maximus lib. VII. c. IV. *Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi quid ita sparsum & in certum militiæ genus sequeretur: absiste inquit istud quærere: nam si huius consilij mei interiorem tunicam conscium esse sensero continuo eam cremari iubebo*. Plutarchus rem eandem narrans χιτωνίσκον appellat vt reliqui Græci scriptores. Appianus lib. I. ciuil. de Sylla qui in concione Lucretium

tium Offellum suo iussu necatum professus adiecit fabulam *Rusticus cum inter arandum molestè ferret infestantes se pediculos semel atque iterum aratione intermissa* τὸν χιτωνίσκον ἐκάθηρεν *tuniculam siue interulam purgauit.* Aelian. lib. XIII. c. XXXVII. Gelon cum sibi parari insidias intellexisset sumptis armis in concionem processit, suisque meritis commemoratis arma exuit, & inquit ἐν χιτωνίσκῳ ad sum. Quamquam & pro tunica illud intelligi possit, subijcit enim a Syracusijs ipsi positam statuam ἐν ἀζώστῳ χιτῶνι, indiscincta tunica in memoriam scilicet eius facti quo inermis & discinctus in concionem processerat. Dio lib. LXXVII. de militibus Cilonem e balneo ad necem ducentibus: illum cum soleis nam captus erat in balneis καὶ χιτωνίσκον ἐνδεδυμένον interula amictum. Breues autem illas & substrictas tuniculas citra humerum desinentes quas antiquissimis Romanorum gestatas tradit Gellius, Græce ἐξωμίδας dictas idem notat, quòd nempe humeros minimè velarent. Festus *Exomides vestitum Comicum exertis humeris interpretatur.* Alij etiam de Cynico pallio acceperunt, quòd nempe dextrum humerum excluderet.

Tunicas in petitione honorum depositas. An Cynici tunicas gestarint. ὀθόνη. ῥάκος. *Cap. II.*

CAndidatos cum prensarent sine tunicis sola toga amictos fuisse, tradit Plutarchus in Coriolano. *Mos*, inquit, *erat petentibus Consulatum, vt rogarent, & prensarent ciues togis amicti in Comitijs sine tunica.* ἐν ἱματίῳ. Vbi non recte Interpres. *In Veste.* Nam & tunica vestis erat. Et Plutarchus & Græci omnes frequenter togam ἱμάτιον appellant. Idem in Camillo tradit, Falisios obsessos a Camillo adeo obsidionem contempsisse vt præter stationes in muris dispositas togati per vrbem reliqui obuersarentur ἐν ἱματίοις, *in togis*. Ibi etiam Interpres *in vestibus*. Voluerunt enim habitu pacis denotare, se belli minas insuper habere. Cur autem tunicæ a candidatis deponerentur, cau-

sas

sas affert Plut. ibi. Siue quo magis ea specie humiliores essent ad supplicandum; siue, vt qui cicatrices haberent subijcerent oculis signa fortitudinis. Deinde refellit eorum opinionem qui id actum crediderunt ne pecunia tunicis occultaretur ad emenda suffragia. *Non enim* inquit *suspicione largitionis, & ambitus ἄζωστον ἐβούλοντο προϊέναι, καὶ ἀχίτωνα.* Interpres. *Nec vero ob plebis suspicionem ita recinctos, & absq; intima tunica supplices ire cogebantur.* Mira Latinarum & Græcarum litterarum peritia. ἄζωστον, discinctum, sine Zona. Nec solum sine intima tunica, sed omnino sine tunicis; Zonam autem cum tunica iungit, quod illa sola cingeretur, non toga, vt diximus.

Duæ igitur saltem tunicæ in vsu fuere: exterior, quæ simpliciter *tunica*: & interula, siue subucula. Quamquam quosdam vnica tunica contentos, precipuè qui seuerius educabantur, docet Varro apud Nonium. *Mihi puero modica vnica fuit tunica, & toga, sine fascijs calceamenta.* Hinc Cynici, qui in cultu asperitatem affectabant, etiam sine tunica incessere, vt docti pridem ad Tertulliani pallium meruerunt, inde illud Satyrici explicantes.

— *& Stoica dogmata tantum*
A Cynicis tunica distantia.

Quòd nempe Stoici more ceterorum gestarent cum pallio tunicas, quibus Cynici carebant. Et si autem ἀχίτωνες Cynici fuerint, interulam tamen gestasse ijdem viri doctissimi credi volunt, eamq; interulam, siue subuculam lineam fuisse, quæ Grecis σθόνη, & sindon dicatur; Quod nempe Crates a Laertio inducatur amictus sindone, & a Luciano Protheus cum pallio, & interula. Sed hoc fortasse in illis peculiare fuit; in Protheo quidem, qui conscensurus pyram othonion induit, ne depositio pallio nudus conspiceretur; At Crates ob id ab Athenienſibus reprehensus est, quod in sindone præter morem incederet. Vt vt sit, interulam ab Cynicis non esse gestatam, duo sunt quæ mihi persuadent. Alterum quod causa duplicandi pallij Cynicis siue aliter gestandi quam mos communis esset, non alia fuit,

quam

quam vt esset loco tunicæ, eaque tamquam superuacua deponeretur, quare se totos pallio inuoluebant, ne nudi conspicerentur, vtque alienis oculis parcerent, qui pudori suo minime parcebant: quo non opus fuisset, si in locum tunicæ venisset interula strictior quidem & breuior, sed quæ saltem verecundiæ consuleret. Cum igitur sibi ita pallium injicerent, vt solum brachium dextrum cum bona humeri parte exererent (quare illis fauisse dicitur Cato a Tertulliano, cum sine tunica in forum processit) ideo exerto, ac seminudo pectore Cynici a Cypriano inducuntur quod non fuisset si illud sindone obuelassent. Lucianus de Cynico. *Quid tu tandem barbam quidem habes, & comam, tunicam non habes, καὶ γυμνοδερκῆ, & nudus conspiceris?*

Ac ne quis dicat, pallium duplicatum a Cynicis & corpori circumiectum non ad velamen, sed arcendo frigori, hoc ab eorum hominum tolerantia alienum est, qui ad maiorem patientiam ostentandam graue pallium æstate, hyeme leue gestabant. Sic Crates a Philemone Comico apud Laertium inducitur æstate crasso pallio indutus, hyeme detrito, & leui.

Καὶ τῷ θέρους μὲν ἔιχεν ἱμάτιον δασὺ
Ἵν' ἐγχρατὴς ἦ, τῷ δὲ χειμῶνος ῥάκος.

Vbi ῥάκος non pannum, sed detritum pallium vertendum erat. Hesychius Ῥάκος διερρωγὸς ἱμάτιον. Ῥάκη ἀποσκορακίσματα, καὶ ἀποσφάσματα ἱμάτια. Ῥακέαζι, ἱμάτια ξυραίνει.

Alterum quod vetat credere fuisse a Cynicis gestatas interulas, ac sindones est, quòd hæ lineæ erant, ac molles, tenuesque, & ab Homero solis mulieribus attributæ, niniæ profecto in Cynicis delitiæ, cultus asperitate in ostentationem gaudentibus. Tales autem fuisse ὀθόνας, & ὀθόνια declarant veteres Grammatici. Ὀθόνη σινδὼν, ζώνη, τελαμών: γυναικεῖον ὀθόνιον λεπτὸν, καὶ πᾶν το ἰσχνὸν μὴ λινοῦν ἦ. Ὀθόνια λυτὰ ἱμάτια. Quæ omnia indicant & vestes tenues fuisse, & lineas, & mulierum proprias.

Quare præter pallium nudos incessisse Cynicos, eamque nuditatem pallij inuolucro texisse vero similius est, quam

leuibus, ac tenuibus tuniculis, qui nihil magis inueſtitu quã mollitiem aſpernabantur. Lucianus. *In arido præterea ſolo cubans* ὡς ἄσην πάμπολλον τοὶ τὸ τριβώνιον φέρειν: ἐμέν τοι, καὶ τοῦτο λεπτὸν, οὐδὲ μαλακὸν, οὐδὲ ἀνθηρὸν. *Adeo vt plurimum etiam ſordium tritum iſtud pallium referat, alioqui nec ipſum vel tenui filo, vel molle, vel floridum.* Si quis tamen ὀθόνια cum Heſychio Zonas, & faſcias interpetretur, eas Cynicis tribuat per me licebit, dummodo non ſubuculas, aut interulas.

Tunicæ Lineæ. Paragaudes. Cap. III.

QVando primum apud veteres tunicæ lineæ interiores in vſu eſſe cęperint, haud facile dixerim; Nam apud Romanos non niſi ſero id factum inde colligas, quod nulla ferè mentio linearum apud antiquiſſimos; quique interulam, & tunicam diſtinxere, hoc ſolum diſcrimen poſuerunt, quod altera interior indueretur, altera ſuperaria eſſet, addituri vtique altera lineam, laneam fuiſſe alteram. Deinde quia balnearum vſum præcipuum fuiſſe ſcriptores tradiderunt, quod cum laneis veſtibus etiam interioribus vterentur facile erat ſordes contrahere, quæ balneis frequentibus depellendæ. Præterea Plinius cum veſtium mentionem faceret, eas cum de lanis ageret, executus eſt, corporumque tutelam pecori adſcribit, & cum de lino agit, nullum lineæ veſtis vſum agnouiſſe videtur, precipuè in viris, nam ex Varrone ſcribit in Serranorum familia gentilitium fuiſſe fęminas linea veſte non vti. Plautus etiam non ſemel mulieribus linea veſtimenta adſcribit, viris numquam. Nonius. *Tunicare pro veſtire.* Varro λογομαχία. *Hæc lanigeras detonderi docuit, tunicareque homulum.* Martialis qui omne veſtimentorum genus tetigit, nihil de linteis. Horatius ſubuculam tritam tunicæ pexæ opponit, quod in linea veſte eſſet non poteſt. Ouidius de veſtis muliebris coloribus in III. de arte.

Quot noua terra parit flores cum vere tepenti

Vitis

Vitis agit gemmas pigraque fugit hiemis.
Lana tot aut plures succos bibit, elige certos
Nam non conueniens omnibus vnus erit.

Et de medicamine faciei

Vellera sæpe eadem Tyrio medicantur aheno.

Quare non ita valido argumento Casaubonus Exer. XVI. Euthymij opinionem refutat, qui tradit Christum Dominũ gestasse pallium, tunicam, & tunicam inconsutilem, ex eo quòd qui duas tunicas gestabant, interiorem lineam, habebant, exteriorem laneam, & tamen inconsutilis lanea erat. Nam quidquid sit de duabus tunicis, de quibus non est hic locus. Nullus aut rarus linearum vsus apud Hebræos, quemadmodum apud Romanos, præcipue in Christo Domino, & Apostolis, qui nullam huiusmodi in cultu mollitiem agnouerunt.

Ex Suetonio tamen colligi videtur, subuculas fuisse lineas qui scribit Augustum hyeme, *quaternis cum pingui toga tunicis, ac subuculæ thoracæ laneo muniri solitum*. Nam si lanęę tunicæ fuerunt, quid opus erat subuculæ thoracem laneum dicere? Sed male veterem lectionem, quam Beroaldus agnoscit, nuperi sollicitarunt, in qua scriptum, & *subuculæ, & thorace laneo*. Thorax tunc non nisi inter munimenta pectoris ad ictus repellendos, & ex ære ferro, & corio, vt lorica; Hoc ergo peculiare in Augusto notauit Tranquillus, quod thorace laneo vteretur præter subuculam, & tunicas. Frustra Torrentius subuculæ thoracem explicat, quia subucula pectus tegebat, quod vt verum sit, tamen a thorace distincta.

Non nisi serò igitur lini vsus in tunica interiore, quo tempore lineæ tunicæ promiscuè vsurpatæ, nec minima pars luxus addita ijs purpura, atque auro. Lampridius in Alexandro. *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri*, (ideſt sine auro ac purpura) *dicens, si lintei idcirco sunt, vt nihil asperum habebant, quid opus est purpura? in linteam autem aurum m iti etiam dementiam iudicabat, cum asperitati adderetur rigor*. Nolebat Alexander lineis purpuram, vel aurum ad-

di, quod tunc solemne erat; Nam vt tunicis laneis, & subsericis, ita proprie lineis interulis aureæ fasciæ limbique ac segmenta addebantur, quas *paragaudas* dixere, vt nos magnus Casaubonus docuit, siue ea vox Parthorum, siue Syrorum fuit. Vopiscus in Aureliano. *Cum darentur tunicæ subsericæ lineæ paragaudiæ*; Vbi paragaudas a vestibus, quibus adsuebantur, separari potuisse idem obseruat, & modo singulas, modo binas, ternas, ac quaternas, ac quinas adsutas, sicq; monolores, dilores, ac pentelores dictas quod lorum fasciam, ac segmentum auratum significet. Plura etiam de Paragaudis adiecit doctissimus Salmasius ad Historiæ Augustæ scriptores, quæ operæ sit legisse.

Ministros conuiuiorum in tunica & ferme linea solitos ministrare. Cap. IV.

TRadit Lampridius, Constantium adeò in nullo pretio Eunuchos habuisse, vt & chlamyde vti vetuerit. Quo loco militia submotos Eunuchos censuit Casaubonus. Hæc opinio displicuit viro doctissimo qui Casauboni vestigia legit. Ipse existimat, Eunuchos postquam domesticarum necessitatum ministerio deputati a Constantino fuerunt, chlamyde vti vetitos, quod regij ministri sola tunica vterentur. Id de omnibus seruis ac ministris Regijs intelligendũ, adduci non possum vt credam: sed de ijs tantum, qui mensæ inseruirent, ministrarentque & solius conuiuij tempore. Nam si etiam seruis priuatis ius chlamydum fuit, earũ vsum regijs ademptum quis credat? Clamyde autem seruos vsos declarant verba lib. 1. cod. Theod. de habitu quo vti oporteat intra Vrbem. *Seruos sane omnium, quorum tamen dominos sollicitudine militiæ constat non teneri, aut birris, aut cucullis vti permittimus.* Birros autem, lacernas & chlamydes idem fere vestimentum fuisse, ijdem viri doctissimi satis ostenderunt.

Soli ergo mensæ inseruientes, vereque ministri in sola tunica fuere, vt expeditiores essent. Quo spectant Ammiani

miani verba ab ijsdem adducta. *Stetit itaque subtabidus nusquam reperto paludamento tunica auro distincta, vt Regius minister indutus a calce in pubem in pædagogiani pueri speciem.* Vox enim minister rem totam declarat, quod in conuiuio aurata tunica ministrarent. Lampridius in Alexandro. *Auratam vestem ministrorum nullus vel in publico conuiuio habuit*, in quo locus auratæ tunicæ. Ita & cum Imperatores auratas paragaudas priuatis interdixere, ministrisq; permiserunt, de conuiuiorum ministris intelligendum est. Cod. de vest. holou. leg. 11. *Nemo vir auratas intunicis aut lineis habeat paragaudas: nisi hi tantummodo quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est.*

Nam & in conuiuijs priuatis ministri tantum tunicati. Apuleius. lib. 11. de conuiuio Byrrhenæ. *Puellæ scitulæ ministrantes, pueri calamistrati pulchrè induſiati gemmas formatas in pocula vini vetusti frequenter offerentes.* Seneca de breuitate vitæ cap. XII. *Cum videam quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant.* Horatius. *Præcincti vt rectè pueri comptique ministrent.* Constantinus igitur cum chlamydes eunuchis ademit, quorum immensa, & absurda potestas sub alijs Imperatoribus fuerat, omni iure mulctauit, & infra seruorum conditionem deiectos soli conuiuiorum ministerio addixit. Hinc etiam Christus Dominus pedes Apostolorum ante conuiuium loturus posuit pallium, quia vt Nonnus interpretatur seruile opus facturus erat. Seruorum enim erat sine pallio, aut alia veste exteriori tunicatos, & cinctos, vel etiam linteo succinctos ministrare. Suet. de Caligula. *Senatores summis honoribus functos cœnanti sibi modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est.* Casaubonus in exercitationibus attulit etiam locum Philonis in hanc rem, qui Essenorum conuiuia describens obseruat mancipiorum vsum ab ipsis repudiatum nam liberorũ opera vtentes cauisse ne vllam habitus seruilis speciem inter ministrandum præberent & propterea discinctos, ac demissis tunicis in cœnationem solitos ingredi. Positum autem a Christo pallium vestem exteriorem idem obseruat, quod bra-

brachia includeret, & ideo inepta ad miniſteria quæ liberum brachiorum motum requirunt.


Etiam ſub Flauiorum Imperio miniſtri Regij aliquid peculiare in cultu habuerunt. Suetonius in Domitiano. *Generum fratris indigne ferens & ipſum albatos miniſtros habere proclamauit ἐπ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*. Quo loco Torrentius, vt ſæpè ſolet, nihil præter ea, quæ notauerat Beroaldus affert. *Album colorem in lætitia vſurpatum, in ſacrificijs, conuiuijs, & ſpectaculis*, quod ſi verum eſt, vt non negamus, quid peculiare habuerunt Regij ſerui albati, ſi plerique omnes in conuiuijs, & ſacrificijs pariter albati? Id tamen ſolis Imperatoris miniſtris conceſſum, Domitiani querela indicat, qui apud Sabinum miniſtros albatos viderat. Manutius de togis intelligit: Sed nullus togarum vſus in conuiuio & ſi fuiſſet, reliquorum etiam togæ albæ. Lipſius ait de tunicis, vel pœnulis intelligendum, ſed caue de pœnulis capias, quæ conuiuijs, ac miniſterio impropriæ: multominus eum colorem fuiſſe libertatis, nam cui bono in ſeruis, cumque tota libertas interierat?

Vel ergo priuatorum ſerui in tunicis pullis miniſtrarunt, quem veſtis ſeruilis colorem Plautus, & Artemidorus indicare videntur, Regij albati; Vel ſi etiam reliquorum ſeruorum albæ tunicæ quod conuiuiorum lætitia veriſimilius facit, præcipuè ſi in linea interula, fortaſſe regiorum miniſtrorum tunicæ albatæ ideſt candidatæ, quales petitorum togæ, & creta candefactæ: cuius tamen moris non aliud veſtigium extat. Vel quod quibuſdam viſum eſt, non tantum albæ erant illæ tunicæ, ſed auro diſtinctæ, vt paulo ante diximus. Sed ſi omnium miniſtrorum tunicæ albæ erant cur iſtæ non potius auratæ appellatæ ſunt, quam albatæ? Nondum enim tunicis miniſtrantium additum aurum exiſtimo, ſed longo poſt tempore, cum ſcilicet paragaudes inſtitutæ. Niſi quis Senecæ etiam ætate tunicas auratas fuiſſe arguat ex eius verbis de Tranquilit. cap. 1. *Præſtringit animum apparatus alicuius pædagogij, diligentius quam intra priuatum larem veſtita, & auro culta mancipia, & agmen ſeruorum nitentium.*

tium. Si tamen aurum illud tunicis intextum, & non per armillas, annulos, & alia ornamenta pædagogijs datum. Plinius de auro. *Honestius viri pædagogijs id damus*. Videant docti. Ceterum Seneca eodē lib. de breuitate vitæ cap. XII. etiam alios colores in ministris conuiuiorum agnoscit. *Qui vinctorum suorum greges in ætatum, & colorum paria diducit*. Vbi vinctorū greges nō sunt serui in ergastulis, nullus enim ibi locus colorum aut ætatis, vbi nequam mancipia suplicijs & squalore obsita; Nec quod voluit Lipsius secreti illi per nationes, & colores, vt orientales & fusci in tali villa, & agro: qui frigidiore cęlo editi, & ideo albi in alio loco, atque agro haberentur, quæ sunt somnia vigilantium. Sed vincti simpliciter *serui* in ætates, & colores distincti. Idem Seneca ep. XCV. *Agmina exoletorum per colores nationesque distincta*. Vt non displiceat eiusdem Lipsij coniectura legentis *vietorum* id est exoletorum. Etiam apud Petronium. *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus cerasino succinctus cingulo*. Lecticarios etiam, cursores, & id genus homines peculiari pænularum colore distinctos infra dicemus. Morem autem per varios colores ex colendi seruitia, quas Liureas appellant a Circi factionibus & coloribus profluxisse credimus.

Ministrantium ornatum, cultumq; ex antiqua tabula quā Vrsinus in appendice ad Ciacconij triclinium dedit, hic habes,

Tabula X.



Linea Vestis sacrificantium. Camisia. Camisium. Cotta. Cap. V.

IN sacris olim Aegyptijs præcipuus lineæ vestis vsus. Hinc *linigera turba*, & *liniger grex* apud Poetas, & *lineus amictus Isiacorum* apud Suetonium. In nostris quoq; sacris suus lineæ vesti honos. Nam præter amictum lineum superiorem, quo in sacra Psalmodia sacerdotes, atque ipsis sacris ministri vtuntur, prima vestium sacrificalium linea tunica talaris induitur, quam vulgo *Camisiam*, siue *Camisium* appellat.

Ex quo etiam, quod supra notauimus, comprobatur, sacerdotes olim in sacris cõmuni, & promiscuo habitu vsos. Communis enim vestitus antiquorum tunica linea interior, altera superior lanea, interdum serica, tum toga vel in eius locum birrhus, siue lacerna. De toga opinionem nostram attulimus; Restat vt de tunicis videamus. Et licet illud discrimen esse videatur, quòd olim saltem duabus tunicis cõmuniter vtebantur, nostri autem sacerdotes in vna tantum linea faciunt; Id tamen inde ortum, quod honori Episcoporum datum est, vt soli duas tunicas in sacris gestent, quemadmodum in veteri instrumento Pontifex præter tunicam lineam, etiam hyacinthina induebatur, reliqui sacrifici minores linea tantum amiciebantur. Sic & nostris ritibus Episcopi præter Camisiam talarem, tunicam superiorem induunt, quæ primò de more *πολοβὸς* erat, idest sine manicis, mox in Dalmaticam conuersa est, vt Alcinus de Diu. officijs. Et Iuo Carnotensis de rebus Ecclesiasticis. *Notandum verò*, inquit, *quod minoribus Sacerdotibus neque duplex tunica datur, neque humerale, neque rationale, neque lamina aurea, sed tantum poderis, & mitra, & Zona qua stringatur tunica byssina. Noui quoque testamenti sacerdotes non omnibus illis vtuntur indumentis, quia nec duabus tunicis, nec rationali præter solos Pontifices.*

Hæc tunica linea *ποδήρης Poderis* quòd talaris esset dice-

batur, & *Alba* a colore. *Fuisse autem strictam, & corpori adhærentem* tradit D. Hieronymus ad Fabiolam, *eamque similem militum Camisijs, quæ sic aptæ membris, & adstrictæ corpori, vt nihil militares exercitationes impedirent.* Rabanus Maurus, *Secundum indumentum est linea tunica, quæ Græcè dicitur Poderis.* Hesychius. Ποδήρης τὸ μέχρι τῶν ποδῶν ἱμάτιον. Hanc Isidorus *Camisiam vulgo dici*, ait, quod nempe similis, vel eadem olim omnino fuit cum tunicis lineis interioribus quas Camisias appellamus. *Camisiam autem* idem Isidorus inde dictas tradit *quòd in his dormimus in Camis, ideſt in stratis nostris.* Quid autem essent Camæ alibi explicat loco corrupto. *Cama est breuis, & circa terram Græcè enim Cami breue dicunt.* Lege. *Cama est breuis lectus & circa terram, Græcè enim χαμαὶ humi dicunt.* Græci enim Camas, siue potius Cameunas dixerunt strata humilia, & lectulos humi propiores, quòd homines veluti χαμαὶ iacerent. Hesychius. χαμεύνη στιβάς, καὶ ἡ ταπεινὴ κλινίς: καὶ χαμεύνης ὁ χαμαὶ κοιμώμενος. *Thorus, & humilis lectus, & Chameunes, qui humi iacet.* Propriè autem Hesychio dicitur στιβὰς nam eodem interprete στιβὰς ἀπὸ ῥάβδων καὶ χλωρῶν χόρτων στρῶσις, καὶ φύλλων, ἢ χαμευκόιτη. *Stratum e frondibus, viridique gramine, ac foliis constructum, & lectus humi positus.* Inde stibadium tricliniare, de quo alijs dictum. Quia autem id stratum pauperum erat, idem Hesychius χαμεύνιον κλινίδιον πένιχρον interpretatur *lectulum pauperum.*

A Camis igitur Camisias dictas vult Isidorus. Earum mentio apud Anastasium in vita Benedicti. 111. *Camisias albas sigillatas holoſericas cum chrysoclauo.* Casaubonus ad illud Lampridij in Alexandro. *In linea autem aurum mitti etiam dementiam iudicabat, cum asperitati adderetur rigor*, iure, inquit, damnatas ab Alexandro lineas auro clauatas, propter asperitatem & rigorem: & propterea se valde mirari, cur apud Anastasium legantur Camisiæ auro clauatæ, has autem non ad vsum comparatas, sed ad ornatum ædium sacrarum. Verum nihil aliud illæ Camisiæ fuerunt quàm lineæ tunicæ sacrificantium, & ad vsum sacrorum, non ad ornatum

natum templorum. In quibus auri rigor, & asperitas non erat gestantibus incommoda, cum super alias vestes nempe communes inij cerentur, secus tempore Alexandri, cum lineæ nudis carnibus admouerentur, quas auri rigor, & asperitas lædebat. Et quemadmodum olim, vt diximus, epularum ministri in tunicis tantum, & ferme lineis, sic etiam in sacro conuiuio, Altaris ministri, siue Diaconi in tunicis, quas & nunc *tuniculas* appellant, inseruiunt, turba minor sacricolarum in tunica linea. Et olim quidem talaris erat & manuleata, vt & sacerdotum quales in antiquis picturis cernuntur, post breuior in vsu esse cepit, nec tamen eadem forma vbique. Plerumque manicata est, scissis tamen & laxe fluentibus manicis, alibi stricta corpori, & brachijs pressa, quales Cardinalium, & Clericorum Augustinianorum, alibi etiam ad instar inuolucris tonsorum, quæ totum corpus inuoluit, & hinc inde brachijs in humeros reijcitur, vt veteres casulæ, siue Planetæ, quæ forma Patauij visitur. Hanc Itali *Cottam* appellant corrupta voce, vt ego existimo a *Crocota*, quæ veteribus vestis fuit mollis, ac tenuis, siue vt Græci putant a croci colore, quod comprobare Plautus videtur, qui *infectores crocotularios* memorat: siue vt alijs visum, quod plus subteminis, siue tramæ (Græcis κρόκη dicitur) ea vestis quàm staminis haberet, & ideo mollior, ac tenuuior: siue vtrumque, quod fermè hæ vestes molliorum croco inficerentur. Vndecunque dicta fuerit Crocota, ea propria olim mulierum fuit, vt notum est. Plautus inter luxum sequioris sexus recenset. Cicero de Aruſp. respontis. *Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis factus est repente popularis*. Quare & Gallis matris Deum effeminatissimis crocotulas tribut Apuleius *Varijs coloribus induſiati, & deformiter quisque formati, facie cœnoso pigmento delita, & oculis obunctis graphicè prodeunt, mitellis, & crocotis & carbasinis, & bombycinis intecti*. MS. codex, *iniecti*.

Lineum ergo amictum sacris operantium quod tenuis esset, ac mollis ad instar crocotarum, crocotam vocarunt,

& contracta voce *cottam*; Quæ tamen vox non ita antiqua videtur vt pro veste sacrorum ministrorum accipiatur; Nam scriptores Etrusci Cottam pro muliebri ferme veste, interdum pro virili vsurpant, non numquam pro veste quæ armis injicitur. Sane Venetijs adhuc in vsu est, nam muliebres tunicas *cottulas* appellant. Sed de his alibi accuratiùs.

Tunica superior. Eius mensura. Talaris probrosa. Propertius, Iuuenalis, Cicero explicati. Cap. VI.

INterulæ, siue subuculę superior tunica imponebatur, quę & *superaria* inde dicta. Eius mensura vulgo erat, vt paulo infra genua caderet, vt docet Quintil. lib. XI. *Cui lati clauius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant, nam infra mulierum est, supra Centuriorum.* Qui ergo in longis, ac demissis tunicis solebant quòd id fœminarum proprium esset, ij tamquam molles malè audiebant. Horatius.

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscœnum subductis vsque facetus.

Et Propertius lib. IV. eleg. II.

Suppetat, hoc pisces calamo prædabor: & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

Ex quo colligit Turnebus lib. XI. cap. XXIII. elegantiæ, cultusque studiosos, demissas, longasque tunicas gestasse. Quod si verum esset, non eas Horatius, non reliqui scriptores tantopere damnassent, tanquam parum virorum proprias. Non ea est Propertij mens. Vertumnus Deus narrat ibi suam naturam cunctis figuris opportunam, sequein quam libuisset verti. Sic fœminam, virum, messorem, & militem fieri, venatorem, aurigam, desultorem, posse etiã piscatorem esse, mox & institorem. *Suppetat, hoc pisces calamo prædabor:* Post autem fiam institor. *Et ibo mundus demissis institor in tunicis.* Sensus est si velim ex piscatore fieri institor, mutanda mihi schema, & altius subductæ, sordes-

tesq;

tesque tunicæ quales sunt piscatorum, more reliquorum demittendæ, & quidem mundæ. Piscatoribus enim qui sæpè se in aquam demittebant, succinctæ altius, & ad inguen subductæ tunicæ, ne fluctibus madescerent; Quare Vertumnus ait il e x piscatore institor fieri velim, patiar tunicas more aliorum cadere dempto squalore; Nec demissæ hic valet talares, vt apud Horatium, sed longiores, quàm vt a piscatoribus ferrentur.

Iuuenalis etiam tunicas medio crure tenus demittere tantum virorum docet fuisse, cuius verba afferemus, quia Interpretes non ceperunt, & pessimè acceperunt.

Nam si docta nimis cupit, & facunda videri:
Crure tenus medio tunicas succingere debet:
Cædere Siluano porcum: quadrante lauari.

Mitto veteres, qui aiunt omnia facere debere mulierem, quæ fieri solent a poetis, & viris literatis, qui cum loca solitaria quærant, Siluano nemorum Deo sacrificant. Etiam qui notas breuiores in hunc poetam vulgauit, *Sumat*, inquit, *hunc Oratoris, vel Peripatetici habitum*. Quasi vero Oratores tantum, & Philosophi tunicas crure tenus gestarent, Siluano facerent, & quadrante lauarentur. Logi. Perstringit ibi Satyricus mulieres, quæ literas callere videri volebant doctiùs, quam vt probas deceret.

Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elissæ,
Comittit vates, & comparat inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Et infra.

Non habeat matrona tibi, quæ iuncta recumbit.
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema.

Et cetera in eundem sensum.

Si ergo, inquit, mulier vult literas tractare descriptoribus iudicium ferre, philosophari, & reliqua quæ sunt virorum propria, etiam virili habitu incedat, quæque sunt virorum munia tantum peragat. Primum est, *medio crure tenus tunicas succingat*, cum mulieres stolis talaribus vterentur.

Alte-

Alterum *Cædere Siluano porcum*; Id enim tantum viris licitum, quod veluti per caliginem Brittanicus vidit, nam quod Siluano porcum cæderet vt Epicuræa, gerræ sunt. Soli viri Siluano sacrificabant, qui genius virorum, vt Iuno fœminarum. In Vet. Inscriptione. *Siluano Aug.* hoc est *Augusti*, Non quòd scioli *Augusto*, vel *Augustissimo*. Nam *Siluano* Augusti genio, tutelæ, defensori. In ijsdem plerunq; iungitur cum Hercule. *Herculi Siluano*. Item cum Marte, cum quo eundem plerique fecerunt. Ita *Herculi Augusti* ideſt defensori, & custodiæ. Cędat ergo, inquit, Satyricus Siluano porcum vt viri solent, quæ virorum officia occupat. Clarè id Vetus Interpres. *Cruretenus*. *Ideſt accipere debet virilem habitum & cingi vt vir.* Mox. *Cædere Siluano*. *Siluano mulieres non licet sacrificare*. Quo respicere nuperi debuerunt. Glossæ item veteres MS. in Mediolani Bibliotheca. *Sacrificare Siluano quòd virorum: Quadrante lauari, sicut vir balneari*. Aliæ. *Sicut mulieres viri facundiam affectabant, deberent, & tunicam suam sicut viri in altum succingere. Viri quando ingredi volebant thermas aere lauabantur, ideſt pecuniam dabant custodibus: fœminæ se ipsas propretio*. Aliæ demum vetustissimæ. *Cædere Siluano*. *Effici viri: Siluano mares, fœminæ Cereri sacrificabant; Nam mulieres neque ad tonsores, neque ad balneas publicas eunt*. Postremum est. *Quadrante lauetur*. Vt Stoica, aiunt, quadrante lauetur. Nam Horatius de Stoico. *Dum tu quadrante lauatum Rex ibis*. Ineptissimè. Non enim soli Stoici, sed viri omnes quadrante lauabantur, ideſt pro mercede balneatori quadrantem soluebant, & ideo Seneca Balneum appellat rem quadrantariam, vt sciunt etiã qui nondum quadrante lauantur. Sciuit & Mercurialis in Arte Gymnastica: sed Balnei pretium in immensum auxit, cum ex vno centum quadrantes fecit, ait enim conqueri Martialem quòd sibi balnea tanti constarent.

Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes.

Quasi Martialis ibi de pretio balnei loquatur, & non de sportula, quæ centum quadrantes lassis clientibus post bal-

neas

neas loco rectæ dabat. Quadrans pretium balnei, sed virorum tantum: nam fœminas gratis lauisse si nihil aliud, hic vnus Iuuenalis locus satis ostenderet: cum inter ea quæ virorum tantum essent, lauari quadrante ponit. Eædem glossæ Veteres. *Quadrante lauari, sicut vir balneari.* Aliæ. *Quadrante, virorum pretium, fœminæ vero gratis.* Nec mirum fœminas nihil pro balneo dedisse, nam hoc & impuberibus præstabatur. Idem poeta.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.

Vetus Interpres. *Infantes. Quia pueri non dant balneaticum.* Mulieres tamen balneatori mercedem soluisse indicare videtur Cicero pro Cœlio. *Nisi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* Scio quemadmodum hunc locum docti explicuerint, præcipuè Manutius, Quòd nempe Clodia pro quadrante corporis sui copiam balneatori faceret. Sed vt lasciuia perdita fuerit, omnique probro respersa, & in mediastini, ac balneatoris amplexus ruerit, id tamen feciisse ad redimendũ quadrantem, potentem alioqui, & auri largam in amatores suos, nemo sanus crediderit. Vix hoc de lupis diobolaribus & meretricum mendicabulis credatur. Quid ergo? Quadrantariam Clodiam dictam ex Plutarcho notum, quod ex eius amatoribus quidam perfacetus quadrantes argẽteorum loco in loculos miserat. Hæc igitur quadrantis mercede quadrantaria facta erat, & sic balneatori familiaris quæstus, ac mercimonij similitudine; Ille quadrantem a viris pro balneo exigebat, hæc quadrante merces suas permutabat: ille quadrantarius, hæc quadrantaria: & ex quæstus communione, mercedisque similitudine familiaritas. Altera interpretatio vix quadrante digna est, & ipsas balneas refrigerare potest.

Vt ad tunicas longas redeamus, cum illæ essent mulierũ propriæ in viris probro habitæ. Cicero in Catilin. *Quos videtis manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos non togis.* Etiam D. Augustinus in III. de Doctrina Christiana. *Talares, ac manicatas tunicas habere olim apud Romanos flagitium.* Con-

firmat

firmat Seruius ad illud.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ

Tunicæ inquit *veſtræ habent manicas quod etiam Cicero vituperat dicens, manicatis, & talaribus tunicis.* Idem ad illud *Diſcinctos Mulciber Afros. Vel habitum* inquit *eorum oſtendit qui vſque in talos fluebat, quod Plautus ridet in Pœnulo Quænam illæc auis eſt? Cum Afrum vidiſſet veſtem dimiſſam trahentem, neque enim vtuntur hodieque Zonis.* Alijs etiam locis oſtendit Plautus, probroſas fuiſſe tunicas longas, & puerorum meritoriorum propriας, quę iam ab alijs ſunt adducta. Pœnulo. a.v. ſc. v. *Quis hic homo eſt cum tunicis longis quaſi puer cauponius?* Mox. *Sane genus hoc mulieroſum eſt tunicis demiſitijs.* Temporum mutatione tunicas talares in vſum communem veniſſe, & cum togis etiam geſtatas nemo in antiquis monumentis verſatus dubitare poteſt. Huiuſmodi ſtatuas togatas cum tunica talari non paucas attulit Ian. Boiſſardus.

De Cinctu. Cap. VII.

SEd quoniam tunicæ ferme longiores, aut breuiores erant cincturæ arbitrio, de ea hic pauca afferemus. Et Romanos quidem exceptis laticlauijs cingi ſolitos certum eſt. Nam laticlauios ſine cinctu fuiſſe ex Quintiliano acutè colligit Manutius quique eum ſecuti ſunt. Locus eſt ſupra laudatus, lib. XI. *Cui lati clauſi ius non erit, ita cingatur vt tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant, nam infra mulierum eſt, ſupra Centurionum. Latum habentium clauum modus eſt, vt ſit paulum cinctis ſubmiſſior.* Quæ verba ſupra expendimus, cum de cinctu Cæſaris loqueremur, quem tradit Suetonius *ſupra latum clauum cingi ſolitum*, quod præter morem fuiſſe oſtendit, alioqui id tamquam notabile non tradidiſſet.

Omnes igitur, præter laticlauios, tunicam cingebant, & pro vt libebat, contrahebant, aut demittebant. Ita Centurionum, & militum omnium tunicæ breuiores, & intra genua ſubductæ. Hinc apud Petronium. *Statores altius cinctι,*

cti, & apud Horatium lib. I. Sat. v.

Hoc iter ignaui diuiſimus, altius ac nos
Præcinctis vnum.

Ideſt fortioribus, & expeditioribus. Idem alibi

His vbi ſublatis puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam præterſit.

Non fortis, ac ſtrenuus vt explicat Turneb. lib. XV. c. XXIII. ſed agilis atque expeditus. Contra *diſcincti* pro imbellibus, & effœminatis. Seruius ad illud

Illi ſe prædæ accingunt.

Accinctos inquit, *induſtrios dicimus, vt Horatius.*

Altius, ac nos præcincti:

ſicut contra negligentes diſcinctos vocamus, vt diſcinctos Mulciber Afros. Magno ſcilicet probro habitum diſcinctum inceſſiſſe. Dio Lib. LXIII. poſtquam multa Neronis infanda percenſuit adijcit. Quibus ipſis in rebus ita faciebat contra ius faſque ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας vt etiam tunicas diſcinctas publice indueretur. Et alia quæ nemo ignorat. Sicut quæ de Męcenate diſcincto ſcriptoribus traduntur. Seneca epiſt. XCIII. *Alte cinctum putes dixiſſe: habebat enim ingenium, & grande, & virile niſi illud ipſe diſcinxiſſet;* Quod etiam in Cæſare fefellit, qui etſi fluxiore cinctura, grandi tamen & virili ingenio fuit, quod Sullam non latuit, qui male cinctum cauendum monuit. Męcenatis Epicedium quo ſolutas tunicas excuſat a Turnebo allatum, quia mirifice totam rem illuſtrat, afferemus.

Quòd diſcinctus eras animo quoque carpitur vnum;
Diluitur nimia ſimplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo
Quæ benè præcinctos poſtmodo pulſa fugit
Inuidi quid tandem tunicæ nocuere ſolutæ?
Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?

Tunicarum igitur ſolutarum, & diſcinctarũ laxi ac ventoſi ſinus, & ideo mollium atque effœminatorum. Plutarch. in Apophtegm. tradit Xerxem Babylonijs iratum quod defeciſſent, quum illos recepiſſet ne arma ferrent imperaſſe

sed canerent, lenocinia, ac cauponas exercèrent, καὶ φορτικὰ πολυπωλῶν κάπηλοι, & vt sinuosas tunicas gestarent quales erant mulierum.

Quamquam & aliquos in ipso cinctu elegantiam affectasse innuit Ouidius in III. de arte.

Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo
Nec breuis in rugas cingula pressa suas.

Qui scilicet tunicæ rugas morosè collectas & dispositas cingula constringerent. Cuius vocis vsus nescio an alibi reperiatur præter eundem Ouidium in primo de Remedio, sed in re diuersa.

Vt noua velocem cingula lædat equum.

Ceterum cum tunica cincta esset in sinum pecuniam reconditam docet Plutarch. in Coriolano cum ait, *Candidatos sine tunicis in forum descendere solitos ne pecunias emendis suffragijs in sinu gestarent.* Tum etiam quod nullas tum braccas, aut peras gestarent, quibus nummos crederent, vt necesse esset, vel in sinu, vel in zonis circumferre. Ouidius Amorum. lib. I.

Quid puerum Veneris pretio prostare iubetis
Quo pretium condat non habet ille sinum?

Seneca in epistolis. *Sinum laxa, merum lucrum est.* Horat. lib. II. Sat. III.

Ferre sinu laxo donare & ludere vidi.

Vbi rectè notauit Turnebus *sinum laxum illius dici solitum, qui sinum non adstringeret, & ideo quæ in eo gerit effluere, & excidere sinit, quales discincti, & nepotes.*

Tunicæ Manuleatæ. Colobia. Cap. IIX.

SIcut longæ tunicæ, ac talares, ita & manuleatæ infames olim fuere. Gellius lib. VII. cap. XII. *Tunicis virorum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac propè digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Hac antiquitate inductus P. Africanus P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ obiectabat, id quoque probro dedit, quòd tunicis vtere-*

uteretur manus totas operientibus. Quòd ergo hæ tunicæ talares, & manuleatæ fœminarum propriæ essent, in ijsdem etiam pueros meritorios consueuisse, ex eodem Gellij loco colligit recte Lipsius lib. IV. Antiquarum. Verba enim Scipionis in Sulpitium sunt. *Qui in conuiuijs cum amatore cum chiridota tunica accubuerit, eum ne quisquam dubitet quin fecerit, quod cinædi solent?* Plaut. Pœnulo.

Quis est hic cum tunicis longis quasi puer cauponius?

Seneca in epistolis. *Mirum est aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profesſo; ita enim plerique iudicant. Apud me vero Epicurus est & fortis, licet manuleatus sit.* Addit Gellius. *Virgilius quoque tunicas huiuscemodi quasi fœmineas, ac probrosas criminatur.*

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Vbi Seruius. *Tunicæ vestræ habent manicas quòd etiam Cicero vituperat dicens manicatis, ac talaribus tunicis. Nam colobijs vtebantur antiqui.* Locus Ciceronis est Orat. II. in Catilinam. *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos non togis.* Curtius etiam lib. III. mollitiem luxumque Persarum describens ait. *Illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas*, quæ in militaribus viris turpiores.

Dio etiam lib. LXXVIII. narrat Caracallam imparem militaribus laboribus, cum nec æstum, nec arma ferre posset induere solitum τὰς χειριδωτὰς χιτῶνας tunicas manicatas ad loricæ formam confectas. Idem lib. LXXII. de Commodo. *Solebat antequam veniret in Theatrum amictus esse tunica χειριδωτῷ, manuleata, serica alba, auro interstincta, ingressurus autem Theatrum induebatur purpurea auro insperſa, chlamydeque simili more Græco.* Suet. c. LII. cum Caligulæ habitum perstringit vt parum ciuilem ac virilem inter reliqua ait, *manuleatus, & armillatus in publicum processit.*

Colobia tunicas sine manicis dictas veteribus docti adnotarunt, quasi truncas, ac mutilas. Glossæ. Κολοβὸς ὁ κωνδὺς. Curtax. Κολοβὸς ὁ μέρος τὲ σόματος ἀφειρημένος. Murilus,

est vsus. Describit deinde Alcuinus Dalmaticam, aitque fuisse vestimentum ad instar Crucis, habuisse in sinistra parte fimbrias, fuisse inconsutilem, ac large manuleatam: addit que causas mysticas, quas hic attingere non est opus: sicut & illud, habuisse lineas coccineas, vel vt alij purpureos tramites, vel clauos pariter purpureos, vt tunicæ senatorum, primo a Sacerdotibus gestatas, dein Diaconis concessas, post solos Episcopos Dalmaticarum ius habuisse, quæ alias cum Deo exequemur. Et licet Dalmaticæ a Colobijs distinguerentur tamẽ pro eadem re aliquando sumptas notauit Salmasius ex Niceta Thesauri Orthodoxi lib. 1. c. 111. *Dalmaticæ, quæ nunc Colobia dicuntur, prupuraque prætexuntur*.

Vt ad rem nostram veniamus, Dalmaticæ, ideſt tunicæ manuleatæ pro colobijs in vsum venerunt, & tamen olim infames, vt diximus, fuere. Quare Principes Dalmaticatos in publico conspectos pro magno dedecore scriptores posuere. Lampridius in Commodo. *Dalmaticatus in publicum processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit*. Idem in Heliogabalo. *Dalmaticatus in publico post cœnam sæpè visus est Gurgitem Fabium, & Scipionem se appellans, quòd cum ea veste esset, cum qua Fabius & Cornelius a parentibus ad corrigendos mores adolescentes essent producti*. Atque ita, vt Casaubonus ad hunc locum rectè notat, vestis illa, quæ olim fuerat mollium & delicatorum, postea grauissimorum sanctissimorumque Episcoporum fuit gestamen. Nam quod Cerda inde Dalmaticam Regium vestimentum fuisse dicit, & illi Socinus Kercoetius non fuisse notatos, quòd Dalmaticati essent existimat, sed quod in solis Dalmaticis, ne refutandi quidem sunt.

Nec ob aliam causam Dalmaticæ probrosæ, quam quia manuleatæ: quas tamen mulierum virorumque effœminatorum fuisse ostendimus: & ideo chiridotas Dalmatarum vocat Capitolinus. Καρπωτοὶ etiam dicebantur, vt alijs notatum, quòd *καρπον* manus obuelabant, quæ vox adhuc Venetijs perseuerat, vbi muliebres tunicæ *Carpette* vocantur.

Manu-

Manuleatas Bassiani tunicas cum Helagabalo faceret describit Herodianus lib. v. προήει τε χήματι Βαρβάρῳ, χιτῶνας χρυσοφεῖ, καὶ ἀλουργεῖς χειριδώτους καὶ ποδήρεις ἀνεζωσμένος. Vbi recte Politianus *tunicas manuleatas, & ad pedes vsque demissas* interpretatur, eumq; cultum tanquam mulierculis quàm viris congruentiorem Mœsa auia Antonino exprobrauit. Idem paulo infra tales chiridotas talares ab ijs gestatas narrat, qui in eiusdem Dei sacrificio exta victimarum lancibus aureis gestabant.

Quòd ad Dalmaticas sacrorum attinet, nollem Baroniũ virum præstantissimum in ijs explicandis toties lapsum esse, notumque feciſſe, quam negligenter in re vestiaria versatus esset; Qui vt excusandus sit, quod in vetere prophano cultu indagando operam ponere non curauerit, ita sacræ historiæ conditor sacrorum vestem, & paratum sine culpa ignorare non potuit. Piget referre, quam falsa, & tanto viro indigna de Dalmatica prodiderit in Martyrologio ad diem Pridie Kal. Iunij.

Primo ait *Reges Dalmatica aliquando vsos*. Sed præter Commodum, & Heliogabalum, qui ea abusi sunt, nullus sanus, aut honestus Princeps eam gestasse legitur, & ideo illi a scriptoribus notati. Frustra itaque nostris Diaconis decus ex eo acquirit Baronius quòd in Regijs vestimentis incedant, cum non modo Regiæ, vt diximus, non fuerint, sed & probro habitę. Dein *meminisse ait Capitolinum Dalmaticarum, quibus vtebatur Pertinax*. Falsò. Nam meminit Dalmaticarum, quæ Commodi fuerant, cuius rerum auctio sub Pertinace. Non enim seueri, & antiqui moris Princeps se ea veste de honestasset, quam in duobus lasciuiæ, atque impudentię monstris populus Romanus damnauerat.

Sed quod vix ferendum est, cum Dalmaticam fuisse tunicam manicatam ex Dione in Commodo agnoscat, subijcit, qualis fuerit Dalmatica describi ab Ammiano lib. XIV. *Post hæc indumentum regale quærebatur, & ministris fucandæ purpuræ tortis, confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam Maras quidam nomine inductus est, vt appellant Christiani Diaconus.*

conus. Atqui tunica hęc trunca & ſine manicis, Dalmatica manuleata: Subdit eam perſimilem chlamydi figura fuiſſe tradere Marcellinum. Nihil minus: nam tantum purpura infectam ſcribit; tantùm enim a chlamyde diſtabat Dalmatica, quantum a pallio tunica.

Sed leuẽ coniecturam leuiori argumento ſuſtentat, quod illa dicitur tunicula, & tunicę Diaconorum Italis *tunicule* dicuntur, ſiue *tunicellæ*. Nam ſicut illa non fuit Dalmatica quippe quæ carebat manicis, ita veſtes Diaconorum neque ipſæ propriè Dalmaticæ ſunt, ſed potius colobia, qualeſque veterum tunicæ, quarum manicæ ad manus non pertinebant & ideo tunicule appellantur: nec ſunt iſtę talares, vt omnes tunc Dalmaticæ. Quidquid ſit, ſi iſtæ Dalmaticæ ſunt, illa Ammiani nequaquam fuit.

Non contentus Annalium ſcriptor Dalmaticam eandem cum Colobio, & chlamyde feciſſe, cum toga quoque & quidem triumphali confundit. Quem Bulengerus ſarcinator, non ſcriptor ſecutus eſt. Quid cogitabat cùm hæc ſcriberet vir ſummus? Ait, palmatam Conſularem apud Auſonium in gratiarum actione literis inſcribi ſolitam, talem plane eſſe Dalmaticam Diaconorum, quod Ammianus tunicelam appellat qua & Imperator indui poſſet; Colligit deinde, & miniſtrorum cultum Regijs indumentis inuidioſe contendit. *Ex his perpende*, inquit, *quanto Auguſtius atque Magnificentius legali veteri cultu noui teſtamenti miniſterium apparetur, cum antiquis Leuitis, nec linea vti ſtola conceſſum eſſet*. Sed quid palmata toga cum dalmatica, quid Auſonio cum Ammiano? Quid Regibus cum Diaconis? Palmatam fuiſſe togam apud Auſonium & nemo ignorat & ipſe teſtatur. Ea non literis inſcribi ſolita, ſed variis figuris intexi. Verba Gratiani fuerant cum trabeam mitteret. *Palmatam tibi miſi, in qua Diuus Conſtantius parens noſter intextus eſt*. Quæ verba Auſonius ipſa trabea pluris æſtimat. *Hæc planè*, inquit, *hæc eſt Picta, vt dicitur veſtis, non magis auro ſuo, quam tuis verbis*. Non quod ipſa verba inſcripta eſſent, vt credidit Baronius. Sequitur enim. *Conſtantius in argumento veſtis intexitur: Gra-*

tianus

tianus in muneris honore sentitur. Porro Ammianus tuniculam appellat *Regale indumentum*, non a forma sed quòd esset tota purpurea, qui tunc color solis Principibus reseruatus. Sed iam me satias istorum capit. Potius igitur Diaconi post hac augustissimo sacrorum ministerio, quam Regio indumento iactare se poterunt.

De Tunicæ colore. Non fuisse purpureum. Manutij opinio reiecta. Cap. X.

TOgas communes albas fuisse, supra ostendimus talis & tunicarum color. Nam vt cetera omittantur, illud satis firmum argumentum est, quod attulit Lipsius ex Cicerone, qui Verri obijcit, quod in officina sedere solitus sit cum pallio, & tunica pulla. Firmum inquam argumentum, nam cetera quæ affert, parum iuuant; Ex Vopisco in Aureliano. *Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Romano tunicas albas manicatas ex diuersis prouincijs*. Nã contra si omnes tunc albæ tunicæ fuerunt, satis fuisset dicere, donasse eum tunicas, & hinc videtur posse colligi, nõ fuisse tunc vulgares tunicas albi coloris. Quod verum est, nam tempore Aureliani peregrini vestitus donabantur populo, vt Caracallæ, Dalmaticæ, Birri Atrebatici, atque ita & tunicæ manicatę albæ, cum vulgares sine manicis essent. Alterum quòd ex Iuuenale adducit Lipsius infirmum est.

Sufficiunt tunicæ summis Aedilibus albæ.

Loquitur ibi poeta de vita rustica, quæ in pagis & oppidis agebatur, vbi ait togas non fuisse in vsu, atque ita Aediles satis habuisse, si in tunicis albis conspicerentur, quod indicare videtur reliquis albas tunicas non fuisse, si id tantùm Aedilium gestamen fuit. Falsum tamen est, nam omnes in tunicis albis; Idem ibi.

Aequales habitus illic, similemque videbis
Orchestram.

Sed Aedilium tunicæ, vel candidæ fuere, vt de toga petitorum diximus, vel quod verius, recens lotæ.

Obstat modo auctoritas Manutij, qui tunicas totas fuisse purpureas cõtendit, inductus verbis Ciceronis in Sextiana, qui Pisonem Consulem perstringens eius habitum denotat. *Vestitus*, inquit, *asperè nostra hac purpura plebeia, ac penè fusca.* Dubitat ibi Manutius, vtrum de toga loquatur Cicero, an de tunica, eoque flectit, vt existimet de tunica sermonem habere; Quoniam ait *purpura nostra*, id enim ad prætextam referri non posse, quia tunc Cicero in magistratu non erat, & propterea minime prætextatus, cum prętexta non esset tota purpurea. Itaque ad tunicam laticlauiam referendum, quam hinc totam purpuream ẽsse credit, quaque Cicero vt senator indutus erat.

Hęc ratio quàm nullius momenti sit, inde apparet, quod si tunica tota purpurea fuit, cur claui ex purpura inditi vt ab reliquis ordinibus senatum distinguerent? Quomodo extra reliquam purpuram ea signa eminebant? Non de alia igitur purpura Cicero capiendus est, quàm quę prętextę in extrema ora, tunicæque Senatorum, & equitum, ad pectus per clauos latiores, & angustiores indebatur. Plebeiam Cicero, ac pęnè fuscam appellat, quod ea ipse cum vulgo senatorum & equitum vtebatur, cuius libra, vt supra notauimus, centum denarijs venibat, cum Tyria non nisi a potentioribus ac delicatioribus emeretur, & quidem vix mille denarijs. Plutarchus tradit, Catonem purpura fusca vsum, cum videret faturo rubore ardentem esse tunc in pretio. Etsi igitur nõ esset Cicero prętextatus, purpuram tamen in clauis tunicę Senatorię gestabat, sed communem & minime pretiosam, quam ideo plebeiam vocat, ac pęnè fuscam. Atque ita purpuram simpliciter appellauit, quę in prętexta, & lato clauo Pisonis erat. Similiter Iuuenalis purpuram pro prętexta dixit. Sat. XI.

Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit.

ideſt prętexta. Alterum Manutij argumentum de purpura Quinctij Tribuni plebis satis supra expendimus, cum de prętexta ageremus.

Tuni-

Tunica palmata. Russa. Galbina. Cap. XI.

AT tunicam triumphantium totam, vt & togam, purpuream fuisse palmis, vel acu pictis, vel intextis distinctam, & elaboratam ostendimus, cum de toga picta verba fecimus. *Vbi palmatam tunicam* ex Festo docuimus dictam, *quod clauis latioribus ad instar palmæ manus distingueretur, siue ab intextis palmis victoriæ insignibus*. Ita vt auro intexeretur, & pingeretur, vt toga triumphalis. Dio lib. lx. Caligulæ triumphali pompa per pontem Baianum vecto dat χιτῶνα χρυσόπαστον.

Quod ad communes tunicas attinet processu temporis in locum tunicarum albarum Rufsæ siue Rufsatæ venere, maxime apud milites. Trebellius in Claudio. *Tunicas Rufsas militares annuas*. Isidorus *Russatas* vocat. *Russata quam Græci Phœniceam vocat, nos coccinam, reperta est a Lacedæmonijs ad calandum coloris similitudine sanguinem, quoties quis in acie vulneraretur, ne contemplatione aduersario animus augesceret*. Subijcit, ea vsos milites sub Cos. vnde & Rufsatos dictos; Sed fallitur solens nam nec milites sub Cos. Rufsati, & is color in Circi factionibus.

Has autem tunicas Rufsas non fuisse purpureas, omnino doctis viris assentiendum est, quod soli Imperatores tunicas, & paludamenta purpurea gestarent. Itaque verba Vopisci in Aureliano. *Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante non nisi rectas purpureas accepissent*. Rectas purpureas tunicas simpliciter rubras, vel rufsas, aut rufas cum ijsdem intelligimus. Fuere & *Galbinæ tunicæ* a viridi siue aureo colore dictę de quibus Turnebus lib. xvii. cap. iix. Qui tamen libro sequenti cap. xix. tunicas rufsas non recte interpretatur eas esse quę Græcis φοινικίδες, adducitq; locum Plut. in Bruto. *Iussit corpus operiri τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων*, ibi enim de paludamento loquitur Plutarchus, de quo infra.

Puniceas etiam tunicas lictoribus tribuit in triumpho

Appianus in Punicis. *Ipsum Imperatorem præcedunt lictores φοινικᾶς χιτῶνας ἐυδεδυκότες*. Vbi perperam Interpres vertit *Paludati*, quasi tunica paludamentum fuerit. Paulo post idem in reliqua pompa fuisse tradit Pantomimum, qui *ποδήρη πορφύραν* indutus esset, hoc est talarem tunicam purpuream, vt effeminatum saltatorem decebat.

De Tunicæ ornamentis. Latus clauus. Doctissimorum virorum sententia explosa. Quintilianus explicatus. Cap. XII.

PRæcipua tunicæ ornamenta claui purpurei fuere, sed Equestris tantum, & Senatoriæ, illius angustiores, huius latiores, vnde ad discrimen ordinum lati claui, & anguſti dicti. Ita Romanorum tunicæ vulgo & laneæ fuerunt, & albæ, sed Senatorum, & Equitum per clauos purpureos maiores, ac minores a reliquis distinctæ. Quid essent hi claui, & quomodo gestarentur, non esset operæ referre, nisi viderem viros præstantissimos dubitasse, alios etiam minorum gentium penitus ignorasse. Magnus enim Scaliger ad Varronem non fuisse clauos partem tunicæ existimat, sed de collo suspensos, & ad libitum sublatos, vt amuleta, & numismata, quæ in pectus demittuntur. Iuris consultorum Princeps Scaligerum sequutus est, latumque clauum & angustum nihil aliud fuisse docet, quam purpuræ clauum vesti non consutum, sed supra eam in pectus demissum, Senatorum latiorem, Equitum arctiorem. Vterque tamen à Manutio discere potuisset, clauos fuisse purpuræ fragmenta, quæ tunicis insuerentur, vt inde etiam detrahi, & resui possent, non autem intexerentur, aut de collo penderent. Quomodo enim ignorare potuerunt Vlpiani verba de auro arg. legato? *Vestimentorum sunt omnia lanea vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, incubandiue causa parata sunt, & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt instita, pictura, clauique, qui vestibus insuuntur.* Quintilianus autem lib. I IX. c. v. clauos vestibus insutos docet.

Por-

porro vt affert lumen clauus purpuræ loco insertus, ita certè neminem decet intertexta pluribus notis vestis.

Haud inscius sum, tantos viros Horatij verbis in hanc sententiam concessisse. lib. I. Sat. VI.

Nam vt quisque insanus nigris medium impedijt crus
Pellibus, & latum demisit pectore clauum.

Sed supra ex Quintiliano ostendimus, Senatores quibus lati clauj ius erat tunicam laticlauiam cingere non consueuisse; *Cui lati clauj ius non erit ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululum, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant. Latum habentium clauum modus est, vt sit paulum cinctis submissior.* Ex quibus apparet, tunicam laticlauiam, quæ ipsa *latus clauus* dicebatur non cingi solitam; Atque ita claui purpurei cum Zona non constringerentur cadebant in pectus, siue vt Horatius loquitur, pectore demittebantur. Recte Acron. *Purpuram dicit, quæ in pectore extenditur senatorum.* Secus in Equitibus, qui cum tunicam cingerent, anguſti claui nō descendebant in pectus, sed in sinu, quem Zona succincta efficiebat, supra ipsam Zonam conspiciebantur. Qui vero ex Equitibus in senatum allegebantur, soluebant tunicas & latiores clauos demittebant, atque in pectus fluere sinebant. Ex his etiam facile intelligemus, quid sibi velit idem Horatius cum ait alibi.

—— *clauum mutabat in horas.*

Nam *clauus* ibi est tunica laticlauia, quam Priscus ille inæqualis, & inconstans sæpissimè mutabat. Quemadmodum & clauus pro eadem sumitur apud eundem Horatium.

—— *sumere depositum clauum.*

Acron *Colobiona vocat, ideſt ipsam tunicam.* Ita & Suetonius loco toties adducto latum clauum pro tunica vsurpauit. *Vsum ferunt lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter, quàm super eum cingeretur:* ideſt, tunica laticlauia manicata, quam contra morem Cęsar cingebat.

Lati ergo claui purpurei tunicis Senatorum assuebantur: vnde *latum clauum tribuere & adimere*, pro Senatorem facere, & Senatu mouere scriptores vsurpant. Vt mirum sit, cur

Lam-

Lambinus, qui quid essent claui non ignorauit, *id insigne maiorum magistratuum fuisse* scribat, *vt Aedilium, Prætorum, Consulum*, nam & minorum, & omnium senatorum fuit, etiam si nondum in magistratu essent.

Nec aliud hi claui fuere, quam purpuræ segmenta, siue frusta purpurea, vt sunt capita clauorum rotunda, vnde & nomen traxere, eaque in pectore ipsius tunicæ assuebantur. Fuisse autem plures clauos, patet ex Varrone lib. IIX. de L. L. qui clauos *plagulas* appellat, quod ijs tunica, vt rete plagis distingueretur: Et Quintiliano ante laudato. *Vt purpuræ rectæ descendant leuis cura est: notatur interim negligentia.* Ex quibus verbis viri doctissimi etiam quadratos fuisse clauos credi volunt, nam si rotundi essent, inquiunt, quoquomodo descenderent recti essent. Non ita rectè; Nam claui siue rotundi, siue quadrati cum rectè tunicæ insuerentur, recti semper erant, nec poterant aliter; Verum inter se non recte cadere poterant, quoties tunica cingebatur: nam ea cincta cum pars superior attraheretur ne longius descenderet, sinusque in quo claui erant subduceretur, quos purpuras appellat Quintilianus, nisi æqualiter sinus subductus fuisset, purpurei claui non recti descendisset: quare subijcit Rhetor, ita subducendum sinum, vt purpuræ rectæ cadant; loquitur autem ibi de angusto clauo, qui ab Equitibus cingebatur, cum latus in senatoribus sine cinctura descenderet.

Ad pectus tunicæ clauos assutos diximus; Non defuere tamen nuperi qui ad Ciceronis Cœlianam notarunt, clauos tota tunica dispersos fuisse, aut saltem tunicæ marginem prætexuisse, & ideo imperite Limbos dixere. Vtuntur Ouidij testimonio in Tristibus.

Induiturque humeris cum lato purpura clauo.

Et Statij Siluarum.

Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnouere humeri.

Quare & humeris clauos inditos. Sed vt dicebamus, latus clauus pro ipsa tunica accipiebatur, in qua claui purpurei:

&, *induitur humeris cum lato purpura clauo*, idem est atque, induitur tunica lato clauo purpureo distincta: qui claui purpurei quoniam in pectore erant, Tytios sinus vocat Statius, non quòd in humeris purpura esset, sed quòd tunica laticlauia, vt & communes tunicæ, humeris dependeret. Sicut autem latus clauus sumebatur pro ipsa tunica ita contra ἁπλῶς tunica pro lato clauo. Plinius. *Annuli distinxerunt alterum ordinem* (Equestrem) *a plebe, sicut tunica ab annulis* (Equitibus) *Senatum tantum*. Hinc etiam Senatoria vestis latus clauus dicebatur. Spartianus Caracalla. *Sub veste Senatoria loricam habens cum armatis militibus Curiam ingressus est*. Hoc idem narrans in vita Getæ ait. *Ipse autem tantum timuit vt loricam sub lato habens clauo etiam Curiam sit ingressus*. Non aliud ergò Senatoria vestis fuit quàm latus clauus, siue laticlauium. Dio lib. LXXIV. appellat ornatum Senatorium siue simpliciter ornatum. *Nos inquit* (Senatores) ἐν κόσμῳ *aderamus*. Appianus & reliqui Græci στολὴν Βουλευτικήν. Suet. Claudio. *Latum clauum quamuis initio affirmasset non lecturum Senatorem nisi ciuis Romani abnepotem etiam Libertini filio attribuit*. Idem Tib. *Senatori latum clauum ademit*.

Latum clauum stlatariam purpuram poeticè appellat Iuuenalis Sat. VII.

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.

Vbi Stlatariam Interpretes pro lato clauo accipiunt, quod veteres Festo, & Quintiliano auctoribus *stlatum* pro lato *stlitem* pro lite dicerent. Quod si verum, nulli tunc Causidici in pretio, nisi qui & Senatores, quibusque lati claui ius. Nisi malimus de lacernis Causidicorum interpretari.

—— *purpura vendit*
Causidicum, vendunt Amethystina.

Nam lacernas in causis agendis adhibitas, testatur idem Satyra XVI.

—— *iam facundo ponente lacernas*
Caditio.

Immo & pænulas apud auctorem Dialogi de causis corruptæ

ruptæ eloquentiæ. Improbum autem illum colorem etiam in lacernis a ditioribus vsurpatum nemo nescit. Nisi rectius sit dicere, magnam etiam Equitum partem per ea tempora latum clauum vsurpasse. Turnebus lib. XIX. cap. vlt. quod *Stlata* in veteri lexico nauis Piratica dicitur, dubitat num stlataria purpura sit piratica, & latrocinans, cuius splendore decepti fallantur, & spolientur venditores diuitem censentes, qui eam gestat, siue potius clientes Cassidicum inde doctum, & magni nominis existimantes. Vetus Interpres stlatariam illecebrosam explicat: reliqua adeo corrupta sunt vt frustra sit huc afferre. Nescio quid tamen de naui ponit, ex Ennio.

Et melior nauis, quàm quæ stlataria portat.

Papias. *Stlata genus nauigij a latitudine dictum: inde Stlataria purpura dicitur ideſt marina: vel nauis piratica*, quæ Turnebi coniecturam iuuant. Idem Iuuenalis latum clauum vocat purpuram maiorem Sat. I.

— *quid confert purpura maior*
Optandum?

Vbi Vetus Interp. *laticlauiam* explicat.

Laticlauij etiam Senatorum filij. Dionis Interpres notatus. Cap. XIII.

INter reliqua ostenta, quibus Augusto Imperium prænunciatum est, id quoque recenset Tranquillus. *Sumenti togam virilem, tunicam laticlauij resutam ex vtraque parte ad pedes decidisse: fuisse qui interpretarentur, non aliud significare, quam vt is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subiceretur:* nempe senatorius, cui tunica laticlauia. Atqui id Dio, si Interpreti credimus, de toga accepit, quem iure reprehendit Torrentius quod χιτῶνα togam verterit, in quo etiam Leunclauius lapsus est. Narrat enim Dio lib. XLIV. Octauium cum exephebis excessisset ἐς τὰ τλῶ ἀνέλαβε τὴν τήβεννον τὴν τριβωνικὴν induisse; Mox subdit χιτῶνα περὶ ἑσπέραν τε ἐκ τοῦ βαλανείου; Id per se non modo vllum indicium boni ominis attulisse, sed etiam præsentibus fuisse molestum,

ὅτι

ἐπὶ τῇ πρώτῃ τοῦ ἀνδρικοῦ χιτῶνος ἐνδύσει συνεβήκει. *Quod in assumptione primæ tunicæ virilis accidisset.* Sed si culpandus Interpres, quòd pro tunica togam verterit, non expers culpæ videri posset Dio, qui togam virilem tunicam appellauit? Quod ne credamus, credere debemus generica voce χιτῶνα pro toga vsurpasse. Non enim vt inter togam puerilem, siue prætextam, & virilem siue puram, ita inter tunicam virorum, ac puerorum aliquod fuisse discrimen videtur. Reâius tamen erit, si dicamus tunicam virilem fuisse Laticlauiam, quæ simul cum virili toga sumebatur. Nullus enim quod ego sciam togam χιτῶνα appellauit.

Sed illud difficultate non caret, quod ait Tranquillus, *tunicam lati claui ad pedes decidisse*. Cur enim Augustus Tiberinij die latum clauum sumpsit, si nondum senator? Scio eum postquam rerum potitus est, vt tradit idem auctor, liberis senatorum, quò celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, ac latum clauum induere, & Curiæ interesse permisisse, quod ante ipsum Augustum in vsu non fuisse demonstrat. Cur ergo ipsi latus clauus virili togæ inducitur? An hoc illi Iul. Cæsar peculiariter induisit, vt suspicatur Casaubonus? Sed Dio id non omisisset, cum subiicit, ob hoc ostentum Cæsarem in magnam de Octauio spem adductum esse, ideo & ad patricios reduxisse, & ad gerendum magistratum erudiisse. Nam quod Casaubonus existimat, etiam ante Augustum licentia temporum id in more fuisse, idque ex Suetonij verbis colligi de Cæsare, vsum lato clauo ad manus fimbriato; nequaquam ea verba indicant, Cæsarem a puero laticlauium, sed tantum quòd prætextatum, cum esset vir, super latum clauum cingeretur. Fortè Suetonius tunicam laticlauii appellauit tunicam superiorem, cui nempe legitimo tempore latus clauus assuebatur, quæ fortasse ideo virilis tunica Dioni dicitur, quòd nempe paulo diuersa a communi simul cum toga sumeretur. Cui hæc coniectura non placet, illam Casauboni per me sequatur licet. Quidam tamen nolebant cum toga virili latum clauum sumere. Suet. in Vespas. *Sumpta toga virili*

latum clauum, quidquid fratre adepto diu auersatus est nec vt tandem appeteret compelli nisi a matre potuit.

Angustus clauus. Angusticlauij. Cap. XIV.

VTlatiores claui purpurei in tunicis Senatorum assuebantur, ita minores siue arctiores Equitum tunicas illuminabant, vnde ipsi Angusti clauij dicti, quod ex Bucanano notauit Turnebus lib. I. c. II. ad quod illud Paterculi de Mœcenate adducit. *Quippe vixit angusto clauo pene contentus, nec maiora consequi non potuit, sed non tam optauit.* Ex quo etiam Statium corrigit lib. VI. Siluarum.

Hic paruus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ.

id est angusto clauo. Cum in vulgatis legeretur *raro lumine*. Lampridius in Alex. Seuero: *Tum satis esse constituit, vt equites Romani a senatoribus claui qualitate discernerentur.* Equestrem purpuram eleganter Statius *pauperem clauum* appellat in V. Silu. ad Crispinum.

— non te series inhonora parentum
Obscurum proauis, & priscæ Lucis egentem
Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, Trabeaque Remi, & paupere clauo
Augustam sedem & Latij penetrale Senatus
Aduena pulsasti.

Prout idem Turnebus lib. XII. c. VI. in veteribus extare docuit. Pro quo inepti reposuerant *trabeque & remis.* Ait enim Crispinum non obscuro loco ortum, nec ex equestri dignitate Romanum Senatum intrasse. *Sanguine turmali* quia equitum turmæ erant: *Trabea Remi*: quod Romulus, & Remus trabeati; vnde *Quirinus trabeatus* Ouidio dicitur. Tandem *paupere clauo* ideſt angusto.

Eandem postea correctionem posuit Lipsius ad Tacitum lib. III. Ann. oblitus eam se apud Turnebum legisse. nam si meminisset, qua erat ingenuitate, auctorem laudasset.

Hinc laticlauij & angusticlanij fluxere. Suet. *Augustum*

tradit

tradit *singulis alis binos plerumque laticlauios præposuisse*: Alibi patrem suum *Tribunum angusticlauium* vocat, nec semel has voces vsurpat. Quinam hi essent, docti dubitarunt. Sed facile fuerit dicere laticlauios Tribunos fuisse Senatorum filios, quibus ab instituto Augusti tam domi, quam militiæ ius lati claui fuit: Angusticlauios autem equitum liberos. Clare id idem Tranquillus: *Liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, & latum clauum induere, & Curiæ interesse permisit, militiamque auspicantibus non Tribunatum modo legionum, sed & Præfecturas Alarum dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlauios præposuit singulis alis.* Hi laticlauij sunt, quos supra Senatorum filios militiam auspicantes dixerat. Quare non ita recte idem Turnebus, cum Suetonius scribit, *Neronem vapulasse a quodam laticlauio*, non de Tribuno, sed de Senatore intelligendum existimat, quòd eum Dio Senatorem appellat. In qua etiam sententia Torrentius est, quòd Tacitus ait Senatorij ordinis fuisse, sed qui nondum honorem vllum cepisset. Nam Tribunus laticlauius etiam Senator, cui nempe tanquam filio Senatoris ius Curiæ, & insigne laticlaui erat.

Ceterum Equites insigniores, qui & *Illustres* dicti, ius lati claui non secus, ac Senatores habuisse, ex Dione notauit Lipsius ad Tacitum. Qui Dio lib. LIX. scribit, Caium, cum ordo Equestris ad paucos redigeretur, primores ex omni imperio etiam extra Italiam, qui genere, & opibus excellerent, in eum allegisse, & quibusdam eorum etiam ἐσθῆτι τῇ ἐλευθερικῇ Senatoria veste, priusquam magistratum vllum cepissent vti concessisse in spem dignitatis. Nam antea non nisi ijs, qui Senatoria stirpe essent, id permissum.

Id tamen non diu obtinuisse illud declarat, quod Præfecti Prætorio, qui ferme ex equitibus legebantur, laticlauij ius non habuere. Quare id tanquam singulare in Plantiano notauit Herodianus, quod ἡμφίεσο τὸν πλατύσημον ἐσθῆτα, *latum clauum gestaret.* Hinc Commodus apud Lampridium, cum Paterno Præfecturam Prætorii adimere vellet, lati-

clauium creauit. *Paternum autem huius cædis auctorem perlati claui honorem a Præfecturæ administratione submouit.* Capitolinus in Pertinace: *Doluit palam Marcus, quod cum Senator esset, Præfectus Prætorio fieri a se non posset.* Clarissimè Lampridius in Alexandro: *Præfectis Prætorio suis Senatoriam addidit dignitatem, vt viri Clarissimi, & essent, & dicerentur, quod antea vel raro fuerat, eo vsque vt si quis Imperatorum successorem Prætorii dare vellet, laticlauium eidem per libertum submitteret, vt in multorum vita Marius Maximus dixit.* Cur autem id fecerit Alexander, rationem affert: *ne quis scilicet non Senator de Senatore iudicaret.* Videtur tamen vsque ad extrema Imperij tẽpora Præfectura Prætorij purpuræ insigni caruisse. Nam Eunapius in Proęresio Prętorio. *Ad Præfecti,* inquit, *Prætorij munus euectus est.* ἡδὲ ἀρχὴ Βασιλεία ἐστὶν ἀπορφυρος. *Imperatoria dignitas sine purpura,* nisi de purpura Imperatoria intelligamus.

Non solum autem Equites Illustres, sed & eorum filios ius lati claui habuisse, doctis viris assentimur, quiid Ouidii testimonio confirmant.

Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumpta mihique toga est.
Induiturque humeris cum lato purpura clauo.

Qui vbi ad ætatem Senatoriam peruenerant, si nolebant, aut non poterant, in amplissimum ordinem adscribi, angustum clauum resumebant. Idem poeta:

Curia restabat, claui mensura coacta est.
Maius erat nostris viribus illud onus.

Vestis equestris mentio habetur apud Dionem lib. LXXIV. de Seuero Vrbem ingrediente: *Seuerus in vrbem venit, cumque sedisset in equo vsque ad portas vrbis,* καὶ ἐν ἐσθῆτι ἱππικῇ *ingressus,* in veste equestri, hoc est militari, siue Imperatorio paludamento, ne quis in angusto clauo ingressum crederet. Sequitur enim, ipsum ab ipsa porta vestẽ vrbanam induisse, id est togam, τὴν πολιτικὴν ἀλλαξάμενος. Hoc est, ad verbum: *vsque ad portas equo vectus ac paludatus, inde sumpta toga pedibus incessit.*

Tunica

Tunicæ Asemæ. Claui mappis & linteis assuti. Alia tunicæ ornamenta. Cap. XV.

TVnicæ à clauis laticlauiæ & angusticlauiæ dictæ. At quæ clauis carebant, *Asemæ* appellatæ, quod σημεῖον clauus vestis, σημειώσαι clauatæ vestes dicerentur, vt Casaubono rectè visum est. Qui illud Strabonis lib. 11. de Balearibus. *Hi primi hominum, feruntur gestasse χιτῶνας πλατυσήμους: tunicas laticlaui* explicat, non vt Xylander *latè praetextas*. Lampridius in Alexandro *Chlamydes hirtas, Seueri & tunicas asemas*. Vocat tunicas asemas, non quidem quod omnino clauis carerent, sed quod exigua admodum purpuræ signa haberent. Spartianus in Seuero: *Hic tamen exiguis vestibus vsus est, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet: & cum hirta chlamyde humeros velaret*. Nam licet laticlaui Senatorũ essent, alij tamẽ latiore, alij angustiore vtebantur. Suet. de Aug. *Vsus est togis neque restrictis, neque fusis: clauo nec lato, nec angusto*. Latos autem clauos, siue tunicas laticlauias a Senatoribus depositas in luctu, & ab equitibus angusticlauias, ita tamen, vt sine clauo equites, senatores in clauo equestri apparerent, diximus cum de vestis mutatione egimus.

Nec vestibus modo claui purpurei latiores inditi, sed & supellectili lectorum, ac mensarum, vt ad Lamprid. notauit Casaubonus. Hinc *laticlauia mappa* Petronio, *& lato variota mappa clauo* Martiali: *pura, & clauata lintea* Lampridio: *lintea item toralia duos clauos latissimos habentia* Ammiano.

Præter clauos fuisse, & alia in potentiorum tunicis ornamenta docet Suetonius, cum Cæsarem tradit *vsum lato clauo ad manus fimbriato*: nam fimbriæ illæ non aliud, quam ornamenta tunicę manuleatæ fuere. Inuenalis etiam de Gracho retiarium in arena agente ait:

Credamus tunicæ de faucibus aurea cum se
Porrigat & longo iactetur spira galero.

Quo

Quo loco male Interpretes Senatoriam tunicam clauis aureis distinctam intelligi volunt. Nam in tunica senatoria nulli aurei claui fuere, sed tantum in triumphali. Et claui in pectore, non in faucibus. Interpres vetus corruptissimus est. Ait enim, *Tunicam de faucibus quidam vestem gladiatoriam dicunt, quam fibulam pugnaturis mordet a faucibus.* Quæ puto legenda: *quam fibula mordet faucibus pugnaturi.* Mox in extremo ait. *Qui munera edebant, habebant vt extremas partes tunicæ ad guttur ornarent, quo famam haberent.* Sed tunc Gracchus non edebat munus, sed pugnabat in munere. Illud ergo potius, nobiliores & potentiores in tunicis ad guttur aurea segmenta gestasse; & ideo ait Poeta Gracchum in arena pugnantem esse nobilissimum credamus tunicæ ad fauces ornatæ. Nam quod de galero addit, sic vetus Interpres explicat: *pilo quem habent Retiarij*, vbi deleta nota legendum est *pileo*. nam Retiarij sine galea, & solo pileo tecti pugnarunt. Ceterum tunicæ palmatæ, quam totam purpuream fuisse diximus, & pictam, claui aurei indebantur. Halicarn. lib. III. χιτῶνα τι πορφυροῦν χρυσόσημον. *Tunicam purpuream auro clauatam.* Tunicam etiam auro intextam luxu perdito principes vsurparunt. Dio de Commodo lib. LXXII. *Solebat antequam veniret in Theatrum induere tunicam* χειριδωτὸν, σηρικὸν, λευκὴν, σὰ χρυσον, *manicatam, sericam, albam, auro interstinctam. Ingressus vero Theatrum induebatur purpuream* χρυσῷ κατάπασον *auro insperſam.* Lampridius de Heliogabalo: *Vsus est aurea omni tunica, vsus & purpura, vsus est de gemmis Persica.* De eodem Herodianus lib. V. *Vestitum vsurpans pretiosissimum,* διοτε πορφύρας χρυσῷ ὑφάσμασι, *purpura intextum atque auro.*

De Tunica Christi Domini inconsutili. Doctissimi viri opinio reiecta. Cap. XVI.

EXactis quæ ad veterum tunicas pertinebant, Christi Domini tunicam super omnes exunias ac peplos superq; omnes apices ac tutulos augustam vestem intactam præ-

prætermisisse nefas esset, cum quænam illa & qualis fuerit, adhuc quæri videam, & viri præstantes artifices illi manus nuper admouerint, atque ex inconsutili consutam concinnauerint. Ioannis XIX. hæc habentur: *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam:* Ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.*

Vir doctissimus ad Vopiscum, tam veteres, quam recentiores omnes in illa inconsutili tunica explicanda tota regione aberrauisse pronũciare audet, & quomodo vox ἄῤῥαφος capienda esset ignorauisse. Putasse enim omnes, peculiare artificium, & texturæ speciem non vulgarem in tunica Domini notari a D. Ioanne. Ita omnes hactenus desudasse quærendo, & inuestigando, quanam ratione tale contexi vestimentum potuerit, quod futuram non haberet, quoniam per artem huiusmodi vestis in tela fieri non potuerit. Ipse nouam & mirabilem explicationem affert, mordicusq; retinet: Ex tunicis alias apertas siue χιτοὺς, alias ἀῤῥάφους fuisse, quæ ex toto tectæ, ac conclusæ nulla parte sutiles scissilesque essent, vt sunt camisiæ & interulæ nostrę laneæ, vel lineæ. Tunicas apertas ex vtraque parte in humeris fibulis stringi consueuisse: quas fibulas ῥαφὰς & ῥαφίδας dicerent, idest futuras. Ita Sutum pro fibulatum, & resutum pro refibulatum, a Latinis dici. Nam Suetonius in Augusto: *Sumenti virilem togam tunica laticlaui resuta ex vtraque parte ad pedes decidit.* Quoniam igitur tunica Domini non esset de eo tunicarum genere, quæ ῥαφὰς idest fibulas haberent, aut futuras, Græcè ἄῤῥαφον dici, Latine *inconsutilem.* Tales autem tunicas laneas nostras, siue lineas, quæ licet consutæ sarcinatricis acu dicantur, nihil tamen prohibere, quin inconsutiles sint: nam acum sarcinatricis idẽ facere, quod pecten textoris, quod nempe & acu texere veteres dixerunt. Ita hanc tunicam Domini fuisse ex eo vestium genere, quæ vt apud nos ex varijs pannis sectis consuuntur,

ſuuntur, cum tunicæ reliquæ, & colobia non ſuerentur, ſed tantum duæ plagulę in humero ac latere fibulis committerentur. Hinc tunicam Domini a militibus non fuiſſe diuiſam, quia ſi diuiſiſſent perdidiſſent, cum nulli vſui futura fuiſſet, pallium contra quod fibulis commiſſum erat, licet ſic diuiſum, alicui vſui eſſe poſſet.

Hæc quam breuiſſime, ſed candide, & cum fide retulimus, vt noua hæc opinio curatius expenderetur, cui aſſenſionem præbere multa ſunt quæ vetant. Primo illud omnibus durum merito videbitur, vocatam fuiſſe inconſutilem, quia eſſet conſuta, & ita omnia veſtimenta conſura dicenda inconſutilia. Demus enim fibulas ῥαφὰς dictas eſſe, & futuras, quanquam impropriè, quod futuræ loco eſſent, quid ſequetur? Tunicas apertas etiam conſutas fuiſſe, quia habebant fibulas; contra tunicas clauſas non fuiſſe conſutas, quia carebant fibulis, ideſt futuris, licet acu eſſent conſutæ. Et ſi inquam, fibulæ futuræ dictæ ſint, non video, cur tunica Auguſti refibulata potius fuerit, quam reſuta; nec ſcio quis fibularum in tunicis virilibus & colobijs Romanorum mentionem fecerit. Paucas admodum ſtatuas togatas, in queis vna fibula tunicam iungit, videre eſt, in reliquis nullæ fibulæ apparent. Sed omnes tunicas ſuperiores χιτῶνας & apertas fuiſſe concedamus, fibuliſque nexas, quod non ita facile fuerit oſtendere. At ſaltem ſubuculas ſiue interulas tam apud Græcos, quam apud Romanos conſutas acu fuiſſe credendum eſt, nulliſque fibulis conſtrictas, quod corpori preſsæ & ad frigus arcendum, velandumque corpus eſſent clauſæ. Atque ita omnes interulas, & ſubuculas inconſutiles fuiſſe neceſſe eſt; Et ideo quid opus erat talem Chriſti tunicam deſcribere, cum tunicæ ſiue interulæ communes tales eſſent? Atqui Ioannes tanquam rem peculiarem in ea tunica notauit, quod eſſet inconſutilis, ſiue inconſuta: & ideo modum quo texta erat poſuit, non vtiq; facturus, ſi tales omnium interulæ fuiſſent, quemadmodum pallij texturam non addidit. Fuiſſe autem ἄῤῥαφον aperte tradit, & quod ſequitur, *deſuper contextam per totum*,

totum, id est non acu, aut futura iunctam.

Præterea verisimile est, ne dicam certum, etiam vestimenta aperta, præcipuè Græcorum pallium, *licet* in humero fibula necterentur, saltem aliqua in parte consuta fuisse, qualia nostra pallia conficiunt. Et ita Christi Domini pallium, siue illud commune Græcorum, & Iudæorum fuerit, siue Tribonium, in quo nullus fibulæ vsus esse potuit, si debuit in quatuor partes diuidi non potuit non esse consutum, alioqui scissum fuisset, ac laceratum: quod ne in tunica eueniret, eam diuidere noluerunt. Nisi quis dicat, pallium Domini quatuor plagulis cõstitisse multiplici fibularum serie connexis, quod mihi nunquam persuaserit. Consutum ergo pallium illud fuit, & tantum in anteriori parte apertum, vt vel in humeris fibula necteretur, vel a dextro brachio in sinistrum humerum rejiceretur.

Quidquid sit, ratio illa nihili est, tunicam consutam non fuisse diuisam, quod cum esset acu consuta nulli vsui futura erat si resueretur. Id enim falsum. Nam quemadmodum diuiso pallio in quatuor partes, certè partes illę pallij vicem præstare non potuerunt, alterius minoris tamen vestimenti; nam aut palliolum ex ijs confici potuit, aut tunicula, aut manicæ, thoraxue. Eodem modo, si tunica illa consuta fuisset diuisa, ac resuta, tunicæ quidem vsum præstare non potuit, ex partibus tamen sic diuisis quid vetuit thoracem confici, manicas, orarium? Quod manifestum est in camisiis nostris, & interulis lineis. nam si quis resuat, & scindat, non tamen penitus peribunt, sed & linteola, & sudaria, & pedules, & alia minora nihilominus conficientur. Secus in tunica inconsutili, siue inconsuta: quæ si diuisa, ideo tota peritura erat, quod nullas futuras haberet, sed per totum contexta esset.

Nam de duabus Christi Domini tunicis iisdem assentiri non possum, qui suspicantur diuisum pallium in duas plagulas, tunicam superiariam in alias duas: sic factas quatuor partes vestimentorum. Qui enim credam, Christum duas tunicas gestasse, qui earum vsu Apostolis interdixit? Præte-

rea aliquod discrimen inter vtramque tunicam Euangelistæ posuissent, qui vnius tantum mentionem fecerunt. Merito ergo postea hæc opinio auctori suo displicuit.

Hæc omnia cogunt nos cum vulgo credere, tunicam illam inconsutilem vere fuisse consutam, idest sarcinatoris acu minimè, nullaque in parte consutam, sed adinstar subucularum, & tibialium, quæ apud nos serica, vel lanea tota simul texuntur nó quidem pectine, & in tela, sed per acus longiores reticulatim conficiuntur. Quod artificium si tunc incognitum, saltem sine acu solis manibus sursum versus contextam, qualia nunc reticula, & muliebres calanticæ fiunt, & ideo dici ἄνωθεν *desuper*, idest sursum versus contextam, & per totum idest in orbem, & totam simul, sine vlla scissura, quæ acu cõmittenda esset. Ita non fuisse a militibus diuisam: quia huius generis vestimenta si diuidantur, vt sunt tibialia, subuculæ, ac reticula, nulli alij omnino vsui esse possunt. tota enim pereunt: cum subuculæ lineæ, vt dicebamus, consutæ, qualem volunt fuisse tunicam illam, si scindantur, aut resuanturnihilominus alium vsum præstare possint. Obturbant tamen D. Chrysostomi verba Homil. LXXXIV. in Ioannem. Τίνες αὐτὸ τὸ εἶδος τοῦ χιτωνίσκου φασὶ τὸν Εὐαγγελιστὴν ἱστορεῖν. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν Παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια δηλῶν ὁ Ἰωάννης ὅτι τοιοῦτος ὁ χιτωνίσκος φασὶν ἐκτῶν ἄνωθεν ὑφαντός. Quæ sic verti debebant. *Alij genus quoddam tunicæ ab Euangelista notari dicunt. Siquidem in Palæstina duos pannos committentes ita vestes contexunt: quod significans Ioannes ait desuper contexta.* Quæ verba ait Magnus Casaubonus in Exercitationibus nescire se, an alij intelligant; se quidem vix satis assequi. Neque ipse quid sibi ea velint capere possum. Qui enim illa duorum pannorum commissura per texturam confici potuit? Theophylactus, vt notat idem ibi, more suo Chrysostomi verba describens quędam de suo adiecit. Ἐν Παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες, ἤτοι δύο πανία, ὑφαίνουσι ἱμάτια, ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ συνφασμῷ. *In Palæstina duos pannos committentes texunt vestimenta pro futura vtentes contextura.* Quam texendis rationem

tionem

tionem ideo fortasse non assequimur, quia intercidit: vel eam nobis explicent, qui nihil ignorant.

Illud sequitur, cur Ioannes dixerit: ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *desuper contexta per totum*. Ideo factum dicunt, quod in superioribus tunicæ partibus eæ ῥαφαὶ, vel fibulæ locum magis haberent. Quæram ego de reliquis partibus, quas non consutas, sed apertas a lateribus, vel in pectore fuisse volunt, num fibulis strictæ fuerint? Quod si verum est, cur tantum in superiori parte hoc factum indicauit Ioannes, cum in reliquis ita etiam se haberent, vt tam in humeris, quam hinc inde a lateribus fibulatæ essent? Desuper ergo contextam rectius explicarunt, quòd sursum versum texerentur: quales fuere *vestes rectæ, quas patres*, vt ait Festus, *liberis suis conficiendas curabant ominis causa, sic dictas, quod in altitudinem sursum versus, & a stantibus texerentur*. Quem morem apud Palęstinos viguisse ex Theophylacto docti viri ostenderunt. Euthymius tradit, hanc tunicam fuisse a superioribus partibus contextam *veluti sunt*, inquit, *apud nos capitis aut pedum hiemalia integumenta*: nempe reticulatim facta Perperam enim Casaubonus de vestimentis e lana coacta confectis, ea enim proprie non texebantur.

Miror autem ab ijsdem viris doctissimis proditum, *putasse omnes veteres ac recentiores, peculiare artificium, & texturæ speciem non vulgarem in Domini tunica notari a D. Ioanne*. Nam non modo id non existimauit Baronius, sed etiam eos erroris accusauit, qui id putarunt. Non enim credibile esse, eius generis vestibus Dominum vsum esse, qui Ioannis sanctitatem commendans dixerat: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*. Sed præstat Isidorum Peluſiotam audire lib. 1. ep. LXXIV. Τίς δὲ ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τῆς ἐσθῆτος ἐκείνης, ἣν περ οἱ πτωχοὶ κέχρηνται τῶν γαλιλαίων, καθ' οὓς καὶ μάλιστα τὸ τοιοῦτο φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον, ὡς αἱ σηθοδεσμίδες ἀνάκρουστον ὑφαινόμενον. *Quis autem vestis illius vilitatem ignorat, vt qua Galilæorum pauperes vtantur? Apud eos enim maxime huiusmodi vestis genus fieri solet, vt pectoralia, sursum versus contextum*. Quod persuadet facilem factu fuisse, & sine vllo pectine, aut textoris opera

manibus ad instar reticulorum confectam. Vt mirum etiam sit, Bulengerum existimasse pretiosam fuisse, & quidem ex eo, quod illam diuidere milites noluerint. D. Chrysost. loco adducto. *Quod mihi dicere videtur*, inquit, *vt vestimentorum vilitatem ostenderet. nam quemadmodum in alijs omnibus, ita in habitu vilem speciem præferebat.*

De Tunica Muliebri. Stola. Institæ. Segmenta. Plinius explicatus. Cap. XVII.

TOgam antiquissimis temporibus commune virorum, & feminarum gestamen fuisse, supra ostendimus. Mox toga penes viros remansit solasque feminas, quæ se viris vulgarent: de quibus multa docti, præcipuè Manutius. Ita penes matronas feminasque honestas, atque ingenuas tunica, quam & *stolam* dixerunt, & *pallium* siue *palla* remansit. Vtramque vno versu complexus est Horatius.

Ad talos stola demissa & circundata palla.

Stola igitur matronarum tunica proprie dicta, licet apud Græcos, & barbaros pro cõmuni veste, & maxime virili accipiatur. Cicero Philippica II. *Sumpsisti virilem togam, quam statim stolam reddidisti.* Eodem planè sensu ille apud Petronium. *Quid ille alter, qui die togæ virilis stolam tanquam togam sumpsit?* Ita enim locus ille legendus est. Sic Caligula Liuiam *Vlyssem stolatum* appellabat. Seneca de beata vita cap. XIII. de Epicuro. *Hoc tale est, quale vir fortis stola indutus.* Val. Maximus lib. II. cap. I. *Sed quo matronale decus verecundiæ munimento tutius esset, in ius vocant: matronam corpus eius attingere non permiserunt, vt inuiolata manus alienæ tactu stola relinqueretur.* Et lib. V. cap. II. de matre & vxore Coriolani. *In quarum honorem Senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit. Sanxit namque, vti feminis semita viri cederent, confessus plus salutis Reip. in stola, quam in armis fuisse.* Quæ sequuntur corrupta sunt. *Vetustisque aurium insignibus nouum vittæ discrimen adiecit.* Lipsius ad Taciti lib. III. Ann. al. legit *crinium insignibus:* quod non probat Colerus, qui

mauult

mauult *inaurium*. Sed quid vitta, quæ erat fasciola, cum inauribus? Quis matronas inauribus a ceteris distinctas, sicut stola, & vitta distinguebantur, notauit? Non displicet ergo Lipsij coniectura, modo veteribus libris nitatur; scilicet cum matronæ a Libertinis criniū sertis discernerentur, quas solæ habere poterant, nouum discrimen a Senatu adiectum scilicet vittæ, siue fasciolæ, quibus & stola semper, præcipue a poetis, matronæ denotantur. Sertis autem crinibus, id est crinium sertis nubentes ornari solitas ex Festo notum. Quo ornatu non tantum a virginibus distinctæ, vt vult Lipsius, sed a libertinis, ac meretricibus, quibus nullus vittæ stolæque ius fuit.

De stola etiam Vitruuius lib. 1. cap. 1. loquens de Caryatidibus: *Itaque oppido capto viris interfectis, matronas eorum in seruitutem abduxerunt. Nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere.* Martialis etiam stolam simpliciter posuit pro matrona lib. x. ep. v. *Quisquis stolæue purpuræue contemptor.* Stolam autem ad talos, vt loquitur Flaccus, demissam, & instita ad oram ornatam docuit Turnebus lib. xxix. & ex eo plures. Vbi duo insignia in cultu matronarum notat, vittas, queis crines ligabantur, & talarem tunicam adsuta instita cultam. Secus in Libertinis, quæque viris morigerabantur. Tibul. eleg. vi.

—— quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Ouidius.

Este procul vittæ tenues insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

Et de Trist. lib. ii.

Ecquid ab hac omnes rigidas submouimus arte,
Quas stola contingi, vittaque sumpta vetat?

De instita Horatius:

Quarum subsuta talos tegat instita veste.

Vbi Acron. *Qui matronæ stola vtuntur demissa vsq; ad imos pedes, cuius imam partem ambit instita subsuta.* Quod instita subsueretur. Fallitur Acron vestis enim institæ subsuebatur,

tur, quæ imam ſtolæ oram prætexebat. Rectius Porphyrio. *Matronas ſignificat. Hæ enim ſtola vtuntur ad imos pedes demiſſa, cuius imam partem ambit inſtita aſſuta.*

Ouidius in III. de Arte.

Quid de veſte loquar? non tam ſegmenta requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Alibi nempe lib. II. *Inſtitam* ſimpliciter ponit pro veſte matronali. *En iterum teſtor, nihil hic niſi lege remiſſum.*
Luditurin noſtris inſtita nulla iocis.

Quibus addendus Iuuenalis de Graccho nupturiente.

Segmenta, & longos habitus, & flamea ſumit.

Vbi Vetus Interpres. *Segmenta; Profuſas veſtes. Et longos. Fimbriarum.* (Lege, fimbriatas) *ſiue vittatas veſtes, quibus matronæ nouæ nuptæ cooperiuntur.* Et ad Satyr. VI. *Segmenta dicit vittam pendentem de veſtibus intextam auro.*

Recte autem Ouidius ſegmenta cum veſte purpurea coniunxit. Fuiſſe enim faſcias, ſiue virgas purpureas, & aureas, quæ veſti ad ornamentum inſuerentur, notum eſt, idque ſolis matronis conceſſum. Valerius Maximus. lib. II. *Ceterum vt non triſtis earum & horrida pudicitia, ſed honeſto comitatis genere temperata eſſet, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura vſæ ſunt.* Idem. *Permiſit vtique eius purpurea veſte, & aureis vti ſegmentis.* Hinc veſtis ſegmentata Iſidoro libro. XIX. *Zonis quibuſdam, & quaſi præciſamentis ornata.* Seruius ad illud collog. monile. *Ornamentum gutturis, quod & ſegmentum dicunt,* vt Iuuenalis *ſegmenta & longos habitus. Licet ſegmentatas veſtes dicamus,* vt Ipſe. *Et ſegmentatis dormiſcet paruula cunis.* Stola inquam tota Purpurea fuit, ne quem decipiat Lambinus, qui ad illud Horatij, *mirator cunni Cupiennius albi. Albati,* inquit, *quia matronæ albatæ ideſt ſtola amicta in publicum prodibant.* Quod ante Lambinum Turnebo placuiſſe video. ex cuius aduerſarijs ille plurima conuerrit. *Ex albo* inquit lib. XI. c. VI. *Horatius ingenuam intelligit. Ingenuæ autem mulieres albatæ erant, Libertinæ atratæ, nobiliores purpuratæ.* Quod ſcilicet Artemidorus dicat, *ſi in ſomnis Chlamys alba appareat, qui eam viderit, ductarus ſit ingenuam,*

nuam, si atra libertinam, si purpurea nobilem. Nam vt concedamus ingenuas in veste alba, Libertinas in atra incessisse, quod falsũ est, quis enim hanc colorẽ Libertinis adscripsit? verum in veste ingenuarum quæ libertatem adeptæ erant? Nobiliores ait Artemidorus purpurã indutas: at istæ erant matronæ, non ergo albatæ. Horatium vero sectatores matronarum perstringere apparet. Sed fortasse Porphyrionem vterq; secutus est, qui ait, *Alibi* (l. albi) *autem non pro candido videtur mihi dixisse, cum vtique possint & vulgares mulieres, etiam meretrices candidæ esse, sed ad vestem albam, qua matronæ maxime utuntur relatum est*. Verum matronas numquam nisi in luctu veste alba vsas ostendimus: & si stola alba fuisset, quæ tamen erat purpurea, an sequitur etiam albã eam partẽ fuisse, qua mulieres sunt, quæq; stola velatur? Igitur matronalis locus *albus* dicitur Horatio, quod mundior, puriorque esset, quam publicarum libidinum receptacula, quæ fuit Britannici opinio: aut quod verius existimo, *albus* ideſt vetulus, ac canescens, quod scilicet ille matronarum sectator, veluti sepulchrorum incola vetularum noctibus testamenta matronarum captaret.

Quare eximius matronarum Romanarum cultus fuit: quibus purpurea vestis aureis segmentis ornata. Et vsque ad Imperatores eo habitu insignes fuisse constat. Cæsarem modum purpuræ vsurpandæ statuisse, nonnisi certis personis, & per certos dies eius vsu permisso: eum deinde a Nerone omnino sublatum, post ab Aureliano concessum, ad Vopiscum Cl. Salmasius adnotauit.

Ingenuarum ergo, & honestarum matronarum propria stola fuit, tunica scilicet manicata, siue manuleata ad plantas fluens, purpura, segmentis siue limbis aureis ornata, eademque multis rugis, ac plicis constricta. Martialis.

Cum tibi trecenti Consules Vetustina
Et tres capilli, quatuorue sint dentes,
Rugosiorem cum geras stola frontem.

Tunica inquam fuit, vt Isidorum falli necesse sit, qui *stolam esse* scribit *matronale operimentum, quod cooperto capite,*

& sca-

& ſcapula, à dextro latere in læuum humerum mittitur. Nam id proprium fuit pallæ, ſiue pallij muliebris. Quare ſubijcit. *Eadem, & Recinium latino nomine appellatum, eo quòd dimidia eius pars retro rejiciatur*. Recinium autem de pallio dictum, ſiue pallium fuiſſe, notum eſt. Ita autem demiſſa ad pedes ſtola totum corpus operiebat, vt nihil, quemadmodum ait Horatius, præter faciem appareret. Quare mirum eſt Bayſium credidiſſe tunicarum muliebrium alas non fuiſſe conſutas, ſed more Spartanarum ad femora apertas, & φαινομηρίδες. Cum tamen id aperte neget Plutarchus in Lycurgo, cum ait attentiorem curam circa Virgines a Numa adhibitam quam a Lycurgo, cuius inſtitutione cum virgines nudis femoribus incederent locum ſermonibus præbuiſſe poetis, qui eas φαινομηρίδες a nudis femoribus appellarunt, quod virginalis tunicæ alæ conſutæ non erant ab inferiori parte, ſed aperiebantur, ſimulque nudabant totum femur in inceſſus. Quem locum ipſe Bayſius adducit. Nititur autem eo argumento tales fuiſſe tunicas Romanarum mulierũ, quod Ouidius ait:

Pallia ſi nimium terræ demiſſa iacebunt
Collige, & immunda ſedulus effer humo.
Protinus officij pretium patiente puella
Contingent oculis crura videnda tuis.

Neq; enim elato pallio potuiſſe crura apparere, ſi integra tunica fuiſſet, alis vtrimque conſutis. Sed hoc innuit nequitię magiſter, amantẽ, dum lapſam pallij oram tollit, poſſe etiam permittente puella non nihil ſtolæ ſubducere, atq; crurum aſpectu beari.

Similis locus eſt Amorum III.

Sed nimium demiſſa iacent tua pallia terræ:
Collige, vel digitis en ego tollo meis.
Inuida veſtis eras, quæ tum bona crura tegebas,
Quoque magis ſpectes, inuida veſtis eras.

Loquitur enim de puellis ſedentibus in ſpectaculis, cumque in ſedendo tunica contraheretur, vt aliquid crurum appareret, ſi nimis pallium ſiue palla dimitteretur aſpectum

dum crurum inuidebat. qui igitur pallium tollebat eadem opera crurum aspectu fruebatur.

Frustra autem Philippicarum nuperus Interpres Stolam Senatorij tantum ordinis putauit adductus verbis Plinij, quæ nec ipse, nec alius quod sciam assecutus est, lib. XXXIII. cap. III. de auro. *Habeant fœminæ in armis, digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ per latera, & inserta margaritarum pondera ve collo dominarum pendeant: etiamne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium fœminarum equestrem ordinem facit?* Conqueritur Plinius ibi, aurum pedibus etiam, & cruribus addi. Petronius: *Iam pedum candor intra auri gracile vinculum positus Parium marmor exstinxerat.* Seneca: *Crura distincto religauit auro.*

Eas aureas compedes non a matronis, sed a libertinis gestatas, illud argumento est, quod matronæ fluente stola velatæ, non crura modo, sed & pedes veste contectos habebant, & omnia, vt ait Horatius, præter faciem veste tegebant: ita nullus auri ad ostentationem parati vsus in parte quæ latebat. At Libertinæ, quibusque Venus non impermissa, cum altius tunicas succingerent, vt ex Ouidio & alijs scriptoribus liquet, crura, pedesque aureis circulis cultos ostentabant; quæ periscelides a plebe mulierum ob earum pretium non gestabantur: atque ita quemadmodum in viris aurum in annulis distinguebat a Curia, & a plebeio ordine equites, atque medium ordinem faciebat; ita in mulieribus aurum periscelio, compedeque gestatum distinguebat libertinas a stola, ideſt matronis honestis, & a plebe inope, sicque veluti medium quendam equestrem fœminarum ordinem faciebat. Non alius eius loci Pliniani sensus esse videtur: quem alium enim potiorem Plinio interpretem dabimus ipso Plinio? Is cap. v. ait. *Argentum succedit ex re aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas indnere aureas mos tritior vetat.* Vbi innuit argenteas compedes a plebe gestatas, cum iam aureæ fastidiri cœpissent. Frustra docti calceorum ornatum explicant, quē aureum in fœminis equestris ordinis fuisse falso ex Plinio

colligunt. Quasi equestris ordinis matronæ non & ipsę stolatæ. Vel si alius sensus est, haud illum nobis inuideant, quos nihil effugit. Apud Macrobiũ mentio est libertinarum, quæ longa veste vterentur, cap. 6. Sat. 1. *Lectisterniumque, ex collata stipe faciendum ita, vt libertinæ quoque quæ longa veste vterentur in eam rem pecuniam subministrarent.* Quod de Libertinis intelligendũ existimo, quæ patronis nupsissent, & ideo tamquam iustæ matres familias factæ longa veste ideſt stola matronali vterentur. Ceterum vt virilis tunica, ita & stola cingebatur. Id veteres statuæ ostendunt, & scriptores testantur. Ouid. Amorum. lib. 1. el. v.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.
Candida diuidua colla tegente coma.

Recincta est dicincta, siue soluta. Idem lib. 111. el. 1.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis obstricti sollicitare forem.
Delabique toro tunica velata soluta

Quamquam in alijs extet *recincta*. Erat autem tunc Corinna in interiore tunica, quæ vt primo cum de lecto surgerent induebatur, nec cingebatur. Idem in lib. de Arte de Ariadna.

Vtque erat e somno tunica velata recincta,
Nuda pedem, croceas irreligata comas.

At superior tunica siue stola zona cingebatur. Idem Amorum lib. 1. el. v 11. vbi a se pulsatam amicam conqueritur.

Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ,
Nec nimium rigidas insonnuisse minas?
Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Vt mediam, mediæ zona tulisset opem.

Sed locus corruptus est, quem viri doctissimi ita corrigunt.

Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Ad mediam, mediæ zona tulesset opem.

Satis fuisse discindere tunicam ab summa ora, siue ab extremitate superiori vsque ad mediam, vbi zona cingebatur,

tur, quæ zona impediſſet, quominus tunica vſque ad imam oram laceraretur. Zonæ etiam muliebris meminit Martialis in Apophoretis:

Longa ſatis nunc ſum: dulci ſed pondere venter
Si tumeat, fiam tum tibi Zona breuis.

Porro tunicas muliebres non talares modo, ſed etiam manicatas ſiue manuleatas fuiſſe ſatis notũ: vnde tales tunicas in viris probroſas diximus. Eas manicas interdum luxus muliebris non conſutas, ſed fibulis nexas cogitauit, quod tradit Aelianus Variæ hiſt. lib. I. c. XVII. *Tunicarum uero inquit eam partem, quæ eſt ab humeris vſque ad manus non conſuebant, ſed continuis fibulis aureis atque argenteis conſtrixere.* Talis tunicæ icona dedit Rubenius in Elect.

Tabula XI.

tab. XI



Pallium muliebre. Palla. Citharœdicus ornatus. Palla Gallica. Cap. XVIII.

TVnicæ, siue stolæ mulieres honestæ injiciebant pallium, quod *palla* dicebatur. Virg.

Pallam signis auroque rigentem.

Seruius. *Significat autem tunicæ pallium, quod secundum Varronem palla dicta est ab irrugatione, & mobilitate, quæ circa finem huiusmodi vestium,* ἀπὸ τῦ πάλλειν. Illæ autem rugæ efficiebantur, quod cum pars eius in humerum sinistrum reiiceretur, & sinistro brachio pars altera subduceretur, in rugas contrahebatur. *Rigentem autem duram propter aurum, sicut & nouas vestes videmus.* Idem ad illud.

Pro longæ tegmine pallæ;

Palla, inquit, *proprie est vestis muliebris deducta vsque ad vestigia.* Isidorus *quadrum pallium* interpretatur: quod de suo adiecit, quemadmodum quod *affixis in ordinem gemmis distincta esset.* Id enim Seruius non habet, a quo ille ad verbum accepit. Recte autem illud, *dictam pallam* ἀπὸ τῦ πάλλειν, *quod rugis vibrantibus sinuata crispetur.* Ita Nonius *Palla est honestæ mulieris vestimentum hoc est tunicæ pallium.* Horatius matronarum habitum describens Sat. lib. I. II.

Ad talos stola demissa, & circundata palla.

Et Ouid. lib. III. Amorum. el. XIII.

Virginei crines auro gemmaque premuntur
Et tegit auratos palla superba pedes.

Idem pallium simpliciter appellat, de Arte lib. I.

Pallia, si terræ nimium demissa iacebunt,
Collige, & immunda sedulus effer humo.

Et lib. III. Amorum.

Sed nimium demissa iacent tua pallia terræ.
Collige, vel digitis en ego tollomeis.

Tam palla igitur, quàm stola, ita mulierum peculiares fuere, matrisque familiæ causa comparatæ, vt ijs viri non facile vti possent sine vituperatione, vt loquiur Vlpianus lib.

XXII.

xxi ii. D. de auro arg. leg. Vbi *pallæ*, non *pallia* legendum esse, etsi ita extet in Pandectis Florentinis, idque tueatur Faber Semest. lib. i. cap. xv, ex eo apparet, quod pallia inter communia viris & fœminis vestimenta a Iurisconsulto infra recensentur, cum pallæ muliebria tantum fuerint. *Communia sunt quibus promiscuè vtitur mulier cum viro, velut si eiusmodi penula palliumue est*. Liuius lib. xxvi i. narrat, Ptolomęo Aegypti Regi dono a Senatu missam *tunicam & togam purpuream, Cleopatræ Reginæ pallam pictam cum amiculo*.

Porro pallam eandem cum peplo Seruius facit ad illud:

—— *peplumque ferebant*.

Peplum proprie est palla picta fœminea Mineruæ consecrata. Vt Plautus. *Numquam ad Ciuitatem venio nisi cum infertur peplus*. Et paulo ante. *Cum Diomedes auxilio Mineruæ plurimos Troianorum fudisset, Helenus vates monuit, vt Mineruæ numen exoraretur, & cum precibus Deæ ponerent vestem, quam Regina speciosissimam habebat, id est peplum: vnde post Mineruæ palla peplum appellata est*. Iuuenalis etiam Troadibus pallam tribuit.

—— *sciſſaque Polyxena palla*.

Ouidius etiam Dianæ Met. lib. iii. cum se lotura exueret.

Altera depositæ subiecit brachia pallæ

Et Ocyroe in equam conuersæ lib. ii.

Longæ pars maxima pallæ
Cauda fit.

Palla inde ad citharœdos, Tragœdos, & saltatores translata est. De Citharœdo Cornificius lib. iv. *Vti citharœdus cum procedit optimè vestitus, palla inaurata indutus cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta*. Et Lucianus aduersus indoctum tradit citharœdū imperitum veniſſe Delphos veste auro insigni, & descendisse in certamen purpura auro contexta. Ouidius ii. Fastorum de Arione.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam.

Propter quam causam ipse Apollo palla indutus a poetis producitur. Idem Amorum lib. i. el. viii.

Ipse Deus vatum palla spectabilis aurea

Tra-

Tractat inaurata conſona fila lyra.

Et Tibullus lib. III eleg. IV. de Phœbo.

Ima videbatur talis illudere palla.
Namque hæc in nitido corpore veſtis erat.
Artis opus raræ fulgens teſtudine & auro
Pendebat læua garrula parte lyra.

Sic Virgilius de Orpheo.

Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos.

Longa veſtis eſt palla, vt apud Propertium:

Pythius in longa carmina veſte ſonat.

De Tragœdis Ouidius Amorum lib. II. el. XVIII.

Sceptra tamen ſumpſi curaque Tragœdia noſtra
Creuit, & huic operi quamlibet aptus eram.
Riſit amor pallaque meam pictoſque cothurnos
Sceptraque priuata tam cito ſumpta manu.

Et lib. III. el. I.

Venit & ingenti violenta Tragœdia paſſu,
Fronte comæ torua, palla iacebat humi.

De ſaltatorum palla animaduertit Turnebus libro XX. ex Plauto Menœchmis.

Sed obſecro hercle ſalta ſic cum palla poſtea.

Quia autem ſaltatores molles & effœminati, ideo infra ait Peniculus. *Non ego te indutum foras Exire vidi palla?* ME *Vae capiti tuo Omnes cinædos eſſe cenſes, tu quia es: Tun' me indutum fuiſſe palla prædicas?*

Eadem fabula, cum Menœchmus induiſſet pallam, quam vxori ſurripuerat, ait ad paraſitum.

Dic mihi nunquam tu vidiſti tabulam pictam in pariete, Vbi Aquila catamitum raperet, aut vbi Venus Adoneum? Age me aſpice, ecquid aſſimulo ſimiliter.

Porro mihi mirum videtur, cum palla veſtitus exterior muliebris eſſet, eamque Menœchmus paraſito per iocum olfaciendam dediſſet, illum aſpernatum dicere. *Summum me olfactare oportet veſtimentum muliebre. Nam & iſtoc loco ſpurcatur naſus odore illucibili.* Nam ſi de tunica aut ſubucula loqueretur credibilius eſſet. Sed iocus paraſiticus eſt

Horat.

Horat.

Post hæc personæ, pallæque repertor honestæ
Aeschylus.

Hanc autem pallam longo syrmate humum verrisse, illa indicant,

Traxitque vagus per pulpita vestem.

Suetonius etiam de Caligula. *Tres Consulares secunda vigilia in Palatium accitos, multaque & extrema metuentes super pulpitum collocauit, deinde repente magno tibiarum, & scabellorum crepitu cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.*

Quod sane mirum videri potest, saltatores longis ac fluentibus tunica, pallaque velatos, cum habiliores succincti, & tunicati tantum futuri fuissent. Sed de habitu citharœdorum infra, cum de chlamyde agemus. Palla etiam inter virilia vestimenta, sed barbarica. Curtius lib. III. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur: Purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres adornabant.*

Tabula XII. & XIII.

Mar-

Tab. XII.



Jo. Georg. sculps.

Tab. XIII



Martialis lib. I.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit

Quo fortasse respexit Strabo lib. v. de habitu Gallorum οἱ δὲ Κέλται ἀντὶ χιτώνων χιτῶνας χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων, καὶ γλουτῶν. Interpres magis sensum secutus quam verba *pallas* vertit, cum *tunicas apertas manuleatas* debuisset, quæ tamen Gallis pallæ fuere ad pudenda pertinentes.

De Amiculo. Cap. XIX.

PRæter pallam etiam amiculum muliebre vestimentum fuit; licet commune cum viris. Quod genus vestimenta circumiectu dictum Festus interpretatur. Idque in viris non dissimile fuisse videtur chlamydi, siue paludamento. Nam Curtius lib. III. de Dario fugiente. *Insignibus quoque Imperij, ne fugam proderent, indecore abiectis.* Subiicit paulo post: *Venus namque e captiuis spadonibus amiculum quod Darius, ne cultu proderetur, abiecerat in manibus eius, qui repertum ferebat, agnouit.* Alibi ait *Alexandrum amiculo, cui adsueuerat ipse, solum, in quo corpus Cyri iacebat, velauisse.* Et lib. VI. *Philotas obsoleto amiculo velatus inducitur.* Idem Philippo Medico tribuitur. Nec aliter vnquam vestem superiorem militarem Curtius appellat. Val. Maximus lib. V. c. II. *Darius priuatæ adhuc fortunæ amiculo Syloſontis Samij delectatus, curiosiore contemplatione fecit, vt vltro sibi, & quidem a cupido daretur.* Quam rem narrans Aelianus Variæ lib. IV. ait ortum inde adagium, ἡ Συλόσωντος χλαμύς. *Sil ſontis chlamys.*

Fuisse tamen vestem muliebrem apparet. Curtius lib. V. *Fœminarum conuiuia ineuntium in principio modestus est habitus: dein summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant.* Isidorus lib. XIX. c. XXV. censet fuisse pallium meretricium lineum. Sed fallitur. nam & honestarum matronarum gestamen fuit. Liuius lib. XXVII. narrat missam a Senatu Cleopatræ Reginæ *pallam pictam cum amiculo purpureo.* Et lib. XXXIV. *Fœminis dumtaxat purpuræ vsum interdicamus, & cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, ma-*

tremfamilias tuam purpureum amiculum habere non sines?

Fuit quidem & meretricum, sed in Comœdia palliata. Nam Romæ prostibularum togam gestamen fuisse diximus. Plautus Cistellaria. Act. 1. Sc. 1.

Gy. *Amiculum hoc sustolle saltem. Sil. sine trahi, cum ego met trahor.*

Vbi Lambinus amiculum paruum amictum interpretatur. Sed si paruus, quomodo trahebatur, humumque verrebat, nisi sustolleretur? Etiam Pœnulo Act. 1. Sc. 11. ait Agorastocles ad meretricem. *Age, sustolle hoc amiculum.* Fuisse quidem a palla diuersum ex Liuio didicimus, sed quodnam discrimen adhuc quærimus, nisi quod breuius palla fuerit, ita tamen vt, si pars eius læuo brachio, aut humero non sustineretur, flueret, & traheretur.

Varia muliebrium vestimentorum nomina ex Plauto recensentur. Caput. XX.

MVliebres luxus censuram agit senex ille Plautinus in Epidico, qui iure intolerabilior videri potest in illa paupertate, nondum subacta Asia, nondum orbis spoliis, ac peregrinis delitiis fera bellicosa Martis gente emollita. Quæ hic inferere placuit magis, quia ad institutum argumentum pertinent, quam quod addi posse aliquid ijs quę a viris doctissimis allata sunt speremus: licet non pauca sint de quibus merito dubitemus.

Verba ergo Latinę Syrenis sunt Epid. Act. 11. Secena 11.

EP. *Sed vestita, aurata, ornata vt lepide! vt concinnè! vt nouè!*
PE. *Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam? An impluuiatam vt istæ faciunt vestimentis nomina?*
EP. *Vtin' impluuium induta eat!* PE. *Quid autem istuc mirabile est?*
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias?
At tributus cum imperatus est, potesse pendi negant:
Illis, quibus tributus maior penditur, pendi potest.
Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inueniunt nona?

Tuni-

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium
Induſiatam, patagiatam, calſulam, aut crocotulam,
Supparum, aut ſubminiam, ricam, baſilicum, aut exoticum,
Cumatile, aut plumatile, cerinum, aut melinum, gerræ maximæ.
Cani quoque etiam ademptum eſt nomen. EP. *Qui?* PE. *Vocant laconicum.*
Hæc vocabula auctiones ſubigunt vt faciant viri.

Sed in pleriſque ſtandum eſt fide Nonij, qui fatali more vaticinatur. *Regillam* veſtem diminutiue a Regia dictam prodit, vt & baſilica, & pro *inducula tuniculam* legit. Sed quænam veſtis iſta Regia Romæ, aut cuius formæ? Nam quod Lambinus eandem cum trabea facit, qua Reges, & Reginæ vtebantur, nullus veterũ trabeam fœminis adſcripſit; & qui poterat, cum toga eſſet, eaque tantum meretricum. Heic autem Plautum etiam matronarum luxum perſtringere certum eſt. Regillæ meminit Varro apud eundem Nonium Papia papæ.

Collum procerum fictum leui marmore
Regillam tunicam diſſingitur purpura.

Si tamen locus illo menda vacat. Certe Latinitas non conſtat. Sed *Regilla* haud dubie tunica eſt, quæ & recta, quod ſurſum verſus a ſtantibus texeretur, de qua Feſtus. *Regillis, tunicis albis, & reticulis luteis vtriſq; rectis textis ſurſum verſum a ſtantibus pridie nuptarũ virgines diem indutæ cubitum ibant ominis cauſa, vt etiã in togis virilibus dandis obſeruari ſolet.* Cur autẽ *mendicula* in hoc cenſu, & faſtu, quam inde dictam, quod mendicis conueniret? Nam quod quidam *meddiculam* a voce *Meddix*, quæ magiſtratum teſte Feſto apud Oſcos ſignificat, dictum volunt, eadem ſomnia ſunt. Præſtat igitur aliqua ignorare, quam toties argutari.

Sequitur *impluuiata*: quam a colore ſic dictum idem Nonius exiſtimat. *Impluuiatus color quaſi fumato ſtillicidio impluitus, qui eſt Mutinenſis quem nunc dicimus.* Sed quid ſit *ſtillicidium fumatum, & qui Mutinenſis color*, fruſtra quærimus. Turnebus lib. XIV. cap. XIX. a forma ita dictam interpretatur,

tur, ſcilicet a ſimilitudine impluuij. Vt enim vites impluuiatæ, ſic & veſtem a forma impluuiorum dictam, quæ eſſet quaternata, ideſt, quatuor quadrata lateribus vndique corpus ambiret, quæ eſt figura impluuiorũ in cauædijs. Quam interpretationem quidam perperam Grutero adſcripſerunt. Sed num tunicam, aut pallium hac forma compacta vſui eſſe poſſet, videant docti.

De Ralla, quæ eadem, & rara Ouidio dicitur, item de ſpiſſa nulla difficultas eſſe videtur: vt a ratione texturæ altera rara fuerit, altera denſius texta. Gloſſę tamen veteres Rallam pro raſa accipiunt. *Ralla ξυσὴρ. ξυσὸς Raſus.* Ita Ralla erit eadem ac raſa: ſpiſſa autẽ pexa, ſiue Phrygiana.

Linteolum cæſicium Nonius explicat *purum & canaidum, a cædendo, quod ita ad candorem perueniat, vel quod oras circumciſas habeat.* Sed vndicunque dictum, ſit cuiuſue hoc Linteolum fuerit, hocquoque ignoramus.

Induſium ſiue *intuſium* fuiſſe tunicam interiorẽ, ſupra oſtendimus. Sed quid tunica induſiata non facile dixerim. Et tamen pro ipſo induſio ponit non ſolum Nonius heic, ſed ipſe Varro lib. IV. de L. L. *Alterius, generis item duo, vnum quod foris, at palam, pulla: alterum quod intus, a quo intuſium, id quod Plautus dicit Intuſiatam, patagiatam.*

Patagium aureum clauum interpretatur Nonius, *qui pretioſis veſtibus immitti ſolet. Vnde veſtis patagiata.* Porro patagiatum *ἀπὸ τῆς παταάσσω, παλαγεῖον*, clauus qui in materiam incuditur, vt docti monuerunt. Vt proprie *clauus* ſit purpureus, *patagium* aureus. Tertullianus de pauone, *Omni patagio inauratior.* Feſtus. *Patagium eſt, quod ad ſummam tunicam aſſui ſolet, quæ patagiata dicitur: & patagiarij, qui eiuſmodi opera faciunt.* Ad quem locum non eſt audiendus Scaliger, qui verba Liuij lib. IV. ſollicitat. *Placet tollendæ ambitionis cauſa Tribunos legem promulgare, ne cui album in veſtimentum addere petitionis cauſa liceret.* Legit enim *clauum*, quem errorem ex corrupta ſcriptura *clabum* manaſſe ait. Sed cur clani petitionis cauſa addebantur veſtimentis? Quis neſcit vetitam ibi togam candidam, quæ petitorum propria,

pria, siue cretatam ambitionem interdictam? Multo minus patagium dictum, quod quibusdam quasi maculis & nævis in sperſum esset: quia patagus genus morbi, quo qui moriuntur, huiusmodi rotundis maculis fœdantur. Cum potius a similitudine clauorum morbum eum ità dictum appareat, ἀπὸ τῦ παταγάω, vt paulo ante notabamus.

Caltulam, & crocotulam (explicat Nonius) *vtrumque a generibus florum translatum, a calta, & à croco.* Virgil. in Bucol. *pinguia luteola pingit vaccinia calta*. Dein adducit locum Plauti. Item Nouius Pedio. *Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium*. Nævius Lycurgo. *Pallis, patagiis, crocotis, malaciis mortualibus*. Sed *caſtulam* Varro de vita Pop. Rom. lib. I. *palliolum breue voluit haberi. Caſtula eſt palliolum præcinctui, quo nudæ infra papillas præcinguntur, quo mulieres nunc eo magis vtuntur, poſtquam ſubuculis deſierunt.* Quare aut apud Plautum *Caſtula*, aut apud Varronem *Caltula* legendum est. Si *Caſtula*, notatio perit, vt a flore dicta sit. Locus Nævii & ipse deprauatus est. Quid enim est *malaciis mortualibus?* Olim Beroaldus ad Apuleium legit *malacis*, quia præceptore suo Baptista Pio accepit in hunc Plauti locum. Recte. nam *malcum pallium* apud Plautum Bacchidibus pro molli & delicato. Nisi quis legere malit *mollicinis*. Nam ibidem apud Nonium Nouius Pedio. *Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium. Mortualibus* autem fortasse intelligit *ricam, & ricinium*, quæ in funere a matronis adhibita supra notauimus, & loco Nouii cum crocota, & chiridota coniunguntur.

Quod ad crocotam attinet, aliqua a nobis dicta sunt lib. III. cap. v. huius commentarii, quæ inde petantur. Diximus muliebre gestamen fuisse, & quod sequitur mollium atque effœminatorum. Apuleius lib. XI. *Simiam pileo textili, crocotisque Phrygijs catamiti paſtoris ſpecie*. Ita apud Aristophanem ridet Hercules Bacchum crocotæ Leoninam superinduisse. Ridet inquam

Ὁρῶν Λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην

Vbi Scholiastes *Crocotam Bacchicum gestamen, & muliebre*

bre indumentum interpretatur. Ita Lucianus Baccho Silenum inducit vehentem asino ἐν κροκωτῷ *in Crocota*. Inde Crocota saltatorum, ac pantominorum propria, vt viri docti monuerunt. Ita Duris Samius apud Athenæum lib. IV. inducit Polysperchonta peritia rei militaris & auctoritate inter Macedonas præcipuum saltantem ἐνδυόμενον αὐτὸν κροκωτὸν, *Crocota indutum*. Sic Lucianus de Historia, *Herculem apud Omphalem* ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι pensa trahentem inducit. Athenienſibus etiam bacchanalia agitantibus κροκωτοί adscribuntur a Philostrato lib. IV. cap. VII. & quoniã, vt alibi diximus, *Crocotam* appellatam Græci tradunt, quod croceo colore esset infecta; vnde *infectores Crocotarij* apud Plautum; hinc Turnebus illud Virgilij lib. IX. de Teucris.

Vobis pecta croco, & splendenti murice vestis

de *Crocota* interpretatur quæ effœminatorum, & semiuirorum propria. Crocotam etiam intellexit Ouidius lib. III. de Arte.

Illa crocum simulat, croceo velatur amictu,
Roscida Luciferos cum Dea iungit equos.

Pergamus in Plauto. *Supparum* Nonius interpretatur *Linteum femorale vsque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat*. Nouius Pedio. *Supparum purum, bellientem interim, escam meram*. (*Velientem interim Oscam meram* Lipsius corrigit) Afranius epistola: *Tace puella, non sum supparo, si induta sum*. Varro Eumenid. *Hic indutus supparum, coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit*. Festus *vestimentum puellarum lineum* interpretatur, *quod ea subucula diceretur*. At Varro lib. IV. de L. L. a subucula distinguit, & abeo deducit quod est supra. *Alterum genus inquit, quod subtus est: a quo supparus*. Quod verisimilius est. Si enim interior vestis fuisset, quomodo ille apud Afranium negaret se puellam esse, etsi supparo indutus, si vestis illa latuisset? Nonfuisse autem tantum puellarum, indicare videtur Lucanus lib. II. de Marcia Catonis matrimonium repetente.

Humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Vbi

Vbi & vestem superiorem fuisse apparet, & primis humeris hæsisse. Cur autem dicatur nudatos lacertos cinxisse, ea fortasse causa est, quod Marcia recens a funere Hortensij mariti nudis ad planctum pectore & lacertis veniebat. Subiicit enim

Sicut erat mœsti seruans lugubria cultus.

Porro eleganter Tertullianus aduersus Gentes vexillorum vela transuersis hastulis alligata *suppara* vocat, & *stolas crucium* appellat.

Ceterum *subminiam* vocem nihili scioli intruserunt, & vel a *minio*, vel a *minuendo* interpretati sunt, cum apud Nonium disertim scriptum sit *subnimium*, nihilq; certius doctorum virorum coniectura, allusum esse ad vocem præcedentem supparum, quæ est quasi subparum, atque ita oppositam per iocum vocem *subnimium*. Quemadmodum paulo ante tunicam *mendiculam Regillæ* opposuerat, & in voce *impluuij*, ac *fundi* luserat.

De Rica hæc Nonius. *Rica est quod nos sudarium dicimus.* Serenus opusculo. lib. 1. *Aut zonulam, aut auem, aut ricam.* Auem Pius interpretatur gruẽ, qui color in veste fœminea. Ouidius. *Albentesue rosas Threiciamue gruem.* Sed durum videtur vestem coloris gruini auem appellatam. Nouius Pedio. *Mollicinam crocotam, chiridotam, ricam, ricinium.* Lucil. Sat. lib. 11. *Ricini aurati, ricæ, & oraria mitræ.* Turpilius Etera. *Ducit me secum, postquam ad aedem venimus veneratur Deos. interea aspexit virginem iniectam in capite riculam indutam ostrinam.* Pius in libris suis pro *Iniectam, Instantem* repperit & pro *Ostrina, Mustelinam.* Varro Prometheo lib. 1. *Aliæ mitram ricinam, aut mitram Melitensem.* Festus, *Vestimentum quadratum & fimbriatum* interpretatur, *quo flaminicæ pro palliolo vtebantur.* Varro lib. 1v. de L. L. a *ritu* dictam vult, *quod Romano ritu sacrificium fœminæ cum faciunt capita velant.* De recineo autem siue recinio non pauca a nobis in superioribus disputata sunt.

Basilicum & Exoticum alteram *Regiam*, alteram *peregrinam* vestem Nonius explicat, vt vox ipsa declarat. Sed quænam

ea, pari cum ceteris fato ignoratur.

Cumatilis color eidem dicitur, *aut marinus aut cæruleus*; *Tractum a Græco, quasi fluctuum similis. Fluctus enim Græce κύματα dicuntur*. Titinius Setina. *Et quem colos cumatilis deceat.* Gruterus tamen existimat non ita vocatam esse hanc vestem ob colorem, sed texturam repręsentantem fluctus, quæ & *vndulata* Varroni dicta apud Nonium. Sed cum *de toga vndulata* quærebamus, quam fuisse albam constat, quomodo vndarum textura in vestimento albo exprimi posset dubitauimus. nam quo nunc vestes aqua respersæ ac prælo subiectę vndarum speciem exprimunt, nescio an veteribus notum artificium fuerit. Certe vndulatas vestes describit Ouidius.

Hic vndas imitatur, habet quoque nomen ab vndis.
Crediderim nymphas hac ego veste tegi.

At *plumatile, aut clauatum, aut ex plumis factum*, eidem dicitur. An vestis confici possit ex plumis haud scio. Verisimilius est clauis distinctam fuisse opere Phrygionis, qui plumarum formam referrent. Vnde opus plumarium, de quo viri docti dicere occuparunt. *Cerinum a cerę colore dictum* idem obseruat, cumque in veteribus libris *garinum* legatur, recte Turnebus existimat esse pro *carinum* a Siculo καρὸς pro κηρὸς, quod est *cerini coloris*. Vnde *carinarios* Plautus in Aulularia appellat, qui eo colore vestes inficerent.

Melinum omisit Nonius. Lambinus a *melle* hoc est *mellei coloris vestem*, tunc liquida duplicando. Alii *melinum colorem*, qui mali Cydonii pallorem imitetur. Alii *candidum* ex Plinio a Melo insula, vbi optimus habetur.

Tandem Plautus ait *cani ademptum nomen esse, cum genus vestis laconicum diceretur*. Nam cum aliqui canes lacones, & Laconici dicerentur, ea vox ad vestes transiit, quæ Laconicæ dictæ.

Atque ita vno veluti fasce tot luxuriæ muliebris nomina in illa horrida antiquitate dedimus, quot fortasse non fuere, cum eadem luxuria frenos abrupisset.

Alia in Plauto, quæ ad muliebrem mundum pertinent, expenduntur. Cap. XXI.

NOn minor fœminei luxus insania ab eodem traducitur in Aululariam Ac. III. Sc. v. his verbis.

Sed hoc etiam pulchrum est, præquam vbi sumptus petunt.
Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarij, induſiarij,
Flammearij, violarij, carinarij,
Aut manulearii, aut murrobathrarij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij sutores, diabathrarij
Solearij astant, astant molochinarij,
Petunt fullones, sarcinatores petunt,
Strophiarij astant, astant semizonarij,
Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Trecenti cum stant phylacistæ in atriis,
Textores, limbolarij, arcularij ducuntur: datur
Aes. Iamque hosce absolutos censeas,
Cum incedunt infectores crocotarij,
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.

In quibus vtinam non toties diuinandum esset. Quid enim ipso statim initio hic *caupones* faciunt? Lambinus non esse eos qui vinum vendunt, sed qui rem quamlibet quam emerunt pluris reuendunt. Sed hi paulopost propolę appellantur. Turnebus caupones dictos a copijs, vt sint mercatores, & institores patagiorum. Sed cur soli patagiorum mercatores caupones dicti? Veteres editiones habent ciniflones. Verum hi potius in familia erant calefaciendis calamistris, & rutilandis crinibus destinati.

De *patagio* atque *induſio* supra dictum est. *Flammeum* velum fuisse, quo nouæ nuptæ caput nubebant. vnde & nuptiæ appellatæ notum est. Indi Flammearii. Alij tamen quod flammeo, siue rubro colore vestes tingerent dictos putant. Sicut *violarios* qui violæ, *cerinarios* qui ceræ colore

veſtes tingerent. Sed mirum eſt artificium, quod fuit vnius infectoris, ita interplures diſpertitum: niſi iſta ad augendam luxus inuidiam conficta ſunt. Cur autem *carinarij* pro *cerinarij* dicti, ſupra ex Turnebo rationem attulimus. *Manulearios* qui tunicarum manicas, ſiue tunicas manuleatas, quarum mentio apud Plautum alibi, conficerent dictos exiſtimant: ſi tamen hoc a ſarcinatoribus diuerſum artificium fuit.

At *murrobathrarij* mire Criticos ſollicitant. Ita enim in veteribus libris extare monuit Camerarius. Quod ita interpretatur Turnebus ad Theophraſtum de Odoribus: *myrobathrarios* fuiſſe, qui calciamenta muliebria, vt bene olerent, vnguentis, & gratis odoribus, ac ſuffimentis imbuebant. Sed quis credat artifices fuiſſe, qui hoc tantum facerent? Quaſi ipſæ mulieres hoc miniſterio defungi non poſſent, vt vnguenta quę corpori infunderent, etiam calceis illinerent. Si tamen eo luxus prouenerat, vt res tam pretioſa etiam ſolo ſubjiceretur. Mutauit poſtea ſententiam in Aduerſarijs, & *aromatarias* legendum ſuſpicatur: ſicut Lambino placet legere *malobatrarij*, a *malobatro* precioſiſſimo, vt fuerint vnguentarii. Mihi ſimplicior notatio videtur, quæ ab eodem Lambino adducitur *myrobrecharij*, quę vox ſignificat eos, qui vnguento perfundunt, & madefaciunt. Vt ſint ſimpliciter vnguentarii.

Nec felicius idem Turnebus lib. 1. Adu. cap. 1. vocem *propolæ* interpretatus eſt, quem ſequitur Lambinus: & *propalæ* legendum cenſet. Eos ſcilicet qui merces palam, & veluti ante palum, ſiue de palo pendentes vendunt. Quæ enim merces non palã vendebantur? Rectius Scaliger *Propolam* ex Græco προλεῖν, ſed præpoſitione Latina, quæ propterea producitur, vt in *Prologo*. Dictum autem quod primus vendat merces, quas in portu primum anticipat, & vt Perſius ait

Primos tollit piper e ſitiente camelo

Lucilius.

Sicuti cum ficus primos propola recentes

Atta-

Attulit, & pretio ingenti dat primitum pallcos.

Quæ verba e gregie declarant, quid essent propolæ.

Inter *linteones*, & *lintearios* hoc discrimen docti posuere, quod illi lintea texerent, hi venderent.

Sed cur solos *sutores* sedentarios appellauerit, cum tamẽ omnes quos recensuit, & qui sequuntur artifices sellularij sint, incertum est. Ipse tamen etiam contra librorum fidem *segmentarij* legere ausim, ideſt aureorum segmentorum confectores, de quibus supra dictum est. Monet Lambinus in libris veteribus extare *sedentarij sutates*: vnde quibusdam placere *sutantes*, ideſt multum suentes, quod verbi monstrum est. Bapt. Pius *sedentarios* fuisse dicit, qui sedes & cathedras matronarum molli strato coopertas conficerent. Quod fortasse minus ineptum est, quam quod *sutelates* legit, ideſt *sutelæ* textores: *sutelam* autem fuisse tenuem & subtilem telam, ex Nonio: vnde & strophæ sutelæ dictæ sint.

Diabathrarij quid essent declarat Festus, cum ait *diabathra genus fuisse solearum Græcanicarum, quarum confectores diabathrarij*. Neuius apud Varronem de L. L. lib. VI. *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus Equinoco*. Sed cur id opus non fuit sntorum, aut calceolariorum quos supra posuerat, aut solearium, qui mox sequuntur?

Molochinarios Nonius interpretatur *infectores molochini coloris, quem similem fuisse flori maluæ*. Cęcilius: *Carbasina, ampelina, molochina*. Ita color is inter purpureos a Plinio recensetur. Sed cur hoc opus vnius infectoris non fuit?

Sarcinatoris inepta notatio apud Nonium, *dictum scilicet a sarcina, quia plurimum vestium sumat*. Quasi vero non etiam vna vestis, vestisque pars sarciatur. Malè etiam cum sutore confundit. nam licet sarcire sit suere, vt indicat Lucilius. *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime. Sutoris* tamen vox proprie de eo qui calceos suit.

Strophium idem recte interpretatur *breuem fasciam, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet*. Hinc *strophiarij*. Catullus.

Non contecta leui velatum pectus amictu,
Non tenui strophio lactantes vincta papillas.

Cicero de Aruſp. reſp. *Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis purpureiſque faſciolis, a ſtrophio, a ſpaltrio, a flagitio, a ſtupro eſt factus repente popularis.*

At *ſemizonarios* dictos exiſtimat Turnebus, qui *ſemizonas* conficerent, quæ *ſemicinctia* dicerentur. Sed cum zona eſſet faſcia, qua tunica cingeretur, vt dictum ſupra, aliquid minus, & breuius fuerit ſemizona neceſſe eſt: non ergo eadem cum ſemicinctio, quod, vt idem fatetur, partem hominis anteriorem a cingulo, & lumbis ad pedes vſque præcingebat. Itaque *ſemizonarij* ſimpliciter ſemizonarum confectores: quamquam haud ſcio, cur qui zonas conficerent, iidem non & ſemizonas darent.

Limbolarios, ſiue vt Nonius *Limborarios*, qui limbos, & inſtitas conficerent, ſiue limbo veſtes ipſas prætexerent, ac pingerent. *Arcularios*, qui arculas, & ſcriniola conficerent, ac venderent; *Crocotarios*, qui croco tunicas inficerent, dictos conſtat. Atque ita omnes iſti nugiuendi, qui toties crucem criticis, ſicut illi maritis, fixerunt, qualitercumque abſoluti ſunt.

Sed quoniam in hoc ſumus, vt non ſine rubore fateri cogamur, quam plurima eſſe, quę in his literis ignorentur, Ouidij locum de cultu muliebri adſcribam deploratæ obſcuritatis. In III. de Arte.

Conueniunt tenues ſcapulis ameletides altis
Anguſtum circa faſcia pectus eat.

In manu exaratis, vt & in antiquis editionibus extare analectides monuit me Nicolaus Heinſius magni parentis magna proles, cui cum alia plurima, tum accuratiſſimam Ouidij editionem poſteritas debebit. Turnebus lib. IV. cap. XXII. *Ometides* legendum eſſe affirmat, vt ſint ſcapulares, vel humerales faſciæ. Nam ſi, quod veteres interpretes ponunt, analectides puluini eſſent ad conſtipandas puellarum ſcapulas, altiores illæ extitiſſent, magiſque vitium apparuiſſet. Quare ad diſſimulandam ſcapularum altitudinem

tenui-

tenuibus faſcijs vtendum erat. Scaliger propius veterem ſcripturam omaletides reponit. Sed vox vtraque nuſquam quod ſciam audita. Itaque contenti ſimus hoc Catone.

De Varijs coloribus muliebris cultus. Caput. XXII.

MAtronas in Tyria aureis inſtitis ſegmentata inceſſiſſe ſupra notauimus. At libertinæ, &quæcumq; apud Aediles licentiam ſtupri vulgauerant, quibus purpura interdictum, aliæ alijs veſtium coloribus gaudebant. Varios enumerat peccandi magiſter Libro tertio.

Cum tot prodierint pretio leniore colores,
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?

Dixerat enim ſe non loqui de purpura dibapha matronarum, qui, quia precioſiſſima, integra patrimonia vno cultu geſtata, indicat. Subjicit.

Aeris ecce color tum cum ſine nubibus aer,
Nec tepidus pluuias coneitat Auſter aquas.
Ecce tibi ſimilis qui quondam Phryxon, & Hellen
Diceris Inois eripuiſſe dolis.
Hic vndas imitatur, habet quoque nomen ab vndis.
Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.
Ille crocum ſimulat, croceo velatur amicta,
Reſcida luciferos cum Dea iungit equos.
Hic Paphias myrtos, hic purpureos amethyſtos,
Albenteſue roſas, Threiciamue gruem.
Nec glandes Amarylli tuæ, nec amygdala deſunt,
Et ſua velleribus nomina cera dedit.
Quot noua terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque fugit hiems:
Lana tot aut plures ſuccos bibet: elige certos.
Nam non conueniens omnibus omnis erit.

Recenſet deinde quis color in cultu quamque deceat. Primus ergo aeris color cum ſudum eſt cœlum, qui & *cæruleus*, & *hyacinthinus*, vulgo *cæleſtis* dicitur. Quidam *Cæſium* eundem fecere, ſed fuiſſe diuerſos ex Cicerone docuit

Thy-

Thylesius, qui in primo de natura Deorum *Cæsios* oculos Mineruæ, cœruleos esse Neptuni dicit. Quod autem cæsium a cædo, vt qui cęsius sit cædem quodamodo oculis minari videatur, eius opinioni subscribere non possim, nisi alter dilutior, alter pressior fuerit, vterque a Cœlo dictus. Quemadmodum in eo fallitur, quod cœruleum eundem cum Veneto facit, cum hic Ouidius eum ab Aerio distinguat, & fuerit proprie glaucus, qui ad viridem magis vergit, sed prasino dilutiorem. Doctissimus Alciatus lib. 11. Parergon cap. 1. *Cæsium* magis fuluo hærere arbitratur, quod Catullus *Cæsium* Leonem dicat, & Terentius *cæsiam* virginem, id est coloris lentiginei, vt Seruius interpretatur, vel oculis felis, vt Donatus, ita vt Fronto apud Gellium cum Cęsiam quasi Cęliã dictam notat, de colore Cœli intellexerit, cum nubibus sole percussis aer nec serenus, nec limpidus est, & in glaucum vertitur.

Alter color apud Ouidium est *aureus*, referens scilicet arietem, quo Phryxus cum sorore nouercæ insidias per freta fugit. Qui vero *vndas imitatur glaucus* siue *viridis*, *Veneus*, & *thalassicus*, quem etiam *ferrugineum* Plautus appellat. *Hyalum* etiam intelligi existimant, quod dicat Nymphas ea veste tegi, cum Virgilius in Georgicis,

Milesia vellera Nymphæ
Carpebant hyali saturo fucata colore.

Quoniam autem eum colorem ab vndis vocari tradat poeta, nonnulli existinant *Cumatilem* siue *vndulatum* denotare: quam vocem ex Plauto supra exposuimus.

Sequitur *croceus* quem Auroræ adscribit. Inde *myrteus*, post *Amethistinus* a gemma purpuræ violaceæ. *Roseus* ab albente rosa, vt distinguatur a sanguinea, qui color purpuræ tantum matronis concessæ. Tum *gruinus* ab aue, *amygdalinus* siue *castanius* a castaneis, *cerinus* a cera, cuius supra meminimus.

Sed et alij colores in vestibus earum, quę corporis sui vsuram non inuiderent: præcipue *galbeus* siue *galbinus*, quem viridem interpretatur Turnebus lib. XVII. cap. VIII. Nam

in ve-

in veteri lexico *Galbus* est χλωρὸς hoc est viridis, siue luteus. Iuuenal. Sat. 11.

Cærulea indutus scutulata & galbina rasa.

Ita enim Vetus Interpres pro eo quod est in vulgatis galbana: explicat *polita, tenuiter rasa*. Vegetius in Veterinaria lib. 111. cap. 11. *Florem eryngij* ait *esse galbinei coloris*, id est, vt idē Turnebus, coloris cœrulei dilutioris palescentis: quā quam alij aureum colorem interpretentur, eumque intellexisse Ouidium, cum de colore arietis Phryxi loqueretur. Et quoniam is color fœminarum dedecere viros videbatur Martialis de zoilo.

Iacet occupato galbinatus in lecto

Et alibi.

Amator ille tristium lacernarum
Et baticatus, atque leuco pheatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes,
Natina laudat, habeat & licet semper
Fuscos colores, galbinos habet mores.

Id est molles & effœminatos.

Porro illud Iuuenalis *Cærulea indutus scutulata* duo summi viri Turnebus, ac Scaliger ita interpretantur. Scutulæ esse formam quadratam oblongiorem, quales quadræ in tela araneorum cernuntur. Nam cum in ambitum araneæ plurimos orbes multis filis circinent, a centro transuersa subtemina quoquo versum distendunt, quæ orbes secantia multas scutulas reddunt: vnde scutulatum araneorum rete Plinio dicitur. Eam autem esse formam scutulæ confirmat Turnebus auctoritate Censorini cap. xx 1 1. *Heteromecos quadrangulum nec latera habet paria, nec angulos rectos simile scutulæ.*

Adjicit Scaliger ad Varronem vestes *scutulatas*, & *virgatas* quales Gallorum eadem fuisse. Diodorus enim ait Gallos gestare saga ῥαβδωτὰ πλαιδίοις πολυάνθεσι, καὶ πυκνοῖς διαλημμένα, *scutulata, & reticulatim distincta. Virgata* Propertio, ac Virgilio, Polluci ῥαβδωτὴ. *Scutulatus* ergo *virgatus* ma-

cularum instar cancellatim & reticulatim distinctus.

Fuerunt & vestes versicolores, quæ & variæ & floridæ appellatæ, eæque mulierum propriæ. Quærit Plutarchus in Problematis Græcis cur apud Coos Sacerdos Herculis γυναικείαν ἐνδεδυμένος ἐσθῆτα *fœmineam vestem indutus* rem diuinam faciat, & allata fabula subjicit, quia Hercules Alciopi filiam vxorem ducens ἀνέλαβε στολὴν ἀνθίνην *induit floridam vestem* hinc factum vt eius sacerdos, & sponsi muliebri veste induantur. Artemidorus lib. II. cap. III. γυναικὶ δὲ ποικίλη, καὶ ἀνθηρᾷ ἐσθὴς συμφέρει. *Mulieri florida & varia vestis conducit, maxime meretrici, & opulentæ: illa enim ob quæstum, hæc ob delitias floridis vestibus vtitur.* Clemens Alexand. lib. II. Paedag. cap. X. αἱ δὲ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαι ἐσθῆτες, Βακχικοῖς, καὶ τελεστικοῖς καταλληπτέαι λήροις.

A viris etiam aliquando vsurpatæ maxime in pompa ac triumpho. Dio lib. LIX. de Caligula sine victoria triumphante. Comitabantur eum amici eius, & socij ἐν ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς, in vestibus floridis. Et lib. LXXIV. de ingressu Seueri in Vrbem. Nam vrbe tota floribus, & laureis coronata, καὶ ἱματίοις ποικίλοις ornata.

Sed de coloreis vestibus, & quas oxypæderotinas Vopiscus appellat fuse ad eundem Vospiscum viri doctissimi disputarunt.

De Veste Ancillari, & Meretricia. Iuuenalis, & Ouidius explicati. Cap. XXIII.

VLpianus D. de iniurijs. *Si quis Virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multominus si meretricia veste fœminæ non matris familias vestitæ essent.* Ad quem locum Iurisconsultorum summi obseruarunt quod pridem Manutius docuerat, matronas a meretricibus habitu discretas, quod illæ stola, ideſt, tunica talari affluta instita, & palla vterentur; At prostibulæ breuibus tunicis ad instar virilium, & toga vti cogerentur. Sed quæ vestis ancillaris esset, non est proditum. Verum cum matronæ stol.

stola, & palla vterentur, facile est credere vtramque ancillis interdictam, atque ita tunica breuiori ad medium crus pertinente nulla instita adsuta vsas esse ancillas, qualem tunicam meretriciam fuisse diximus: hoc tamen a lupis distinctas ancillas, quod hæ togatæ, illæ tunicatæ tantum. An vero aliud fuerit discrimen, doctis quærendum relinquimus. Faber vestem ancillarem atram, & sordidam interpretatur: sed talis etiam viliorum fœminarum ingenuarum esse potuit. An vero quæ corpus vulgabant, quibus interdictus stolæ vsus erat, gemmas atque aurum gestare possent, quæri potest. Negat Apuleius lib. 11. Met. de Byrrhæna. *Aurum in gemmis, & in tunicis, ibi inflexum, hic intextum matronam profecto confitebantur.* Et Horat. lib. 1. Sat. 11.

Nec magis huic (matronæ) *inter niueos virideſq; lapillos*
Sit licet hoc Cherinte tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius, atque etiam melius perſæpe togatæ.

Et Iuuenal. Sat. VI.

Nil non permittit mulier, ſibi turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Et tamen ille paulo post etiam deterioris conditionis mulieribus aurum assignat, vbi ait matronas siderali scientiæ impense addictas, Augures, Aruspices, magnique nominis Chaldæos consulere solitas. At tenuiores in circo a plebeijs fortilegis ac diuinatoribus responsa futurorum petere consueuisse.

Si mediocris erit ſpatium luſtrabit vtrumque
Metarum, & ſortes ducet, frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.
Plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum oſtendit ceruicibus aurum
Conſulit ante phalas, delphinorumque columnas.

Hic certe diuersam a matronis inducit, quæ nudis ceruicibus longum aurum siue monile gestabat, & ideo ad Circi spinam inter plebeios vates plebeij fati arcana rimabatur. Quod quia vix credibile viris doctis visum est, ad cor-

rectionem confugerunt, & satis audacter.

Qua nullis longum ostendit ceruicibus aurum,

reposuerunt contra receptam veterum editorum & manu exaratorum lectionem. Ego nescio ac Latinum sit gestare aurum nullis ceruicibus, pro nullum aurum ceruicibus ostendere. Illud ausim affirmare, nihil opus esse correctione, immo verbis illis vitæ liberioris mulieres denotari. Nam cum matronæ ita stola talari, & manuleata operte essent, vt nihl præter faciem appareret. Horatius.

Matronæ præter faciem nil cernere possis
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.

contra secunda classis, libertinarum dico, quæque licentiam stupri vulgauerant, non ceruice modo, sed humeris atque lacertis conspicuis, ac seminudis erant. Ouidius de Arte lib. III.

Pars humeri tamen ima tui pars summa lacerti
Nuda sit a læua conspicienda manu.
Hoc vos præcipuè niueæ decet: hoc vbi vidi,
Oscula ferre humero qua patet vsque libet.

Ab his autem præceptis longe magistrum matronas submouisse, quid attinet inculcare?

Non ceruix igitur solum nuda, sed & ima pars humeri, & quæ coniungitur prima lacerti in amatorum oculos incurrebat. Lacertus enim pars brachij humero proxima. Idem Amorum lib. I. el. VII.

Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos.

Nuda ergo ceruice monile suspendebant, quibus stolæ cuncta operientis ius non erat. Sed quid opus coniectura? Clare idem Ouidius puellis aurũ & gemmas tribuit, in quis tuta Venus, conceptaque furta. Nam de remedio Amoris lib. I. sic canit.

Proderit & subito cum se non finxerit vlli
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sibi.

Atqui paulo post subjicit.

Thais

Thais in arte mea est, lasciuia libera nostra est
Nil mihi cum nupta, Thais in arte mea est.

Sed quod magis mirum iure videbitur, ijsdem etiam purpuram, & quidem Tyriam adsignat, vestemq; auratam de Arte lib. II.

Sed te, cuicumque est retinendæ cura puellæ
Attonitum forma fac putet esse sua.
Siue erit in Tyrijs, Tyrios laudabis amictus,
Siue erit in Cois, Coa decere puta.
Aurata est: ipso tibi sit pretiosior auro
Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.

Et tamen de vestibus scripturus Tyrias excipit tamquam matronarum. lib. III. de Arte.

Quid de veste loquar? non iam segmenta requiro,
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Fortasse igitur nõ fuit meretricibus purpurę vsus simpliciter interdictus, sed in stola idest tunica talari, sed sine aureis segmẽtis, sed sine vitta, qua coma ligabatur, quę insignia matronarum semper apud Ouidium coniunguntur, numquam auri, ac gemmarum mentio, quibus a scortis distingerentur. Aut quod verisimilius, est verbo docet artem fallendi liberiores amicas re ipsa matronis ac nuptis idem lenocinium conciliat. Certe nihil melius in præsentia succurrit.

Plautus etiam auratã meretricẽ inducit Epidico Act. II. Sc II. *Sed vestita, aurata, ornata vt lepide! vt concinne! vt noue!*

Interim eorum error castigandus, qui lacernam vestimentum muliebre putant inducti verbis Iuuenalis:

Ipse lacernatæ cum se iactaret amicæ.

Quis enim paulo in literis versatus ignorat Satyricum ibi de Sporo loqui, quem vxoris loco habuit Nero, quemque ob hoc poeta lacernatam amicam vocat, quod lacerna virorum tantum esset; quod idem est, ac si quis nunc amicam braccatam vocaret. Recte Vetus Interpres. *Lacernatæ. Satyricæ*, inquit, *habitu virili fœminam describit.* Non quidem fœminam, sed qui loco mulieris esset. Fortasse quis id ex Horatio firmari posse putet Serm. libr. II. Sat. VII. *Sub clara*

nuda lacerna, vt quidem nuperi ediderunt, & inepte interpretati sunt *sub linea veste tam tenui, vt meretrix quasi nuda videretur*. Sed omnino contra veteres libros scriptos & impressos, qui habent *sub clara nuda lucerna*. Nec attinet hunc morem prostandi sub lucerna satis alijs notatum retexere; Iuuenal. de Messalina a lupanari ad puluinar transeunte.

—— *turpis fumoque lucerna*.

Et Martialis.

Ludere teste lucerna.

Vestis seruilis. Lipsij sententia reiecta. Interpres Iuuenalis correctus. Fabri opinio expensa.

Cap. XXIV.

SEruos, & ingenuos non eodem habitu cultuq; vsos cum togati Quirites fuerunt palam est, quòd nonnisi Romano ciui togæ ius esset. Suetonius Præfatione libri de claris Rhetoribus exemplum controuersiæ affert. *Venality cum Brundusij gregem venalium e naui educerent formoso & pretioso puero, quod portitores verebantur, bullam & prætextam togam imposuere, facile fallaciam celarunt. Romam venitur, res cognita est: puer petitur, quod domini voluntate fuerit liber in libertatem*. Vbi ad fallendos portitores siue publicanos portorium exigentes puer venalitius ingenuorum habitu bulla & toga prætexta ornatur. Idem Thema in Declamationibus Quintiliani a Pythæo editis. *Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Mango nouitium puerum per publica rostra iecit prætextatum. dicitur ille liber*. Vbi *per publicanos tra-ecit* recte a Rubenio emendatum est Elect. lib. I. cap. XVI. At postquam togæ depositæ sunt, tunc nullum in habitu discrimen inter seruos & ingenuos fuisse, quod sola toga faciebat, notauit Lipsius ex Appiano II. bellorum ciuilium. Cuius verba sunt. *Nam vrbana multitudo iam mixta est omnigenis exteris: & Libertini aquo iure degunt cum alijs ciuibus καὶ ὁ δοῦλος ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος. (χωρὶς γὰρ τῆς βουλῆς μόνης, ἡ ἄλλη πολιτοῖς θεράπουσιν ἔξεστιν ὁπόσοις.) Et seruus cultu eodem*

vtitur quo dominus, exceptaque Senatoria veste, ceterarum vsus est promiscuus. Vbi Senatoria vestis est laticlauia. Falsò tamen illud adjicit Lipsius, tunicam communem vestem seruorum Romæ fuisse. nam tam liberi, quam serui, Romæ tunicati. Nec Sosias apud Plautum id confirmat.

Imo equidem tunicis consutis huc aduenio, non dolis.

Nam & Sosias, & Amphitruo & Græci omnes quemadmodum Romani tunicati. Atqui Lipsius de sola tunica intellexit: sed & sola tunica homines ingenui Romæ incesserunt, viliores nempe, & quibus togæ emendæ facultas non erat.

Hinc *tunicatus populus*, & *tunicata plebs*. At in municipijs, & in agro omnes etiam ditiores tunicati tantum. Præterea serui Romæ non tantum tunicati, sed & lacernati, birrosque, ac cucullos induti: & apud Græcos non solum tunicati, sed & palliolati. Hinc apud Plautum serui cum se ad cursuram instituunt, *palliolum in collum iaciunt*.

Vetus Interpres Iuuenalis nondum editus in Bibliotheca Ambrosiana ad illud.

—— *recitauerit ille togatas.*

Hoc autem distabat, inquit, *inter seruos, & dominos, quia serui non vtebantur colobijs nigris, sed albis.* Quæ si vera essent, quæcunque a nobis & ab alijs de tunica disputata sunt, destruerent. Nam ingenuos toga, & tunica alba vsos diximus: hic nigra ingenuorum colobia ponit, alba seruorum. Cum hæsitarem, & reliquos versarem scholiastes, qui non pauci ibi extant, quosque publicari rei literariæ interest, incidi in antiquissimum codicem, ex quo ille alter ab oscitante librario descriptus videbatur, qui omnem plane dubitationem sustulit. Ita enim ibi scriptum repperi. *Quia serui non vtebantur colobijs, & nigris calceis, sed albis.* Omissa vox, *calceis*, tantas turbas dedit. Indicare videtur vetus ille Interpres, præter togam etiam hoc discrimen fuisse inter seruos & liberos, quod serui non vterentur colobijs, sed tunicis manicatis, calceisque albis. Quod ad calceos attinet etiam albos aliberis gestatos constat, saltem inferiori æuo, sed forte ibi

Scholiastes de gypsatis seruorũ pedibus intellexit, quos *albos* Iuuenalis appellat, siue gypsati erant, siue albis pedulibus vestiti. Calceos quidem nigros ingenuorum & nobilium fuisse quid attinet ostendere, & crambem apponere? Seruius etiam colobia seruis adimit, & præterea calceos. Ad Aeneidos 1. vbi togam cõmune vestimentum fuisse omni conditioni ac sexui tradit antiquissimo tempore. *Quia sexus omnis & conditio toga vtebatur: sed serui nec colobia, nec calceos habebant.* Fortasse quia colobia tunicæ erant, quibus brachia ad cubitum vsque tegebantur: seruorum autem exomides, quę totum brachium excludebant; & calceos nigros intellexit, quibus carerent serui, vt ille Scholiastes Iuuenalis, qui potuit totum hoc a Seruio accepisse.

Quidquid sit de colobijs ingenuorum proprijs, quę etiam a seruis post gestata indicat querela Appiani, depositis togis nullum fuisse inter ingenuos & seruos discrimen, sublato togarum vsu sublata etiam omnino videtur differentia in vestitu libero, ac seruili. Tunica vtriusque communis. Vtrique penulati, lacernati, cucullos induti vt infra dicemus. Penulatos, & cucullatos incessisse seruos demonstrat Lipsius, quique eum describunt.

Fuisse tamen aliquod discrimen etiam sub Imperatoribus, indicat Tacitus, qui non semel meminit vestis seruilis. *Q. Volusio P. Cepione Coss. otium foris fœda domi lasciuia, qua Nero itinera Vrbis & lupanaria & diuerticula veste seruili in dissimulationem sui compositus pererrabat;* Et Lampridius narrat, *Alexandrum Seuerum seruos suos semper cum seruili veste habuisse*: & *Aurelianum* Vopiscus *seruis suis vestes easdem Imperatorem, & priuatum dedisse*. Faber Alexandri & Aureliani seruos minime albatos fuisse intelligit, de quo supra a nobis dictum est. Neque tamen in hoc illi assentiri possum, omneis seruos atratos fuisse, etsi Marcellinus *atratum culinæ ministerium* appellet: nec est mirum inter fumum & caliginem versantibus.

Et quandiu in vsu togæ fuerunt, ingenui nonnisi albati Hinc Olympio villicus apud Plautũ libertate donatus *candidatus*

didatus incedit. Sed postquam desiere vestiri togæ, nullum prorsus in colore discrimen. Pænulati omnes, ac lacernati, at hæ vestes fermè pulli coloris fuere. Suetonius de Augusto. *Visa quondam pro concione pullatorum turba*; Qui nam hi pullati? Ciues lacernas induti; *Negotium dedit Aedilibus ne quem post hac paterentur in foro, circoue, nisi positis lacernis togatum consistere*. Hinc pullata multitudo, & pullatus circulus. Quod si serui tantum tunicati dicantur fuisse, etiam liberi vt populi fex in sola tunica, quod paulo ante diximus.

Quare neque in eo audiendus Faber est, quòd *seruum pro libero se gerentem* apud Vlpianum interpretatur candidatum, & togatum. nam Vlpiani ætate togæ ex vsu communi abierant. Multo minus seruos libertate donatos lacernam candidam induisse: nam eas fusci coloris fuisse præcipue Romæ, cum in Gallia rufæ essent, in confesso est. Fuere & albæ eæ, præcipuè quæ togæ superinduebantur: sed fuscarum vsus frequentior. Quare atra lacerna non tantum seruorum fuit, quod ille credit, sed & ingenuorum, vt Suetonij verba ante laudata conuincunt: nec contrarium innuit Flaccus Sat. VII. lib. II.

Tu cum proiectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna:
Non es quod simulas?

Vt lateret ille insignia dignitatis, nempe annulum deposuerat, & libertatis, nempe togam, quæ Romanus habitus poetæ dicitur, & tunc in vsu erat saltem apud digniores, & sic in seruili habitu, nempe sine toga, quæ ingenuorum, præterea caput lacerna inuolutus vt lateret. Hoc enim indicat, *caput obscurante lacerna*, non quod seruorum lacerna atra esset.

Quod vero subjicit, *cucullum peculiarem seruorum fuisse*, neque hoc præter culpam est. nam & ingenuorum fuit, vt Martialis verba ab eo mutilè adducta indicant:

Pullo Maeuius alget in cucullo:

Qui tamen ingenuus erat. Idem poeta lib. XI.

Non

Non te cucullis asseret caput tectum

Loquitur cùm homine libero, qui nulla ratione poterat basiatores effugere. Iuuenalis.

Contentus illic Veneto, duroque cucullo.

Quæ cum ita sint, illud potius statuendum, quod neque ipsi Fabro displicet, nulla lege, aut constitutione post togas seruilem habitum a liberali distinctum, sed ita more receptum, vt materia & colore fere viliores seruorum vestes essent: quod tamen neque ab omnibus seruatum, nec satis vnquam ingenuos a seruis distinxit. Idque indicant Seneca, & Lampridius ab eodem laudati. Ille de Clementia. *In Senatu dicta est aliquando sententia, vt seruos a liberis cultus distingueret; Deinde apparuit, quantum periculum immineret, si serui nostri numerare nos cepissent.* Et Lampridius tradit, *Alexandrum in animo habuisse omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, vt a vestitu dignoscerentur, & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur: sed hoc Vlpiano, Paulogue displicuisse dicentibus, plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad iniurias.* Nihilominus paulo ante Lampridius retulerat, seruos suos Alexandrum semper cum seruili veste habuisse. Id quod hoc loco, quemadmodum apud Tacitum, de vili, & obsoleta intelligendum, cum nullum post togas in libero, ac seruili vestitu discrimen fuisse appareat. Quotiescumque igitur libera republica, & togatis. Quiritibus occurrit aliquem seruilem habitum induisse, intelligendum est cum togam, & dignitatis insignia deposuisse sumpta lacerna vel penula, & cucullo, quę vestimēta ingenuis, ac seruis communia. Sic Appianus lib. 11. tradit instante bello ciuili Antonium & Curionem ad Cæsarem in castra noctu contendisse vehiculo meritorio θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδεδυκότες *tectos seruili habitu*. Eodem libro narrat Cæsarem, cum ipse destinasset latenter ad arcessendam classem traiicere, sumpsisse ἐσθῆτα ἰδιώτου, quod infra explicat ἐγκεκαλυμμένος, quod non est *stragulis tectus* vt vertit Interpres, sed *obuoluto capite* siue *cucullo tecto*. Mox enim, cū se ad cōfirmandos nautas pr-

deret

deret, ἀποκαλυφάμενος, ideſt *caput aperiens*. Idem lib. III. ait adductum Craſſum ad Cęſarem ἐν χλαμυδίῳ, ideſt ſine toga, atque ordinis inſignibus. Ita cum tradit Dio lib. IX. ſeruos Saturnalibus τῶν δεσποτῶν χλαμυδα *dominorum habitu indutos* feſtum celebrare, de toga intelligendum eſt; cũ cõtra ipſi domini per eos dies poſitis togis in cœnatorijs incederent. Poſtquam autem togarum vſus ſublatus eſt, non aliud, vt dicebamus, in veſtitu inter ſeruos atque heros diſcrimẽ, quam a colore, ac vilitate tunicæ, lacernæ, ac penulæ. Vt veſtes iſtæ fermè pullæ & fuſcæ eſſent, & craſſiori lana, ac ſoloci filo cõtextæ, licet quominus pretioſiores geſtarent nulla lex prohiberet.

Quidam etiam birrum ſeruilem veſtem fuiſſe putarunt, quod lex 1. Cod. Theod. de habitu quo vti oportet intra Vrbem. *Seruos ſane, quorum tamen dominos ſollicitudine militiæ conſtat non teneri, aut birris vti permittimus, aut cucullis.* Quos merito reprehendit Salmaſius ad Tertullianum de Pallio, birroſque & lacernas idem fere veſtimenti genus fuiſſe oſtendit. Nam Chlamydem & birrum non eandem veſtem fuiſſe, eadem lex innuit, quæ ſeruis militaribus birros non permittit, quibus Chlamys conceſſa erat. Sed de his in altera huius Operis parte cum Deo diſputabimus.

Deo gloria & Deiparæ Virgini.


OCTAVII FERRARII
DE RE VESTIARIA
PARS ALTERA.
LIBRI QVATVOR.
I. R. sculpsit.

OCTAVII FERRARII
DE
RE VESTIARIA
PARS ALTERA.
LIBRI QVATVOR.



PATAVII, MDCLIV.

Typis Pauli Frambotti Bibliopolæ.
Superiorum Permiſſu.

CHRISTINÆ AVGVSTÆ

Octauius Ferrarius Bene rem gerere.

QVod nuper Domina Germaniæ peplum non tam regio murice, quam tuæ ac paternæ imaginis fulgore irradians, totque victoriis intextum ac pictum armatæ Palladis sacrario suspensum non auerso lumine adspexeris, sed inusitatis munificentiæ exemplis exceperis; ausus sum nouam telam, veterum mortalium habitum cultumque sacri gynæcei textrinis inferre, nouoque artificio pacatam Mineruam aduocare. Huic ego telæ Augusta, quæ mea tenuitas est, & improsperæ valetudinis iniuriæ, solidos decem annos impendi: & nunc vereor ne Troiæ fatum labor iste sortiatur, aut pro elephanto musculus existat. Vtcumque sit, Ithaci matrona longo regulorum procatu claritudinem nacta vix annis viginti fallax pensum absoluit, cùm quod die confecerat opus nocte demum detexeret, ac pari coniugis erroribus mora, nec dissimili ingenio turbam iniuriosam eluderet. Ipse nocturnam operam addere non semel coactus sum, ac bo-

na fide lucubrare, ut longa vetuſtate obrutum artificium in lucem euocarem. Immo geminato labore alienum opus, aut infectum, aut aduerſa Minerua inceptum retexere, implexaq; aut inciſa licia, nec cohærentem ſtamini tramam nouo pectine nouiſque radiis redordiri.

Poſtquam igitur natiuo colore ac vellere communes populis tunicas, atque hinc rerum dominam togam, illinc ſapientiæ velamen pallium, ſexuſque alterius ſtolas, ac pallas pudoris & frigoris munimenta, ſimpliciſſimos mortalium cultus, paciſq; habitus contexui, ac ſuam cuique formam, & geſtandi modos aptaui; horrentia ſaga, cruoreque infectas chlamydes cognata armis tegmina, Martiſque ſpolia ſub adſpectum dedi. Facto inde gradu honoris inſignia, ordinum diſcrimen prætextas, palmatas, ac trabeas, nec uno aheno incocta paludamenta, Imperatorium coccum, ac veluti priuatarum comes totum auguſtale veſtiarium, ac triumphali auro immixtam purpuram veſtram populis adorandam expoſui. Quin, ne quid argumento deeſſet, hac quoque parte fractos ſeculi mores notare, ac veluti luxui patrocinari coactus ſum: ab orbe ultimo petitam frondium canitiem, Coaſque, & Aſſyrias bombyces, vermium ſaliuam, ac fœturam improbam, veſteſque renudandis matronis inuentas, etiam maribus expetitas, ventum textilem, ac ſericas nebulas prodendo.

Vna laboris merces grandeque pretium, hæc qualiacumque non diſplicuiſſe tibi, Auguſta, quæ ab rerum maximarum molimine, imperiique curis non pateris modo te auocari, ſed iubes, ultroque ad iſta deſcendis. Quippe literis non tam regiæ manus, quam inauditæ clementiæ

non

non una nota insignibus nuper mandasti, ut si quid librorum viri eruditionis gloria præstantes publici iuris facerent, aut ieiunitas mea extunderet, ne cunctarer istuc transmittere. Quid ipse præstare possim iam vides: solam enim mihi te religiosius venerandi audaciam relictam esse. At viri magni aliquid te dignum concipient, quos nominis tui gloria ac liberalitas accendit. Nexile enim aurum, quo plumbea dicta atque humiles sonos rependisti, sicut quorundam oculos turbauit, palloremque suum in homines transfudit, ita multorum studia arrexit, ut quod in me fortuna fuit, ipsi virtute promereant.

Neque tamen præter rem feciſſe videbor, quod leuidense contextum soloci filo deductum obtulerim tibi, quæ utriusque Mineruæ numen occupasti: neque indecorum mihi opificio manus admouisse, quando, te literas ac bella eadem felicitate tractante, reliquum est, ut lanam ac calathos respiciant viri. Ipse certe si vita suppetat eam aliquando telam daturus sum, quæ si non Dædala, at fida manu te tibi reddat, tuosq; ac giganteos patris triumphos exequatur. Tu noua quotidie argumenta suppeditabis. Vale, teque fatis ad summa vocantibus præbe.

Patauii Kal. Februariis MDCLIV.

Bene-

Beneuole Lector.

TArde immo penè iam ſero vetus nomen expungo, atque olim cœpti voluminis alteram partem repræſento. Præter virium tenuitatem, torque annos morbis atque ærumnis vitæ exemptos, vitamque ipſam non ſemel extremis metis admotam, quæ tædio ac deſperatione ſæpe opus manibus excuſſerunt, operis ipſius magnitudo ac difficultas, quæ ſummos viros hactenus abſterruit, ægre molientem ad hanc uſque diem delaſſauit. Nam in prioribus libris ipſoq; argumenti veſtibulo habui interdum quos ſequerer, in his cuncta licet cura intimos materiæ ſinus ac receſſus tentans vix a quibus diſſentirem inueni. Adeo cuncta aut intentata, nulliuſque trita ſolo, aut profundo vetuſtatis demerſa eruenda fuêre, genuſque omne ſcriptorum utriuſque linguæ, ne quid effugeret, ærumnabili labore non ſemel excutiendum fuit. Præter hæc ea quoque diem proferendi cauſa erat, quod viros doctiſſimos aliquid contra iam edita parturire audieram, aut quia vere id agerent, aut quia ita credi quorundam intererat.

Itaque menſes aliquot editionem ſuſtinui, ut eadem opera illis reponerem, atque iſta publicarem. Non enim deerant, qui ſe modeſte licet ac molliter perſtrictos inique ferrent. Inter quos qui nuper deceſſit Claudius Salmaſius, vir in omni literarum genere eminentiſſimus, ac ſine controuerſia huius æui ſummus. Sed quæſita meritis ſuperbia immodicus ſui æſtimator, aliorum contemptor, omniſque ſententiæ, cuius ipſe auctor non eſſet, inimicus. Itaque dum à ſe vel petita venia & cum honore diſſentientes traducit, & carpit, rurſuſque æquo iure renunci-

uincitur, totaq; vita hunc funem contentionis ducens aut pul-
ſatur, aut verberat, male dicendo, & quod conſequitur ma-
le audiendo, ſenex factus in ipſo opere recriminandi conſum-
ptus eſt.

Non pauca quidem in ſuperioribus libris fuere, quibus eum in hoc argumento lapſum non ſemel indicaui: atque in alia omnia interim diſcedere coactus ſum: integra tanti nominis reuerentia, ut non modo non ægre laturum, ſed paratam mihi apud ipſum gratiam ſperarem. Res ſecus accidit. Nam inter tot maioris momenti ab eo perperam animaduerſa, aut explicata, quæ aut dare, aut defendere debuerat, unum leue admodum & dicis cauſa poſitum arripuit in obſeruationibus ad Ius Atticum, & Romanum, ut me viris doctiſsimis quos capite VI. maledicentiſsime inſectatur, accenſeret. Nam cum aduerſus Petauium rarę eruditionis virum, quod emendationem Aldi ei ſus ab ſe olim prod. tam minime probaret, inuectus eſſet, eumque maleſanum, impurum, virulentum, omniumq; hominum impudentiſsimum, atque iniquiſsimum, ac nullo iudicio præditum appellaſſet (tantum crimen eſt Critici correctionem præ vulgata lectione aſpernari) eandem amaritudinem in Italum auctorem libri De re Veſtiaria effudit, non aliam ob cauſam, quam quod audaculus ille Salmaſii notationem, atque expoſitionem ſuper veſtibus holoueris, quam ipſe certiſsimam & optimam iudicat, probam eſſe negauerit. Dî veſtram fidem. At ſemper Italus ille credidit, licere cuique præſertim in re literaria ſententiam ſuam in nullius inuidiam expromere. Cur enim Gallo homini liceat holoueras veſtes eſſe totas veras, ſiue purpureas dicere: Italo fas non ſit eam vocem ab holoporphyris contractam arbitrari cùm utriuſq; notationis idem ſit ſenſus? Sed ipſe dixit. Digito compeſce label-

lum. Si quis contra mutire ausus fuerit, imperioso eiusdem de-
creto numerum Criticorum augebit, qui glandes inuentis frugi-
bus præferunt. Quis autem Salmasium Dictatorem nobis di-
xit? Quis tyrannicam potestatem solis maledictis fultam in li-
beros homines exercere permisit? Operæ pretium est paucis re-
petere, quæ de vestibus holoueris supra notauimus Lib. II. Cap.
IX. ut quam nullam causam habuerit excandescendi Salmasius fa-
tile appareat. Nam cum eiusdem honorificentissime appel-
lati opinionem ac notationem de holoueris non modo non impro-
bassem, ut etiam ingeniosam esse affirmarem, subieci ius fasque
esse quid & nos sentiremus aperire. Non enim eam vocem se-
milatinam, sed puram Græcam contractam mox & corru-
ptam ex Holoporphyris uideri, quod apud Isidorum Olophe-
ra, siue Olotera, Holoporphyra explicaretur: idemq; Papias
exprimeret, nempe Holophoram vestem totam ex purpura:
hancque si non veriorem, at simpliciorem notationem esse.
Quid potè modestius? At ille tanquam acerbissime proscri-
ptus quæsitam non semel ab Italo occasionem carpendi Salmasii
καὶ διπλᾶ, κἀδικα indignatur. Bene se habet, quod quædam in-
ste reprehensa fatetur: quæ autem iniquè, cur non repercussit,
aut cur certaminis gloriam inuidit?

Ceterum ibi non aliud ad confirmandam opinionem suam
attulit, quam aliquot scriptorum loca, qui holoueratum mentio-
nem fecerunt, quæ nihil eum iuuant; non enim de voce, sed de
vocis origine ambigitur. Neque hactenus me illius notationis
pœnituit, holoueras esse holoporphyras, quam viris doctissimis
approbatam scimus. Nam ut demus colorem purpureum to-
tum verum dictum esse, non solum colorem, sed etiam vestes
totas veras dictas, durius certe videri debet etiam modice eru-
ditis, quam holoueras esse ex holoporphyris conflatas. Quæ non

ita mordicus unquam tueri cogitauimus, ut si quis alteram sequatur cælum terræ misceamus, quasi in ea vocula Græciæ salutem sitam existimemus.

Ceterum in sequentibus libris, quos multis ante obitum Salmasii mensibus impressos typis, sculptoris ægre æreas tabulas molientis tarditate editionē morante innumeri ciues, & exteri viderunt, vix ullum caput exibit, in quo diuersa ab eo sentire non adigar, quanquam dissimulato nomine sola operis indicatura, ne a vetere instituto abscederem. Quid opus est verbis? Eum qui de pallio tam multa in Tertullianum commentatus est, quale pallium esset, quique illud gestandi modus ignorasse, tam liquido apparebit, quam meridie lucet. Sed de his nimis fortasse multa, animo certe meo haudquaquam grata aduersus utcumque de nobis, at de literis optime meritum, & iam tum compositum. Itaque plura adscribere parcam, ne videar cum laruis luctari. Cùm præterea querelæ ne tum quidem gratæ sint, cùm sunt necessariæ. Vale mi Lector, & faue.

INDEX CAPITVM

LIB. I.

Cap. I. LAcernarum usus quando primum Romæ inceperit. Cicero & Seneca explicati. Huius vetus lectio defensa contra Lipsii non unam correctionem. 1

II. Lacernarum notatio incerta. Quod vestimenti genus esset. Μανδύας. Ἐφεστρὶς. Herodiani Interpres notatus. 5

III. Quale vestimenti genus Lacerna fuerit. 7

IV. Lacernarum usus, & materia. 9

V. Lacernas pluuiæ causa in Vrbe gestatas. Plinius emendatus, & explicatus. 10

VI. De Lacernis, & reliquis vestimentis Gausapinis. 11

VII. Gausape quadratũ. Martialis explicatus. 13

VIII. Gausape Balanatum. Gausapatus. Persius, Seneca, Petronius explicati. 14

IX. De Læna, & reliquis vestimentis villosis. Amictus duplex. 18

X. De Chlæna. χλαῖναι ἁπλοΐδες, καὶ δίπλαι. Ἐμπαῖς. Homerus atque Hesychius explicatus. χλανὶς, χλανίδιον. 20

XI. De Endromide. Quæsitum de voce Trechedipna apud Iuuenalem. Eius Interpres emendatus. 23

XII. Tunicæ, ac Lacernæ Gausapinæ. 26

XIII. Lacernæ æstiuæ. Tritæ, ac leuiores. Iuuenalis,

& Martialis explicati. 27
XIV. De Amphimallis. Amphitapæ. Isidorus correctus. 28
XV. Lacernarum Forma. 30
XVI. De Fibulis. An insigne Tribunitium fuerint. Martialis locus expensus. 30
XVII. Fibulæ Vestiariæ figura. Quintilianus explicatus. Pollionis locus expensus. 33
XIIX. De Fibula Theatrali. Martialis explicatus. 35
XIX. De Fimbriis. 37
XX. An Lacernæ cucullum habuerint. Martialis explicatus. 40
XXI. Lacerna pro Cucullo. Item birrhus pro eodem. Bardocucullus. Juuenalis explicatus. 42
XXII. Cucullus Monachorum. Eius figura. Cadurcum. Juuenalis explicatus. 45
XXIII. De Colore Lacernarum. Martialis non uno in loco explicatus. 48
XXIV. Lacernæ Coccineæ. Coccina. Martialis, & Quintilianus explicati. 51
XXV. Cæsarum patroni in Lacernis purpureis. Vestis prælo splendens. Canusinus color. 55
XXVI. De Birrhis. Atrebatici unde dicti. Alii aliis pretiosiores. 57
XXVII. An Lacerna vestis seruilis fuerit. Martialis explicatus. 60
XXIIX. De Caracallis. Quale vestimenti genus fuerint. 62
XXIX. Lacernas honoris specie depositas. 63

LIB. II.

Cap. I. PÆnulæ notatio quæsita. 65

II. Pænulam itinerarium vestimentũ fuisse, & pluuiæ tempore sumptum. Quando primum illud intra Vrbem usurpatũ sit. 68

III. An Senatores sub Hadriano pænulati. A. Gellius explicatus. 70

IV. An Senatores in funere Principũ pænulati. 72

V. An Imperatores Pænulati. 74

VI. De Materia Pænularum. Pænulæ scorteæ, Gausapinæ, Canusinæ. 76

VII. Pænularum Figura. 78

VIII. De Colore Pænularum. Canusinæ, Fuscæ, ac Rufæ. 87

IX. Pænulæ inter vestes muliebres. Eæ virilibus pretiosiores. 90

LIB. III.

Cap. I. DIuersæ Chlamydis species. Chlamys puerilis. Alicula. Velius Longus correctus. Martialis explicatus. 91

II. Chlamys muliebris. Dionis Interpres notatus. 96

III. Chlamys militaris. Eadem cum Sago. 97

IV. Chlamydem, & Paludamentum idem vestimentum fuisse. Cicero explicatus. 98

V. Sagum pro Paludamento, & contra scriptoribus positum. Appiani & Plutarchi Inter-

terpretes notati. 101
VI. Paludamentum Vestis Imperatoria. 102
VII. De Sago. 104
IIX. Chlamydis, Sagi, Paludamenti forma. Valtrinij non unus error in Re Vestiaria. 105
IX. De Sago Gallico. Non fuisse fibulatum. Plutarchi Interpres notatus. 111
X. Sagum Hispanicum, & Germanicum. 113
XI. Sagochlamys. Chlamys Dardanica Mantuelis. 115
XII. Sagi, Chlamydis, & Paludamenti Materia. 116
XIII. Chlamys & Paludamentum auratum. Lacerna aurata. Habitus Citharoedorum. 119
XIV. Tunicæ militaris color. Tertullianus explicatus. 122
XV. Chlamydis, Sagi, & Paludamenti color. 124
XVI. Gallici Sagi color. 127
XVII. De Subarmali. 128

LIB IV.

Cap. I. Pallium Græcorum indumentum. Comædiæ palliatæ, togatæ, prætextatæ. Prolegomena in Terentium expenduntur. 130
II. Pallium Græcè ἱμάτιον, Φᾶρος. 132
III. Pallium. Eius notatio. Vestis stragula Romanorum. Amictus Græcorum. Pallium Proconsulare. 136
IV. Pallium commune. Eius figura. 139

V. Modus gestandi pallium. Brachium cohibere. Manum chlamyde inuoluere. 142

VI. Magna Veterum cura in pallio decore, & ciuiliter cõponendo. Ἀναβάλλεσθαι ἐπιδέξια. 147

VII. Pallium in humeros reiicere. Casauboni opinio expensa. Aristoph. Not. Interpres. 149

IIX. Quando brachium pallio exerebatur. Ἐπιδέξια: ἐπαρίστερα. Aristophanes explicatus. 152

IX. An palliũ fibula nectteretur Tertul. expl. 155

X. Pallium cum crepidis. Tertul. explic. 160

XI. De Pallii materia. Vestimẽta lanea. An lineæ vestes in usu. Thucyd. expl Linteæ loricæ. 161

XII. Lineus Apollonii Thianæi vestitus. Byssus. Ὀθόνη. Pollux notatus. 165

XIII. De Pallii colore. Alba Græcorum vestimenta. Artemid. & Lucian. expl Ælian. not. 168

XIV. Pallium Philosophicum. Triboniũ. Philostrat. & Laertius explicati. ῥάκος, Pannus. 173

XV. Triboniũ non modo pauperiorum gestamen, sed uestis forẽsis, ac Iudicial. Aristoph. expl. 178

XVI. Triboniũ non Cynicorũ modo, sed Philosoph. seuerioris notæ palliũ. Itẽ Sophist. Laert. expl. 181

XVII. Pallii Philosophici color. Petron. correct. 187

XIIX. Christianorũ Ascetarũ Tribon. Quãdo Tert. Lib. de Pallio ediderit Triboniũ fuscũ 189

XIX. Tribonium Cynicum. Modus illud gestandi. Pallium διπλόον. Duplex pannus. 194

XX. An Cynici interulam gestarent. Laertius explicatus. Eius Interpres notatus. 200

XXI. Serui palliati. Plautus explicatus. Diphthera. Scortum. Festus emendatus. 206

XXII. Exomis. Ἐξωμιδοχάλος. Καταυάκη. 209

XXIII. Pallio caput operire Palliolũ. Plaut. tent. 211

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

PARS SECVNDA

LIBER PRIMVS

QVI EST DE LACERNIS.

Lacernarum vſus quando primum Romæ inceperit. Cicero & Seneca explicati. Huius vetus lectio defenſa contra Lipſij non vnam correctionem. Cap. I.

SERO admodum nec niſi extremis Reipublicæ temporibus Lacernarum vſum in Vrbem inductum illud argumento eſt, quod nomen ipſum incognitum, nec vlla mentio pro vrbano habitu apud eorum temporum ſcriptores. Primus Cicero, quod ego ſciam, Philippica ſecunda obiectat Antonio, quod in Vrbem veniſſet cum caligis & lacerna. *Nam quod quærebas quomodo rediſſem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis & toga, nullis nec caligis, nec lacerna.* Neque tamen ideo a Cicerone notatum Antonium credendum, quòd in itinere toga, & calceis vſus non ſit. id enim præter morem omnium, qui penulati, & ſoleati iter faciebant in Vrbis ingreſſu togam, & calceos ſumebant; quod de ſe Cicero teſtatur: ſed quod pro penula lacernam, & caligas militare indumentum, ac calceamentum ſumpſiſſet, & ad augendam rei inuidiam eo habitu non modo in itinere, ſed quum peteret Conſulatum, per Galliæ Municipia, ac Colonias inceſſiſſet, in quibus more Romano homines togati verſarentur. Nam paulo infra ait. *Ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius vidi, nullum audiui, quam quod qui Conſulatum peteres, is per Municipia & Colonias Galliæ cum ca-*

ligis & lacerna cucurristi. Scio quosdam cum Gallicis re. posuisse auctoritate Gellij lib. XIII. sed si Gallicæ eædem, ac soleæ, siue crepidæ fuerunt, quarum vsus in itinere depositis vrbanis calceis, non video cur notari potuerit Antonius, si communi pedum tegmine itineris causa vsus sit, sed quòd militare calceamentum cum militari veste induerit. Verum ista non sunt huius loci.

Ignotus igitur, ac probrosus ætate Ciceronis in Vrbe Lacernarum vsus. nec iniuria, quod vestimentum militare esset, ac castrense, idemque quod chlamys. Propertius lib. III. Eleg. X.

Tu tamen iniecta tectus vesane Lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.

Et lib. IV. Eleg. III.

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Ouidius, II. Fastorum de Lucretia inter ancillas lucubrante, marito in castris Ardeam obsidente.

Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,
Quam primum nostra facta lacerna manu.

Gallus etiam Asinius elegia elegantissima, quam vnicam edidit Manutius.

Quin etiam argento puroque intexit in auro,
Altera iam castris parta lacerna meis.

Vbi legendum *intextitur auro*. Sed nescio an aliud in tota antiquitate vestigium extet lacernæ acu pictæ, & phrygionis opere elaboratæ. Et cui vsui fuerit hæc lacerna veluti triumphalis, cum Gallus non Imperator esset, sed sub Ventidio militaret.

Lacernæ militaris meminit & Paterculus lib. II. de Cassio loquens. *Existimans hostes esse, qui irruerent lacerna caput circumdedit, extentamque ceruicem interritus liberto præbuit*. Et infra de Augusto cum Lepidum exercitu exuit. *Quippe cum inermis & lacernatus esset præter nomen nihil trahens ingressus castra Lepidi, cuitatis, quæ iussu hominis prauissimi, tela in eum iacta erant, cum lacerna eius perforata esset lancea.*

Dio Cassius lib. XLVI. narrat cum M. Antonio bellum indi-

indictum esset, vulgo depositis togis sumptas lacernas siue chlamydes militares. τὰς τε χλαμύδας τὰς στρατιωτικὰς πάντες καὶ οἱ μὴ ἐκστρατεύσαντες ἠμπέχοντο. Vbi an recte Interpres *Saga* verterit, infra videbimus.

Paulatim deinde per bella Triumuirorum ciuilia, quum togæ deponi cœpissent, in earum locum lacernæ successerunt, quod viris doctis pridem adnotatum est. Et quia vt diximus initio vestimentum militare tantum fuit, quod & chlamys dicebatur, propterea Seneca non vno in loco ciues chlamydatos appellat, qui lacernam induti essent. De beata vita cap. 11. *Quæramus quid optime factum sit, non quid vsitatissimum: quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. Vulgus autem tam chlamydatos, quàm coronam voco. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt aspicio, oculis de homine non credo.* Doctissimus Lipsius legit. *Vulgus autem tam candidatos, quam coloratos voco*: atque hunc locum a se eximiè emendatum prædicat. Sed hercules haud vidi magis. *Candidatos* autem honestiores intelligi ait, *coloratos* pullatam multitudinem.

Sed si candidatos intelligit cretatis, ac splendentibus togis, quales erant petitorum, indutos, ætate Senecæ sublatis Comitiis nulli petitores candidati; sin albatos, siue albis togis simpliciter amictos intelligit, & rarus admodum eodem æuo nisi per officia togarum vsus, & albam togam parare etiam tenuiori facile erat. Quidquid ergo Lipsius iactitet etiam cum supercilio nunquam futurum vt vulgatam lectionem explicent omnes xvviri fatalium librorum, ipse licet in illud Collegium non allectus, & Sibyllinorum ignarus veterem lectionem tueri, atque explicare ausim. Nam lacernatos inuidiose appellat chlamydatos, quod vt diximus lacerna initio non aliud fuerit quam chlamys. Licet autem commune vestimentum esset, vt & toga, honestiores tamen a vulgo lacernarum colore distinguebantur. Nam, vt infra dicemus, erant purpureæ, pretiosisque coloribus imbutæ: eas potentiores ac ditiores gestabant

viliores aut sine lacernis, aut iis pullis & paupere colore tinctis vtebantur. Quare non sine stomacho chlamydatos appellat lacernas improbi coloris, & nonnisi olim militaris, indutos; Atque ideo subijcit; *non enim colorem vestium aspicio*, quo scilicet Romæ vulgus a nobilioribus distinguebatur. Vulgus autem coronam appellat, siue quod idem est circulum pullatum apud Quintilianum. Idem de Ira lib. I. cap. XII. *Quum hoc dicis Theophraste quaeris inuidiam præceptis fortioribus, & relicto iudice ad coronam venis. Quia vnusquisque in eiusmodi suorum casibus irascitur: putat iudicaturos homines id fieri debere, quod faciunt.* Corona ibi est vulgus. Item lib. II. cap. VII. *Et iudex damnaturus quæ fecit eligitur, & corona pro mala causa bona patroni voce corrupta.* Atqui inquit Lipsius idem Seneca *virtutem coloratam* appellat, idest sole fuscatam, vt coloratos Indos, ac Seres poetæ vocant. Verè. nemo tamen aliquem coloratum Latinè dixerit pullis vestibus indutum, cum id potius de vestibus aut alia re colore infecta dicendum sit.

Non contentus Lipsius probam lectionem semel sollicitasse, eodem libro cap. XXV. iterum pro chlamydato candidatum obtrudit. *Pone me, inquit, in instrumentis splendentibus, & delicato apparatu, nihilo me feliciorem credam quod mihi molle erit amiculum, quòd purpura conuiuis meis substernetur. Nihilo miserior ero, si lassa cervix mea in manipulo fœni acquiescet, si super Circense tomentum per suturas veteris linteï effluens incubabo. Quid ergo est? Malo quid mihi animi sit ostentare prætextatus, & chlamydatus, quam nudis scapulis, & fatentibus.* Hic quoque *prætextatus*, & *candidatus legit*. Sed libri veteres in vulgata lectione constantes sunt. Cum præterea etiam pauper non magno pretio candidatus esse possit. Neque audiendus Muretus, qui *Canusinatus* legit. nam is color fœmineæ penularum, quarum tunc aut nullus aut rarus vsus in Vrbe. Multo minus facit ad rem *Gausapatus*, & *Petasatus*; & quidquid denique Critica libido impingit. Prætextatus prætexta indutus, quæ vestis magistratuum. Chlamydatus lacerna vestitus, sed quæ aut cocco, aut mu-

rice; aut alio pretioso colore tincta esset. Quemadmodum autem malle se ait domum omni cultu instructam, quam pontem, ita pretiosas vestes, quam centunculum. Quid porro sint *scapulæ fœtentes*, a doctis viris quæsitum est. Fortasse a tomenti Circensis de concisa palude confecti, cui pauperes incubabant ingrato ac turpi odore. Nec displicet quod se in libris reperisse tradit Lipsius: *quam nudis scapulis, aut semirectis*.

Lacernarum notatio incerta. Quod vestimenti genus esset. Μανδύας. Εφεστρὶς. Herodiani Interpres notatus. Cap. II.

PRimus igitur Lacernarum vsus in militia, sed quando cœperit haud mihi compertum: cum præter Propertium, Ouidium, ac Paterculum nullus veterum scriptorum earum mentionem fecerit in cultu militari, vt vox sub ipsum Reipublicæ interitum nata videatur. Sed vndenam, quæque eius notatio, multo mihi ignotius. Persij Interpres vetus ad Satyram I. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites vtebantur*. Eadem Isidorus lib XIX. cap. XXIV. qui adijcit. *Vnde & in distinguenda Castrensi, Vrbanaque turba, hos togatos, illos lacernatos vocabant. Inde autem lacerna, quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis, vt sunt penularum*. Vt *lacernam* quasi laceram dictam putet: quod & Paulus Festi abbreuiator innuere perobscure videtur. *Lacerare, comminuere, diuidere. Lacerna quod minus capitio est*. Sed notatio inepta, illudque de fimbrijs laxioribus, & minus laxis Grammaticorum est commentum, quidue capitium illud sit, quo minor est Lacerna, ne Oedipus quidem diuinauerit: nec tanti est hisce diutius immorari.

Vnde cunque igitur nomen acceperit Lacerna, vestimentum militare initio fuit. Propterea Græcis scriptoribus Μανδύας, Χλαμὺς, & Εφεστρὶς dicitur. Artemidorus lib. II. cap. III. χλαμὺς δὲ ἐστι μανδύου εἶδος, ἡ δὲ ἐφεστρὶς, ἡ δὲ ἐπὶ τὰ ἵππια ἀλλοῦσι. Hesychio Μανδύας est εἶδος ἱματίου περσῶν πολεμικὸν

V 2 esti-

Vestimentum militare Persicum. Suidas vestimentum *Loricion* interpretatur. Pollux lib. VII. cap. XIII. ἡ δὲ μανδύη ὁμοίωτι τῷ καλουμένῳ φαινόλῃ. *Vestimentum simile Penulæ*. Male Interpres *Sagulum*, vertit. Eius mentio apud Xiphilinum Domitiano. *Bello nauali facto, in quo non solum omnes qui pugnauerunt fere mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, propterea quod maximo imbre, & vehementi tempestate repente commota, nemini permisit abire e spectaculo, & quamquam ipse,* Μανδύας ἀλλασσόμενος, *Lacernam mutauit, tamen ceteros mutare non est passus*. Ibi μανδύας Lacerna est, non pænula. Idem vestimenti genus Εφεστρίς, militare scilicet, siue chlamys. Hesychius. Εφεστρίς, χλανὶς. Εφεστρίδες τὰ ἐπιβλήματα, quod reliquis vestimentis injicerentur. Suidas Vestimentum Romanum, quod & μανδύας & Βηρρόν vocetur. Athenæus etiam lib. III. καὶ τὴν ἐφεστρίδα τὴν ἄχρηστον. *Lacernam quam nondum indui*. Herodianus lib. VII. de militibus Maximini, qui in Senatum explorandi causa ingressi sunt, ὅπλων μὲν γυμνοὶ, ἐν λιταῖς δὲ ἐσθῆσι καὶ ἐφεστρίσιν. Interpretum quotquot fuerunt doctissimus, *Inermes videlicet, tantumque subarmalibus, & sagis induti*. Quid essent subarmalia notum est. Sed nō habent hic locum. Vertendum erat. *Sine armis vulgari vestitu, solasque chlamydes induti*. Alibi Herodianus λιτὰς ἐσθῆτας appellat vestes communes siue vulgares loquens de matronis in Apotheosi Seueri, quas ait sine auro atque vllo muliebri mundo fuisse. ἀλλὰ λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννυμένας, *vulgari veste alba indutas*, non exili, vt idem summus interpres vertit. Nam cum Senatores in pullis lacernis essent, matronæ albas vestes gestabant, pallam scilicet, & stolam, sed vulgarem, ac communem, non purpura, & auro de more pretiosam. Vt ad milites reuertamur, ij in veste vulgari id est tunica Quiritibus communi solas chlamydes militares induti. Ita paulo post: ἔχοντας δὲ τὰς χεῖρας ὑποκαθημένας ταῖς ἐφεστρίσι, est *habentes manus sub chlamydibus*.

Perperam etiam viri doctissimi pro quouis vestimenti genere Ephestrida sumi crediderunt ex eodem Herodiano, qui

eas

eas Senatoribus tribuit in funere Seueri. ἐν μὲν λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ σύγκλιτος μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενοι. Ibi enim Senatores depositis luctus causa togis, in pullis lacernis siue penulis, nam hæc vox de vtroque vestimento vsurpatur, quod non multum dissimile esset, vt dicemus. Non igitur pro quouis vestimenti genere accipitur. Itaque non atris vestibus, sed *pullis lacernis*, aut *penulis* vertendum erat. De chlamyde & Byrrho erit infra dicendi locus.

Quale vestimenti genus Lacerna fuerit, Cap. III.

LAcernam a castris & militia in Vrbem licentia bellorum ciuilium traductam, & promiscuo Quiritium cultu assumptam diximus. Ea fuit amiculum siue pallium lanceum, apertum, quòd ipsi quandoque togæ, & hac deposita ferme loco ipsius togæ inijciebatur tunicæ, nectebaturque fibula vel in humero, vel ad pectus, natiuo ipsius lanæ colore, aut varia infectura. Et quemadmodum Græcanico pallio breuior, atque angustior lacerna fuit, ita facile crediderim, postquam a militia in vrbanum habitum concesserit, laxiorem ipsa chlamyde longioremque confici cœptam: quandoquidem arcendo frigori, immo & pluuiæ, toti denique corpori tegendo assumebatur, cum chlamys, vt in antiquis monumentis apparet, vix partem corporis tegeret, nec ferè ad genua pertineret. Subiectas figuras lacernatas ex columna Traiana depromptas Roma misit Vir incomparabilis Cassianus a Puteo, cui bonam partem monumentorum veterum, quæ hoc opere edita sunt, non ipse solum, sed tota posteritas acceptam feret. Sed vt rem totam distincte, ac particulatim exequamur, primò de lacernarum materia verba faciemus, tum de eius ornamentis ac colore breuiter diseremus.

Tabula XIV.

Tab. XIV.



Lacernarum vsus, & materia. Cap. IV.

QViritium vestes omnes ex lana confectas, togas, tunicas, pallas, stolas aliàs ostendimus: idem de lacernis dicendum. Mart. lib. II. Ep. XLVI.

Sic tua suppositis perlucent præla lacernis,
Sic micat innumeris arcula sinthesibus:
Atque vnam vestire tribum tua vellera possunt.

Scilicet fere arcendi frigoris causa sumebantur, & togis superinducbantur. Iuuenal. Sat. IX.

. . . . . pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri, crassique coloris
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.

Viliori nempe materia, hoc est crassiore lana, & male textas, quales in Gallia conficiebantur. Martialis.

Me pinguis Gallia vestit.

Et lib. IV.

Accipe Sequanicæ pinguem textricis alumnam.

Colore autem pullo, vel rufo. Ex quibus patet, vt togas, ita & lacernas non eadem materia confectas, sed lana pretiosiore, aut viliore contextas, & quidem etiam viliore textura. Vetus Interpres Iuuenalis. *Pingues lacernas: pingues vt ostendat grossas, ac per hoc pluuiales, quæ muniant a pluuia, non quæ ornent. Male percussas, male textas. Gallum autem textorem Venetum* interpretatur, *Venetumque cucullum* intelligit ex eodem Poeta:

Atque ibi contemnas Veneto, duroque cucullo.

Lacernæ igitur arcendo frigori, immo & pluuiæ, cum nondum penulæ in Vrbem receptæ essent. Et vel tunicis, vel etiam ipsi togæ injiciebantur. Mart. lib. VIII. Ep. XXVIII. vbi togam sibi a Parthenio Domitiani cubiculario donatam commendat, sic colligit:

O quantos risus pariter spectata mouebit
Trita Palatina nostra lacerna toga.

Futuram enim rem ridiculam, si nouę pexæque togæ vilis & longo vsu detrita lacerna superinduceretur. Idem lib. XIV. Ep. CXXXVII. *Lacerna Alba.*

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Ex quo apparet, non nisi albas lacernas togæ inditas, cum reliquę ferme pullæ essent: quod videretur indecorum & ridiculum, albæ niueæque togæ atri coloris vestimentum inducere: quod tamen nunc passim faciunt id genus hominum, qui habitu picas imitantur. Quo spectat iocus eiusdem Poetæ lib. IV. in Horatium, qui cum solus nigris lacernis munus spectaret, Cæsare, & reliquis albatis, niuem Cælo repente demissam, sieque & ipsum Horatium albis lacernis spectasse.

Lacernas pluuiæ causa in Vrbe gestatas. Plinius emendatus, & explicatus. Cap. V.

LAcernas munimenta togæ, & togæ ipsius succedaneas, nō modo arcendo frigori, sed & defendendo imbri gestatas, ex Plinio discimus lib. XVIII. cap. XXV. *Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. Idus Nouembris, vt diximus seruant, quoniam id sidus etiam vestis institoris est, & est in cœlo notatu facillimum. Ergo ex occasu eius de hieme augurantur, quibus est cura insidiandi negotiatoris auaritiæ. Nubilo occasu pluuiosam hiemem denuntiat, statimque augent lacernarum pretia: sereno, asperam, & reliquarum pretium accendunt.* Læuinus Torrentius ad Suetonium legit. *Quoniam id sidus etiam vestis institor est.* sic enim in scriptis libris extare, & in veteribus editis. Atque ita sidus illud, quo exorientę æstas, occidente hiems ostenditur, quia vtroque tempore vestem mutamus, veluti *institor*, inquit, a Plinio dicitur. Ante Torrentium Sipontinus aliam causam attulit, cur Vergiliarum sidus *institor vestis* dicatur, quod nempe vt pluris mimorisue vendatur vestis efficiat. Neuter ad Plinij mentem, cuius vulgata lectio non mouenda, quam etiam præ-

fert

fert vetus Veneta editio optima, cuius ope innumeras e Plinio mendas sustulimus. Sidus, inquit, Vergiliarum non tantum est agricolæ, siue ab agricola obseruatur pro tempore sementis faciendæ, sed etiam est sidus vestium institoris, siue ab institore vestis obseruatur. Quod sequentia explicant, quæ non recte intelligi possunt, nisi illud ponatur quid esset *Negotiator*, quidque *Institor*. Negotiatores enim erant mercatores locupletiores, qualem *negotiatorem magnarium* Apuleius lib. 1. appellat: hi mercaturam amplam, siue negotiationem exercebant, qualis *negotiatio Sagaria* Leg. LII. π. quidem D. pro socio. Item *negotiatio lignaria* apud Capitolinum. Ab his negotiatoribus Institores mercium partem emebant, quas minutim, & carius distrahebant. Nam proprie Institor παλωνάπηλος. Labeo. *Etiam eos Institores dicendos placuit, quibus Vestiarij & Linteary dant vestem circumferendam, & distrahendam.* Ergo Institores, ex occasu Vergiliarum qualis futura esset hiems coniecturam facientes, negotiatoris auaritiæ insidiabantur. nam si nubilus occasus fuisset, quod pluuiosa hiems immineret, plus lacernarum, quam reliquæ vestis emebant, earumque pretium augebant: sin vero serenus fuisset occasus, augurantes futuram frigore infestam, alias vestes, vt chlænas, endromides, Gausapinas emebant, quarum pretium intendebant. Hoc autem erat insidiari negotiatoris auaritiæ: lucrum nempe, quod ipse facere debuerat, auertere, & ex siderum coniectura negotiatoris auaritiam ferire, eas vestes tantum emendo, quas carius distracturi erant. Porro aliquem lacernarum vsum etiam domi fuisse arcendo frigori, indicare videtur Propertius lib. v. Eleg. IX.

Imperat, & totas iterum mutare lacernas:
Terque meum tetigit sulphuris igne caput.

De Lacernis, & reliquis vestimentis Gausapinis.
Cap. VI.

EX his apparet antequam pænulæ in Vrbem inducerentur, lacernas, & frigori arcendo, & pluuiæ causa

geſtatas: quod ex pinguiori, ac craſſiori materia confectas fuiſſe declarat. Eas fermè gauſapinas fuiſſe exiſtimo, de quibus non ab inſtituto alienum fuerit pauca præmiſiſſe. In prima operis huius parte Plinij locum lib. VIII. cap. III. ex veteri codice emendauimus, eorum errore perſtricto qui Gauſape ſtramentum militare praua loci illius interpunctione tradiderunt. *Antiquis thorus e ſtramento erat, qualiter etiam nunc in caſtris gauſape. Patris mei memoria cœpere Amphimalla noſtra.* Legendum ex Veteri monuimus. *Gauſape patris mei memoria, cœpere amphimalla noſtra.* Gauſape, ſiue gauſapina veſtimenta ætate patris ſui inducta, amphimalla ſe viuente cœpiſſe tradit. Certe Ouidij ætate, quæ & Plinij parenti eadem eſſe potuit, non incognita fuiſſe gauſapa illa docent in Amoribus.

Gauſapa ſi ſumpſit, gauſapa ſumpta proba.

Ex quo Scaliger in Titium cap. XXIII. colligit lacernas tam viriles quam muliebres gauſapinas fieri ſolitas. Sed lacernam fuiſſe tantum veſtimentum virile alias oſtendimus. Ergo hæc gauſapa vel fuere penulæ gauſapinæ, quæ vtriq; ſexui communes, vel tunicæ, non lacernæ, quæ nunquam alteri ſexui permiſſæ. Ceterum etiam Varronem feciſſe gauſapinarū mentionem teſtantur Chariſius, & Priſcianus, vt obſeruatum eſt doctiſſimo Voſſio lib. I. de Analogia cap. XXXV. Meminere etiam Lucilius, Horatius, & Perſius, vt de Martiali ſileam.

Gauſapa igitur ſiue Gauſape, & Gauſapum, nam hæc tria Grammatici agnoſcunt, fuit veſtimentum ex pingui, ac denſa lana compactum, tunica, lacerna, penula, ex vna tantum parte villoſum: nam quod vtrinque villos habebat ex eo *Amphimallum* Græcè dictum eſt, eamque Græcam vocem fatetur Varro lib. IV. de L. L. Vt falli neceſſe ſit qui *Gauſape*, *amphimallum* verterunt, quos Plinius redarguit, qui *Gauſapina* ante ætatem ſuam in vſu fuiſſe docet, *Amphimalla* memoria ſua inducta.

Gausape quadratum. Martialis explicatus. *Cap. VII.*

NEc lanea modo vestimenta, sed etiam linea, quæ villos haberent *Gausapa* dicta, eaque tegendis mensis adhibita, quæ & mantilia. Martialis lib. XIV. *Gausapa villosa, vel mantile.*

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Scilicet solæ citreæ mensæ, & pretiosiores mantili tegebantur, ne fœdarentur, aut maculas traherent: at viliores orbes, siue mensæ, nam omnes tunc rotundæ, sine integumento erant, & ideo in ijs circuli non semel spectabantur, hoc est maculæ rotundæ, non quidem lagenis impressæ, vt censet Scaliger, nam in abaco vasa vinaria prostabant, sed ij circuli lancium, ac patinarum positu ferme fiebant, vt Turnebus docuit.

Quod autem omnes mensæ tum rotundæ erant, ita & mantile siue Gausape pariter rotundum fuit. Ad cuius distinctionem, Gausape quod lectis pro stragulo injiciebatur Gausape quadratum dicitur eidem Poetæ Epigrammate CLII. *Gausape quadratum.*

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Lodices hoc est stragula leuiora mittet tibi Verona, densa ac villosa Gausapa Patauium suppeditabit. Talis enim lana Patauina. Idem de tunicis Patauinis.

Vellera cum sumant Patauina multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potes.

Strabo lib v. *Lanam mollem, & omnium longe optimam producunt loca circa Mutinam, & Scutanam flumen. Asperam Ligures & Symbri, ex qua plerique Itali familiæ vestimenta conficiunt.* Τὴν δὲ μέσην οἱ περὶ Παταούιον, ἐξ ἧς οἱ τάπητες οἱ πολυτελεῖς, καὶ γαυσάπαι, καὶ τὸ τοιοῦτον εἶδος πᾶν, ἀμφιμαλλόν τε, καὶ ἑτερόμαλλον. *Lanam mediam inter asperam, & mollem Patauina regio, ex qua fiunt pretiosi tapetes, gausapa, aliaque id genus,*

nus, vel ex vna tantum parte, vel vtrinque villosa. Gausapa scilicet quadrata sternendis lectis. At apud diuites erant stragula Gausapina purpurea. Martialis Ep. CXLVII. *Cubicularia Gausapina.*

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.
Quid prodest site congelat vxor anus?

Vocat cubicularia, vt distinguat a tricliniaribus, quæ ferme leuiora, licet & ipsa purpurea.

Quadratum ergo Gausape vt distingueretur a rotundo, quo mensæ sternebantur; Immo & Gausape easdem mensas tergebant, quod villosum erat, & quidem luxuriæ causa purpureum. Lucilius apud Priscianum lib. VII.

Purpureo tersit tunc lautas Gausape mensas.

Quod expressit Horatius lib. II. Sat. VIII.

His vbi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam praetersit.

Gausape Acron *mappam villosam* interpretatur. Apparet tamen mensam illam non fuisse Gausape instratam. Quid enim opus fuisset detergere?

Ceterum mantilia, siue mappas villosas in vsu fuisse apud veteres docet Seruius ad illud

Tonsisque ferunt mantilia villis.

Et ideo *tonsis* interpretatur vel *minutis*, vel *compositis*, vt *tonsa coma pressa corona*. *Constat enim* inquit *maiores mappas habuisse villosas.*

Gausape Balanatum. Gausapatus. Persius, Seneca, Petronius explicati. Cap. VIII.

VT ad Gausape, siue vestem Gausapinam reuertamur, quam densam fuisse diximus, & ex vna parte villosam, frigorisque causa sumptam, eam peregrinam fuisse, immo & barbaricam certum est, nec nisi sub Augusto Romæ cognitam. Glossæ Veteres. *Gausapa* Βαρβαρικὸν παλλίον. Et alibi. *Gausarus*. Ενδρομὶς. Lege. *Gausapus*, vel *Gausapum, Endromis*. Messala de statuis Antonij. *Armenij Regis spolia, Gausapæ*. Persius Sat. VI.

Iam

Iam chlamydes Regum, iam lutea gausapa captis.

Parthorum Regis statuam gausapatam, & pellitam spectare hic licet olim a Canalletio editam.

Tabula XV.

Tab. XV



Russmus. f.

Idem, quod villoſum veſtimentum id eſſet, audaci tranſlatione barbam denſam, & hircinam, *balanatum gauſape* appellat Sat. IV.

Tu cum maxillis balanatum gauſape pectas.

Neque enim Caſauboni interpretatio placere poteſt, qui balanatũ gauſape intelligit comam & cæſariem prolixam, maxillas autem interpretatur πέκτα ὀδοντωτὸν *dentatum pectinem*. Sugillat hic Perſius, quos & Iuuenalis perſtringit, triſtes nempe, obſcænos, fictoſque Curios, qui ad captandam ſeueritatis famam propexam barbam alebant, ſed plantaria, & infernas partes vellere non erubeſcebant. Intonſa erant barba, brachia, ac crura fruticante pilo ſilueſcebant, in reliquis locis fœdam ſilicem runcabant. Duplici igitur nomine infectatur hunc poeta, quod barbam paſceret, reliquum corpus læuigaret, quodque hirtam illam ac veluti muſcarium balano, ſiue vnguento perfunderet. Nec de coma capiendum Perſium maxillæ vox declarat: quam ſi quis cum Caſaubono pro pectine accipiat, Perſius diceret comam pectere pectine. Interpres Vetus. *Tu cum maxillis balanatum. Balanum genus vnguenti, vnde Horatius. Preſſa tuis balanus capillis. Et hoc dicit cum barbam nutrias, & vnguento madidam pectas, quare inguina tua pſilothro denudas? Item Gauſape dixit propexam barbam. Ideſt, cum pexa barba delectoris, quam in maxillis tuis velut gauſape habeas vnguentatam, & defricatam balano, cur pubem vulſam habes?* Sed hæc prętereuntes.

Gauſapæ etiam meminit Seneca epiſt. LIII. *Memor artificij mei veteris mitto me in mare quomodo Pſichrolutam decet, gauſapatus*. Lipſius notat, qui in Gymnaſijs exercebantur, itemque balneis, eos ferè lodicula, aut gauſapina leuiter obuolutos fuiſſe, & circa verendas maxime partes, vt Petronianus Trimalcio coccinea gauſapa inuolutus. Gauſapam autem ad manum fuiſſe, quia & nautis earum vſus. Sed gauſapa in gymnaſijs, & balneis, nec lodiculæ fuere, nec leuiter tegebant, neque verendas modo partes, ſed arcendo frigori totum corpus villoſę, ac craſſæ inuo-

luc-

luebant, neque Seneca in mare descensurus gausapam sumpsit a nautis. Quare enim sumeret? Nauigabat Seneca, & quidem ob frigus gausapa inuolutus. Exorta tempestate, cum maris cęcos voluentis fluctus iactationem ferre non posset, gubernatorem coegit, vt se in aliquo littore exponeret, neque expectauit vt nauis ripæ appelleret, sed moræ impatiens se in aquam demisit, tanta festinatione, vt ne vestimenta quidem deponeret, sed vt erat gausapatus in mare desilijt. *Cuius vt viciniam*, inquit *attigimus non expecto vt quidquam ex præceptis Virgilij fiat: obuertant pelago proras, aut anchora de prora iaciatur, sed memor artificij mei veteris mitto me in mare, quomodo Psichrolutam decet, gausapatus. Psichrolutam* autem, qui in balneis frigida magis Laconũ more delectaretur, quam calida, rectè docti interpretantur. Talis enim Seneca erat. Epistola LXXXIII. *Ille tantus Psichrolutes qui Kal. Ianuarij in Euripum saliebam*. Quod igitur frigida delectaretur descendit in mare, cum expectare littus potuisset, & quidem gausapatus, quod breuis aqua esset nec gausapam madefacere posset. nam in balneis nudi erant, præcipue cum in piscinam descenderent, in qua natabant. At hic crura modo, pedesque vadis merserat. Sequitur enim. *Dum per aspera crepo*. Erat namque littus importuosum, & asperis cautibus inæquale, vt non tam ire, quam repere cogeretur. Quare licet libri manu exarati habeant *eripior*, quod ad seruos, & nautas, qui herum exportarent, referri posse censet Lipsius, nihil mutandum. Nam per aspera repere, est difficulter per scrupos, & glareas pedes ferre. Itaque nihil gausapa ad Psichrolutam, nec balnei, aut exercitationis causa a Seneca sumpta, sed frigoris.

Ita apud Petronium Trimalcio *coccina gausapina inuolutus* traditur. quod de lacerna, aut gausapa simpliciter intelligendum. Alibi apud eundem. *Vltimo cinædus supervenit, myrtea subornatus gausapina cingulogue succinctus*. Vbi gausapina tunica est. non enim lacerna, aut pallium, quæque vestes exteriores brachia premebant cingi poterant.

Meminit & gauſapæ Martialis lib. XIV. Epigr. XXIX.

Gauſapa.

In Pompeiano tectus ſpectabo Theatro.
Nam ventus populo vela negare ſolet.

Lipſius de Amphitheatro, titulum inuertit & *Cauſia* legit, *pileumque Theſſalicum* interpretatur. Sed omnes editiones Gauſapa conſtanter retinent. Itaque malim lacernam gauſapinam interpretari, cum cucullo aduerſus ſolem, & pluuiam, quibus arcendis vela extendebantur. Ait enim in Pompeiano Theatro ſeſſurum ſe cum lacerna gauſapina, cuius cucullus veli vicem præſtet aduerſus cœli, ſoliſque iniurias.

De Læna, & reliquis veſtimentis villoſis. Amictus duplex. Cap. IX.

NOn modo igitur lodices, ſtragula, & mappæ, ſed omnia veſtimenta quæ villos haberent Gauſapa, ſiue gauſapæ, & gauſapina dicta ſunt, lænæ, chlænę, tunicæ, lacernæ, penulæ. De quibus ſingillatim dicendum eſt.

Et Lænam quidem non fuiſſe togam alias docuimus, ſed indumentum apertum, denſum, ac villoſum: quod tunicæ, aut etiam togæ ſuperindueretur, & quidem olim peculiari ritu a Flaminibus in ſacrificijs adhibitam, Ciceronis ac Seruii teſtimonio comprobauimus, mox promiſcuo vſu, & cum toga, & ſine eadem geſtatam. Varro lib. IV. de L. L. *Lænam* dictam exiſtimat quod de lana multa eſſet, ſed credibilius eſt, quod & Feſtus exiſtimat, Græcam vocem eſſe, a chlæna Græcorum dictam auctoritate Plutarchi in Numa. Verè quidem multa lana, eaque denſa conficiebatur. Nam idem Varro ait fuiſſe adinſtar duarum togarum. ex quo Seruius duplicem togam dixit, Feſtus duplicem amictum. Quod intelligendum de craſſa, ac denſa materia, quæ æquè grauis eſſet, ac duæ togæ, aut duæ aliæ veſtes.

Nam quod aliqui duplicem amictum interpretati ſunt, qui totum hominem vtrimque operiret, cum ſimplex vnam tantum corporis partem: id repugnat primo vocis amictus

notationi, quem recte Varro dictum putat quasi Amiectum, siue amphiectum, ideſt circumiectum. Deinde ſi adinſtar duarum togarū erat, toga etiam ſimplex totū corpus inuoluebat, vt & ipſa hac notatione amictus duplex dici poſſit. Seruius ad illud: *duplicem ex humeris reiecit amictum* interpretatur *Abollam, quæ duplex* inquit *vt chlamys*. Atque chlamydes fere omnes non totum corpus inuoluebant. Adiicit Seruius illud Horatij.

Quem duplici panno ſapientia velat.

Sed de pallij duplicatione infra commodius dicemus. Quare veriſimilius eſt, *Lænam*, duplicem amictum dictam quaſi duplicem pannum, ſiue quod denſa, craſſaque eſſet ac villoſa, ſiue fortaſſe quod ad arcendum frigus duplici panno conferta, quales hibernæ veſtes altero panno ſubſutæ, aut pellibus ſuffultæ. Cumque lacerna gauſapina pariter denſa eſſet, & villoſa, & togæ frigoris cauſa ſuperinjiceretur, facile apparet lacernam gauſapinam, & lænam aut idem veſtimentum fuiſſe, aut non multum diſſimile.

Porro præcipuus lænæ vſus in conuiuijs fuit, quod ſcilicet a balneis redeuntes lænam geſtarent, ne corpus calore ſolutum frigoris inclementia læderet, atque ideo eadem ferme veſte diſcumberent, atque eadem ab amicorum cœnadomum redirent. Iuuenalis. Sat. VI.

. . . . . *plurima ſunt, quæ*
Non audent homines pertuſa dicere læna.

Loquitur de paupere ſuperbi diuitis conuiuio iniurioſum cibum edente. Ita tamen vt veſtis balnearis æſtate lacerna eſſet, hieme læna. Lampridius in Seuero. *Thermis & ſuis, & veterum frequenter cum populo vſus eſt, & æſtate maxime balneari veſte ad Palatium reuertens*. Quæ autem iſta veſtis balnearis? Subjicit idem. *Hoc ſolum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat*. Martialis lænam cum cænatorijs coniunxit. Nam lib. XIV. cum notaſſet cœnatoria non niſi conuiuijs adhibita, hæc ſubjicit. *Læna.*

Tempore brumali non multum leuia proſunt.

Calfatiunt villi pallia veſtra mei.

Vt clarum ſit, lænam in conuiuio hieme adhibitam, æſtate ſyntheſes, quæ ex lino, ac leuiore materia erant. Vt quod aljis viſum eſt legere placeat.

Tempore brumali non multum linea proſunt.

Idem Martialis de fure conuiuiorum ſubſeſſore.

Et tectus Lænis ſæpe duabus abeſt.

Perſius Sat. I.

Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poemata narrant:
Heic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna eſt.

Iuuenalis Sat. III. de diuite a cœna redeunte.

. . . . cauet hunc, quem coccina læna
Vitari iubet: & comitum longiſſimus ordo.

De Chlæna. χλαῖναι ἁπλοΐδες, καὶ δίπλαι. Εὐστάθιος. Homerus atque Heſychius explicatus.

χλανὶς, χλανίδιον. Cap. X.

PLutarchus in Numa ex Iuba notauit *Lænam* Latinorum eſſe Græcorum *Chlænam*. Idque veſtimenti genus antiquiſſimum, & Heroicum fuiſſe conſtat. Item fuiſſe veſtem duplicem, quę tunicę ſuperinduceretur, præſertim hieme ad propulſandum frigus. Heſychius. χλαῖνα χλαμὺς, ἢ ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, ὅ ἐστὶ θερμαίνειν. Euſtathius ait eſſe μανδυοειδὲς, καὶ χιτῶνος παχύτερον περίβλημα. Quod autem tunicę injiceretur ex Homero clarum eſt, vbi Heroes primo Chlænas, mox & tunicas exuunt. Idem δίπλωὶ duplicem appellat, & arcendo frigori, ventoque adhibitam docet. Præter duplices ſiue ἀμφιμίτες, etiam chlænę ſimplices fuere, quas idem vates ἁπλοΐδας ſiue μονοειμίτες appellat. Iliad. ω.

Ἔνθεν δώδεκα μὲν περικαλλέας ἕξελε πέπλους
Δώδεκα δ' ἁπλοΐδας χλαίνας,

Ex quo Pollux lib. VII. cap. XIII. Εἰσὶ δὲ χλαῖναι αἱ μὲν ἁπλοΐδες, αἱ δὲ δίπλαι, Laudatque Homerum. Quæ loca li-

cet

cet omnibus obuia eo retuli, vt intelligeremus quid duplex vestimentum esset, duplex læna, duplexue amictus, crassius scilicet indumentum, ac duplici filo contextum siue ἀμφίμιτον: non quod totum hominem vtrimque velaret, nam & chlæna simplex totum corpus operiebat: & simplices quidem sine villis, duplices villosæ fuisse videntur. nam Homerus Odysseæ. χλαίνας ἔλας appellat. *Chlænas villosas.* Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαίνας ἔλας βάλον ἠδὲ χιτῶνας. Alibi etiam non semel chlænas villosas appellat, quæ lectis injiciebantur.

Apud eundem eodem libro Priamus lugens Hectora inducitur Ἐντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος. Vbi multa Græci Interpretes. Mihi placet Hesychij explicatio. Ἐντετυπωμένος τῷ ἱματίῳ. Nam qui pallio se strictim inuoluit, illud ita corpori applicat, & adstringit, vt ipsius corporis typus, siue figura exprimatur, magisque appareat, quam cum laxe fluit, caditque. Subjicit doctissimus Grammaticus: Ἐγκεκαλυμένος τὸ πρόσωπον τῷ ἱματίῳ τὴν χεῖρα ἔχων πρὸ τοῦ προσώπου. Quod in luctu faciem iniecta chlæna obuelarent. quod dum fieret, pallium, siue chlæna corpori ad stringebatur, manusque ori opponebatur. Inepte Latinus interpres togam Priamo dat, eumque toga inuolutum tectum inducit. Nec minore ineptia Circem, veluti aliquod Romanum scortum, togatam inducit Odys. K. quasi ἀργύφεον φᾶρος μέγα toga sit, non pallium, siue stola candida tenuis, & decora. Nec absimile schema Telemachi in conuiuio Menelai parentem lugentis Odys.

Χλαῖναν πορφυρέην ἄντ' ὀφθαλμοῖιν ἀνασχὼν
Ἀμφοτέρῃσι χερσί.

Nisi hoc ideo factum a Telemacho putemus, vt conuiuas lugens lateret.

Nec chlænas modo induendi, atque amiciendi, sed & insternendi, & incubandi causa sumptas, ex eodem vate apparet eodem libro vltimo Iliados, vbi Achilles iubet Priamo lectum sterni, stragulaque purpurea injici.

Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι δοῦλας καθύπερθεν ἔασθαι

Et

Et Odyſſ. tertio. Neſtor vetat a ſe diſcedere Telemachum, qui in nauibus pernoctare volebat. Sibi enim eſſe molliter dormiendi copiam, & hoſpitibus. non enim eſſe pauperem ſe. τῷ ἔτι χλαῖναι δὴ καὶ ῥήγεα πόλλ' ἐνὶ δώμῳ. *Cui neque chlænæ neque operimenta multa in domo.* Theocritus etiam chlænæ, quę lecto inſternebatur, meminit. Idyllio XVIII.

Ζανὸς τοι θυγάτηρ ὑπὸ ταὐτία ἦλθε χλαῖναν. *Nam filia Iouis tecum vnum ſubit ſtragulum.* Ita & Romæ cubicularia gauſapina in eundem vſum fuere. Martialis. *Cubicularia Gauſapina.*

Stragula purpureis lucent villoſa tapetis
Quid prodeſt, ſite congelat vxor anas?

Atqui chlæna tenuior, ac mollior χλανὶς dicta, & χλανίδιον. Quod Grammatici veteres ἱμάτιον λεπτὸν interpretantur, noſtri *Lænulam.* Quale veſtimenti genus Ciceroni geſtatum exprobrat Calenus apud Dionem lib. XLVI. τὶς μὲν γὰρ οὐχ ὁρᾷ σοῦ τὰ λεπτὰ ταυτὰ χλανίδια; ſi tamen aliquid Græculo illi credendum eſt. Sane vt par ſummorum Oratorum fatum videatur etiam Demoſtheni. Κόμψη χλανὶς, καὶ μαλακὴ χιτωνίσκοι vitio dati teſte Gellio lib. I. cap. V. Menander apud Athenęum lib. IV. inducit Ereſippum hominem luxu perditum ſic cum vxore loquentem.

Καίτοι νέος πότ' ἐγενόμην κἀγὼ γύναι
Ἀλλ' οὐκ ἐλούμην πεντάκις τῆς ἡμέρας
Τοτ' ἀλλὰ νυνὶ οὐδὲ χλανὶδ' ἔχον ἀλλὰ νεῦ.

Quamuis iuuenis aliquando vxor fuerim. Non tamen quinquies laui quotidie illa ætate, ſed nunc. Nec tum lænulam habui, ſed nunc. Male Interpres. *Chlamydem:* quam geſtare non erat indecorum: at lęnula, ſiue chlęnula probro habebatur.

Philoſtratus de Iſęo, quem ait adoleſcentię tempus voluptatibus impendiſſe. καὶ λεπτὰ ἠμπίσχετο. hoc eſt χλανίδια, *tenuia veſtimenta.*

Porro inter χλαῖναν & χλανίδα hoc fuiſſe diſcrimen notat Ammonius ex Tryphone, quod chlęnę veſtimenta eſſent craſſa, quæ & lectis injicerentur, chlęnulę molliores. Chlę-

næ,

nę & gestarentur, & insternerentur lectis; chlęnulę amictui tantum adhiberentur. At inter chlęnam, & chlamydem hoc esse discrimen, quod chlęna Heroum gestamen fuerit, chlamys Macedonicum; illam quadrangulum pallium fuisse, hanc in inferiori parte concluſam.

De Endromide. Quæsitum de voce Trechedipna apud Iuuenalem. Eius Interpres emendatus. *Cap. XI.*

CHlęnę Endromidem adiiciemus, quia Veteres Glossę laudatæ *Gausapum endromidem* dicunt, tum quia non dissimile admodum vestimentum fuisse videtur. Nam pingue, densumque, ac villosum fuit, cuius in palæstra pręcipuus vsus. Dictam endromidem Bayfius, & alii existimant, quod eo genere vestis ἐν δρόμῳ in cursu siue stadio, ac palæstra vterentur. Quos iure Mercerus reprehendit ad Tertullianum de Pallio. Non enim quod cursui apta esset, quid enim currenti magis in commodum? sed quod post cursum, & quod libet certamen vsui esset, ne frigus madidos sudore artus penetraret. Fuisse autem hirsutam, villosam, & pinguem. Verba Tertuliani sunt de Cleomacho, qui ex pugile turpiore palæstra intercutitus factus erat. *Vtique sicut vestigia cestuum viria occupauit, ita endromidis solecem aliqua multitia synthesi extrusit.* Vbi *synthesi* lineo, mollique pallio endromida hirsutam, pinguemque, & soloci filo contextam opponit. Porro *solox pallium* idem Mercerus ex vet. Gloss. τὸ παχὲς crassum, & pingue interpretatur. Primus autem Cl. & Optimus Vir Gaspar Scioppius quid solox filum esset docuit ad Symmachum epist. 1. & in Verisimilibus lib. 1. cap. 1. Verba Symmachi erant. *Quare elaboratam solatij filo accipe cantilenam*: feliciter emendauit *soloci filo*. Cuius vocis notationem a Greco fonte deduxit Salmasius ad eundem Tertullianum.

Pingue igitur, crassumque, & soloci filo contextum vestimenti genus fuit endromis, idque Athletarum peculiare.

lare. Obuium est Martialis Epigramma XIX. lib. IV.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet:
Sordida sed gelido non adspernanda Decembri
Dona peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidumue trigona,
Siue harpasta manu puluerulenta rapis.
Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Siue leuem cursu vincere quæris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neue grauis subita te premat Iris aqua:
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Alibi etiam pauperis munus idem esse ait, sed non vsum pauperis, cum a diuitibus in Gymnasijs adhiberetur. Sumptam autem præcipuè ad pellendum frigus Iuuenalis docet. Sat. III.

. . . igniculum brumæ si tempore poscas
Accipit endromiden.

Vet Interpres. *Endromidem lodicem, qua se cooperiat.* Nam quemadmodum Gausape, chlæna, sic & endromis quà amiciendo, quà insternendo adhibebatur.

Idem cum mulieres perstringit, quę cum viris in palæstra exercebantur, ait

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis nescit?

Vbi non recte Tyrias molliores explicari videmus. Nam omnes omnino endromides pingues, crassæque erant, quippe arcendo frigori. Sed diuites, vt saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura suebant, quales purpureas Homericorum Heroum chlænas fuisse scimus, qualem & Petronij coccinam gausapinam, & apud eundem Iuuenalem coccinam lænam.

Ceterum Græci s endromidas non pro vestibus, sed pro calceis accipi docti pridem obseruarunt ex Polluce lib. III. cap. vltimo. *Endromidas* appellant *cursorum calceamenta.*

Hinc

Hinc Vir doctus illud Iuuenalis

Rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine.

Trechedipna, Galliculas interpretatur parasitorũ ad cœnam currentium. Quod Vet. Interp. habeat *Trechedipna vestimenta parasitica, vt Galliculas Graias currentium ad cœnam*. Sed in veteribus constanter est *Rechedinna*, quam & V. Interp. tuetur neq; tamen satis explicat. Verba eius afferam, vt meliora reddam. *Rechedipna vestimenta parasitica, vt caligulas Graias currentium ad cœnam. Niceteria. Vestes peregrinas victis conuenientes; Vel Rechedipna est ipse, qui cœnam facit, vt sit ordo. O Quirine ille tuus rusticus rechedipna sumit, & fert niceteria collo ceromatico, & est sensus. En tibi o Romule rustici tui in omnem diffundi luxum iam didicerunt, & palæstris frui, & syllaterijs. Nam & niceteria syllateria sunt, quæ ob victoriam siebant, & de collo pendentia gestabantur*. Infra. *Niceteria vestes peregrinas victis* (Pithœus victoribus) *conuenientes*. Lege. *Vitijs conuenientes*, quod tunc Græcanicis vitijs corrupti Quirites essent. Illud autem *Syllaterijs* recte idem Pithœus *phylacterijs* emendat, nam paulo ante *fracterijs*. Licet inepte Interpres, quod niceteria collo gestarentur ideo phylacteria credidit, siue amuleta victorię causa sumpta, quæ collo gestabantur, & hodie gestantur.

Sed quod ad Trechedipna attinet, licet Græci Trechedipnos appellarint parasitos, vestes tamen aut caligas ita appellatas non memini: neque apud Iuuenalem vlla conuiuij mentio, sed palęstræ, ac ceromatis. & ideo V. Interpres ait. *Ecce in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, & palæstris vti & fracterijs, vt athletæ ad vincendum*. Quare Turnebus lib. III. cap XVII. *Trechedipna vestes Gymnicas interpretatur, & Endromidem* intelligit, quod Iuuenalis alibi endromidem, & ceroma coniuxerit. Inde autem dicta censet, quod Romani adeo Gymnasticis exercitationibus dediti fuerint, vt ad eas tanquã ad cœnam currerent. Quæ notatio vt placere non potest, nec tamen melior succurrit, ita Trechedipna malim vestes Gymnasticas, quam calceos parasiticos interpretari. Nam quod Rutgersius in Varijs Lectio-

nibus veſtes peculiaribus familiarum coloribus diſtinctis intelligit, quas *Liureas* appellant, nimis argutatur.

Tunicæ, ac Lacernæ Gauſapinæ. Cap. XII.

HAec Gauſapinorum veſtimentorum cauſa dicta ſunt. Sed & tunicæ, lacernæ, penulæ gauſapinæ fuerunt. De penulis Gauſapinis infra dicemus. Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. ait *ætate ſua tunicam Laticlaui cæpiſſe texi in modum gauſape*. quod indicat, & alias tunicas aſemas, & vulgares gauſapinas fuiſſe. cum enim laticlauia alijs tunicis ſuperinduereturr, ex vſu vitæ magis fuit interiores tunicas, & corpori propiores hirtas fuiſſe, & villoſas, quam exteriores quæ ornando magis, quam tuendo corpori ſumebantur. Fuere & ventralia gauſapina, de quibus intelligendus Plinius eodem loco, cum ait *ætate ſua in vſum veniſſe ventralia villoſa*. De quibus ſuus erit dicendi locus.

De lacernis gauſapinis Martialis l. VI. Ep. LIX.

Et dolet & queritur ſibi non contingere frigus
Propter ſex centas Baccara gauſapinas.
Optat, & obſcuras luces, ventoſque, niueſque
Odit & hibernos, ſi tepuere, dies.
Quid fecere mali noſtræ tibi, ſæua, lacernæ,
Tollere de ſcapulis quas leuis aura poteſt?
Quanto ſimplicius, quanto eſt humanius illud,
Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas?

Quod de penulis viri docti interpretantur non alio fanè argumento, quam quòd penularum gauſapinarum alibi meminerit Martialis. Non tamen hoc obſtat, quin & lacernæ gauſapinæ fuerint: Primo quia ætate Martialis nondum penulæ in promiſcuo vſu vrbano fuere, ſed tantum in itinere ſumptæ: & gauſapinæ quidem cum ſudum erat, ſcorteæ pluuia cauſa. Præterea iocoſe queritur Martialis lacernas ſuas tenues, ac detritas veluti per iniuriam a lacernis gauſapinis expelli, dicturus alioqui penulas ſuas leues a gauſapinis Baccaræ pænulis extrudi. Quod compro-

bat

bat alias lacernas hibernas fuisse, gausapinas nempe villosas, & hirsutas arcendo frigori, quæ togæ & tunicæ injicerentur, alias leuiores, & æstiuas quæ soli tunicæ loco togarum inductę. Baccara igitur vt plures lacernas gausapinas, quarum non nisi hyeme vsus, ostentaret, optabat frigus, ventosque, ac niues. At poeta, cui artis malo genio detritę, leuesque lacernæ erant, crudeliter illum facere dicit, qui male vestitis hiemem imprecetur, humanius, ac simplicius facturum si ipse vel media æstate gausapinas sumat, luxumq; in nullius iniuriam ostentet. Legendum ergo vt habent veteres editiones.

Quid fecere mali nostræ tibi, sæue, lacernæ?

Vt Baccara nomen viri sit, non fœminæ. Nullum enim mulieribus lacernarum vsum fuisse, alias ostendimus.

Lacernæ æstiuæ. Tritæ, ac leuiores. Iuuenalis, & Martialis explicati. Cap. XIII.

EX his manifestum est Lacernas alia crassas fuisse densoq; filo contextas, hirtas & villosas, quæ & gausapinæ dictæ, quæ ferme albæ erant, & vt loquitur Iuuenalis duri, crassique coloris, & arcendo frigori togis super inducbantur, & tunicis: leuiores alias, ac tenuiores ętate gestatas, superbi fermè coloris, & improbi. Tales Crispino lacernas obiectat Iuuenalis Sat. 1. idq; inter causas cur satyram scribere cogeretur ponit, quod Crispinus Aegyptię plebis pars, Tyrias lacernas gestaret.

Crispinus Tyrias humero reuocante lacernas.

Quem locum veteribus intactum sic nuperi interpretantur, *humero reuocante lacernas, quæ mollitie, vel pondere defluxere.* Sed nec mollitie, nec pondere fluere lacernæ poterant, quę in humero fibula nectebantur. Addunt. *Vel quæ reiectæ sunt in humeros.* Plautus.

Suam qui vndantem chlamydem quassando facit.

Atqui vndantem vestem facit, non qui in humerum rejicit, vel humero reuocat, sed potius qui explicat, & vento

reflandam, atque implendam aperit.

Magnus Aegyptij vernæ luxus fuit, qui lacernas Tyrias ideſt dibaphas geſtaret, ſed maior, & non ferendus, quod plures in die lacernas mutaret, eaſque Tyrias. Hoc eſt, humerum reuocare lacernas, quemadmodum Zoilus apud Martialem toties in hora ſyntheſes mutabat. Sicut autem togas & tunicas alias pexas fuiſſe diximus, alias vſu detritas, idem de lacernis dicendum. Martial. lib. 1. Ep. xc III.

Cerea ſi pendet lumbis, & trita lacerna.

Vbi *cerea* eſt amiſſo candore flaueſcens, & colore ceram referens, vt Turnebus: quod ante Domitius adnotauerat. Idem.

O quantos pariter riſus ſpectata mouebit
Trita Palatina noſtra lacerna toga!

Item aliæ longiores, breuiores aliæ fuere. Idem in ſuperiori Epigrammate. *Cerea ſi pendet lumbis*. Ideſt non vltra lumbos cadit, quemadmodum & tunica eiuſdem Mamuriani.

Dimidiaſque nates Gallica palla tegit.

Et lib. II. Ep. XLVI.

Tu ſpectas hiemem ſuccincti lentus amici.

Ideſt breues & tritas lacernas induti. Non quod lacernæ ſuccingerentur, ſed quod tunica ſuccincta breuior eſſet ſoluta, ita & breuiores lacernas indutum ſuccinctum appellat.

De Amphimallis. Amphitapæ. Iſidorus correctus. Cap. XIV.

QVod ad lacernas, ac reliqua veſtimenta gauſapina attinet his contenti eſſe poteramus, niſi gauſapina cum Amphimallis a viris doctis perperam confundi videremus. *Amphimalla*, enim ex Polluce lib. VII. veſtimenta vtrimque villoſa recte explicarunt; nollem tamen adieciſſent talia eſſe gauſapa villoſa apud Martialē, & Gauſapinas pænulas. Nam diuerſa a Gauſapis Amphimalla fuiſ-

ſe

se vel vnus Plinius docuerit lib. VIII. cap. XLVI. Cum ait *Gausape patris sui memoria cœpisse, Amphimalla autem ætate sua venisse in vsum.* Non aliud ergo discrimen, quam quod gausapa ex vna tantum parte villosa essent, Amphimalla, vt & ipsa vox declarat, vtrimque villos haberent.

Eadem prorsus ratione, qua Ammonius inter Tapetes, & Amphitapetes discrimen posuit. Τάπητες καὶ ἀμφιτάπητες διαφέρουσι. Τάπητες μὲν γὰρ εἰσιν οἱ ἐκ τῆς ἑτέρας μέρους μαλακὸν ἔχοντες. Ἀμφιτάπητες δὲ οἱ ἐξ ἀμφοτέρων. Vbi μαλακὸν pro molli villo, siue pilorum mollitie posuit. Vt eadem res plane fuerit Gausapæ & Tapetes, Amphimalla & Amphitapetes, siue Amphitapæ. Illa ex vna parte, hæc vtrimque villos habentia. Hesychius. Ἀμφιτάπης χίτων ἑκατέρωθεν ἔχων μάλλους. *Amphitapas* vestes teste Nonio Latini dixere. Lucilius Sat. I. lib. I.

Psilæ, atque amphitapæ villi ingentibus molles.

Quæ voces apud Isidorum corruptæ leguntur lib. XIX. cap. XXVI. *Habet enim Sipla & Amphitaba.* Additque de more ineptam notationem *Sipla quasi simplex.* Sed Ψιλὴ μαλλῶν δάπης est tapes villis nudus, siue glaber. Alium Lucilij versum adducit Nonius:

Pluma, atque amphitapæ & aliud quid
Deliciarum.

Item Varro Manio. *Alterum bene acceptum dormire super Amphitapa bene molli.* Vlpianus etiam D. de auro argento Legato. *Amphitapa inter vestimenta virilia recensuit.*

Ergo Amphitapæ siue Amphimalla vtrimque villosa. Pollux lib. VII. τὸν ἀμφίμαλλον χιτῶνα δασὺν, καὶ χιτῶνα μαλλοῖς δασὺν, καὶ ἀμφίμιτον. Aelianus Variæ historiæ lib. III. cap. XL. Ἔθνης δ' ἐστὶν οἷς Σιληνοῖς ἀμφίμαλλοι χιτῶνες. Subjicit hoc vestitu referri vitium sationem, & vinearum palmitumq; hirsutam densitatem. Glossæ Isidori. *Amphibulum birrum, villosum.* Lege. *Amphibalum, siue Amphimallum, birrum villosum.* Male qui birrum vtrimque villosum corrigunt. Nam Amphimallos birrus est lacerna vtrimque villosa.

Lacer-

Lacernarum Forma. Cap. XV.

ET hæc de Lacernarum materia satis dicta sint. Earum formam nobis antiqua monumenta repræsentant. Vt lacerna pallium fuerit Græcanico breuius, ac strictius; chlamyde laxius, ac fusius. Alias nullum inter Græcorum pallium, lacernam, & chlamydem discrimen fuisset. Nam licet initio, vt ante diximus, lacerna nihil aliud fuit, quam vesti s militaris, hoc est ipsa chlamys, credibile tamen est postquam in vsum vrbanum conceſſit, & decori causa quod togæ loco sumeretur, & quia ad propulsandum frigus, latiorem longioremque chlamyde fieri cœptam, vt chlamys vix ad genua pertineret, & fere posteriorē corporis partem velaret, lacerna totum corpus tegeret, & infra genua caderet. Alioqui Martialis Mamurianum non notasset quod trita lacerna lumbis penderet: ideſt, non vltra lumbos caderet.

Fuisse autē pallium Græcanico breuius, & strictius præter veteres figuras ex eo apparet, quod cum Romæ multi palliati Græco ritu essent, multi etiam in prouincijs lacernati, cum omnes tunicati essent, hoc vnum discrimen debuit esse inter Romanum, & peregrinum vestitum. Præterea lacernam vestem fuisse strictam, & angustam docet Artemidorus lib. III. cap. III. cum ait si quis in somnis videat chlamydem, quam alij Μανδύλιν, alij ἐφεστρίδα, alij Βήριον vocant, portendere angustias, & litigantibus damnationem διὰ τὸ ἀμφιέρχειν τὸ σῶμα, quod corpus circū amplectatur, & stringat. Idemque penulam simile vestimenti genus significare.

De Fibulis. An insigne Tribunitium fuerint. Martialis locus expensus. Cap. XVI.

QVoniam autem pallia aperta, & reliqua amicula, quæ tunicæ iniiciebantur ne humeris defluerent, fibula nectebantur: qualiter chlamydes veteres nummi, ac statuæ referunt, ita & lacernas fibula iunctas credi par

est

est, licet in nummis & statuis lacernam adhuc requiramus. nec mirum cum duraturæ in sæcula effigies præstantissimo pacis, aut militiæ cultu formarentur, toga scilicet, chlamyde siue paludamento. Nec amicula modo, sed & tunicas fibulis nexas scimus: quas nempe χιτὰς & χιτωνίσκας dixere. Pollux lib. VIII. ὁ χιτὼν χιτῶνας περόναις κατὰ τὰς ὤμους δήπτο. In quibus fibulæ loco futuræ erant. Porro in togis nullum fibulæ locum fuisse olim vicimus. Fuisse in lacernis eò credimus, quia chlamydes cum fibula, quodque alioqui nisi fibulatæ essent humeris fluxissent, quam quòd apud scriptores fibulæ mentio in lacernis occurrat. Aut certe loco fibulæ futuram fuisse necesse est, vt in Tabula videre licet. Nam quòd illud Ammiani lib. XIV. *sudant sub ponderibus lacernarum, quas in colli exserta singulis ipsis ad nectant*, Marcellus Donatus Fibulis ipsis legat, vox *ipsis* redundet necesse est, deinde quid erit colli exerta. Sed locus ille, licet Cl. Valesius medicinam facere conetur, depositus est, & ne ab Apolline quidem sanandus. Meminit & fibularum Martialis lib. V. Ep. XLII.

Spadone cum sis euiratior fluxo
Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & Idus, Fibulasque, censusque.

Sermo est de molli, atque euirato, cui cum quadringenta essent, insignia equestria, has prærogatiua iactabat. Theatra, & gradus, ius sedendi in XIV. Edicta de separandis equitum subsellijs: Trabeas & Idus Iulias, quibus trabeati transuehebantur, vt omnibus notum. Sed quid sint hic fibulæ, non est facile statuere. Domitius vestem Theatralem intelligit. Sed qualis ista? & quis fibulam vestem dixit? Alij fibulam insigne nobilitatis, & Tribunatus fuisse aiunt. Quod nullo vetustatis testimonio confirmatur. Et quærendum primo fuit, quænam ista fibula. non togæ, aut tunicæ, non lacernæ. nam promiscuus in lacernis etiam eorum, qui non essent equites, fibulæ vsus. Sed Tribunorum aureas fuisse contendunt, laudantque Alexandrum ab Alexandro quasi eius auctoritas tanti esse debeat, vt

pro

pro veterum teſtimonio ſtare poſſit. Saniores Plinium aduocant qui lib. xxxiii. cap. iii. conqueritur auri luxum adeo in militia quoque dura illa, atque horrida adoleuiſſe, vt M. Bruti in Philippicis campis Epiſtolæ repertæ ſint fremente s fibulas Tribunitias ex auro geri. Quæ quidem ex oppoſito ſententiam Alexandri oppugnant. Si enim extrema Rep. fremebat Brutus aureas fibulas geſtari: non ergo illæ inſigne Tribunatus fuere. Cum præterea non conſtet ex Martiale Didymum fuiſſe Tribunum.

Brodęus hiç cenſet fibulas Trabearũ fuiſſe. Sed cum Trabeæ togæ fuerint, nullus in toga fibulæ vſus. Quamquam non ita præter rem fuerit aliquem fibulæ locum in Trabea dare, ad eam nempe cum in equis tranſueherentur contrahendam. Cum Dionyſius in trabeis ſaliorum fibulam agnoſcat lib. ii. ταὶς τηβέννας ἐμπεπορπημένοι. Et ſi alias, nec recte, togam Salijs a Dionyſio dari dixerimus, & trabeas in tranſuectione Gabino cinctu non fibula ſuſpenſas dixerimus.

Veriſimilius eſt, fibulas aureas militari luxu ætate Bruti a Tribunis vſurpatas inualuiſſe per bella ciuilia, vt poſtea Tribunitium inſigne fuerint. Didymum autem Tribunum fuiſſe honorarium, vt & Martialis

Vidit me Roma Tribunum.

Sed adhuc incertum, fibula ea aurea in chlamyde fuerit, an lacernis, an in baltheo militari.

Quidquid ſit, non parum falli eos neceſſe eſt, qui tradunt Tribunos primum vetuſto more aureas fibulas geſtaſſe, deinde pueros, mox ciues, poſtea milites gregarios, demum ijs donatos Equites a Senatoribus claui qualitate diſtinctos. De Tribunis falſum, ex Plinio oſtendimus. Quod pueri, & ciues, id longe a vero abit. Apuleius notat puerum ephebica chlamyda indutum ſiniſtrum tegente humerum. Sed nulla ibi fibula. Quæ ſi adfuiſſet, vtrumque humerum chlamys operuiſſet. Solus Aurelianus earum vſum manipularibus indulſit. Et equeſtri ordini donatas, nullus quod ſciã tradidit. Nã Liuius loquitur de equitibus in exercitu: quos ex equeſtri ordine nõ omnes fuiſſe nemo ignorat.

Fibu-

Fibulæ Vestiariæ figura. Quintilianus explicatus. Pollionis locus expensus. Cap. XVII.

VArias fibulę Vestiarię figuras attulit doctissimus Io. Rhodius in libro de Acia, quem operę pretium fuerit consulere. Maior earum pars adinstar arcus fuit, vt fibula oblonga fuerit & incuruua, acus recta, neruum in arcu exprimen. Quare facile fuerit intelligere cur apud Quintilianum lib. VI. cap. III. Iunius homo longus, niger, macerque & pandus appellaretur *fibula ferrea*. nam quod pandus esset, siue incuruus figuram fibulę, quod macer tenuitatem, quod niger ferri colorem exprimebat.

In Lentulo cui Spinther cognomentū inditum est, diuersa res fuit. nam quod Spintheri histrioni simillimus esset ita appellatus est. Plinius lib. VII. cap. XII. *Eiusdem familiæ Scipioni cognomen Salutio mimus dedit, sicut Spinter secundarum, tertiarumque Pamphilus collegio Lentuli, & Metelli Consulum.* Nam cum Spinteri secundarum partium in comœdia simillimus esset Scipio Lentulus, Spinter inde dictus est, quemadmodum Metellus, quod similis esset Pamphilo tertiarum partium, Pamphilus dictus est. *In quo perquam impertune* subjicit Plinius *fortuitum hoc quoque fuit duorum simul Consulum in scena imagines cerni.* Veteres libri habent *Spinter Secundanus, Retiariusque*, quæ res impulit doctissimum Barbarum, vt de gladiatoribus Plinium interpretaretur, neque animaduertit nullum fuisse in scena gladiatoribus locum. Secundarius & Tertiarius est, quod nuperi reposuerunt secundarum, & tertiarum partium histrio in comœdia: nec erat cur vetus lectio moueretur. Ceterum spintherem fibulam in humeris, aut armillam veteres Grammatici in Plauti Menæchmis interpretantur. Festus: *Armillæ genus, quod mulieres gestare solebant in brachio sinistro.* Quod autem eæ armillæ annulis iungerentur inde Tiberianos spinthrias infando opere tres inuicem colligatos Iosephus Scaliger dictos recte putauit.

Quod autem ad vestiarias fibulas attinet in antiquis monumentis fere omnes orbiculari figura apparent in medio ad instar bullarum protuberantes, vt scilicet in interiori parte duobus vncinulis vtraque vestis pars necteretur. Siue duo semicirculi, aut virgulæ in curuæ vestimentis hinc inde aptarentur, quæ comitterentur, & iniecta acu ingerentur. Philostratus in Vita Apollonij lib. 1. *Puella ambos oculos, marito alterum effodit acubus ad id facinus vsa, quibus vestimentorum fibulas nectebat.* Ita Oedipum sibi fibulis oculos cruentasse ex Tragicis docti adnotarunt. De fibula insignis est Trebellii Pollionis locus in Zenobia. *Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo gemmis dependentibus per vltimam fimbriam, media cochlide veluti fibula muliebri adstricta, brachio sepè nudo.* Vulgatæ editiones habent, *media in Cyclade.* Ex manu exaratis, & veteribus libris duo summi viri *Cochlide* reposuerunt, quod & Egnatius agnoscit. Id vt rectum sit, ita minime expeditum videtur quid sit ibi *limbus.* Vir doctissimus non posse pro vestis extremitate accipi obseruat, sed pro veste ipsa quæ limbum purpureum haberet: quam vestem non fuisse cycladem rotundam, & clausam ex eo conijcit quod indecorum videatur, ad milites zenobiam cum veste muliebri processisse, cum & galeata esset. Sed hercules maior luxus, & notabilior in gemmis quam in veste militaris fœminæ, quæ sexus propria, & muliebriter culta. Atqui in cyclade, quæ clausa, & rotunda nullus fibulæ locus. Quare existimat fuisse sagum vel Imperatoriam chlamydem, quæ cochlide pro fibula nexa. Porro mediam interpretatur fimbriam, quæ in medio fibula clauderetur. Sed numquam fimbria nisi pro extrema vestium parte accipitur, & si sagum, vel chlamys in medio pectore clausa, quomodo brachium exeri potuit? Quare verisimile mihi videtur vestem muliebrem fuisse cycladem scilicet rotundam, & clausam, quæ ne longius flueret, ac pedes more matronali perfunderet, fibula in pectore constricta reuocaretur, & suspenderetur: qualis apud Poetam Penthesilea.

Aurea

Aurea subnectens exerta stringula mamillæ.

Posse autem vocem muliebri abesse crederem. nam glossema olet, & non extare in Regio codice Casaubonus notat. Sed nimis fortasse minuta ista sunt, atque anxia, quare alio orationem vertamus.

De Fibula Theatrali. Martialis explicatus.
Cap. XVIII.

ET quoniam in Fibulæ mentione versamur, pauca de Fibula Theatrali adiecisse non omnino præter rem fuerit. Eius vsum apud veteres fuisse, vt Cantores, & quicumque in Theatro voce placebant, à Venere arcerentur omnes sciunt. Sed qualis ea fuerit non ita compertum est. Communior sententia est, cui Doctissimus Rhodius adstipulatur, fuisse annulum æreum, vel argenteum quo trajiciebatur cuticula, eam partem operiens quam exerceri nolebant. Non quidem, vt falso creditum est, quibusdam totum membrum vnde procreamur transfigens: sed tantum cutem glandis velamen. Quo modo & pueros custoditos scimus, ne pube scens ætas in virilitatem præcipitaretur. Plinius lib. XXXIII. *Iam vero & pædagogia ad transitum virilitatis custodiuntur argento.* Quare Romanæ matronæ cantorum concubitus summopere appetebant, magnoque redimebant. Iuuenalis.

Soluitur his magno Comœdi fibula, sunt quæ
Chrysogonum cantare velent.

Hi namque homines, cùm maiori pretio gratificarentur matronis, quam vocem venderent, patiebantur se refibulari, etiamsi vox deterior fieret. Martialis. *Fibula.*

Dic mihi simpliciter Comœdis & citharœdis
Fibula quid præstat? carius vt. . . .

Quidam tamen fibulam non annulum, sed thecam & vaginam fuisse dixerunt moti auctoritate Martialis, qui lib. XI. Ep. LXXVI. memorat Cæliam, cum promiscuè lauaretur, adduxisse nihilominus seruum, qui ænea theca virorum par-

tes tegebat, quam infra appellat fibulam.

Ergo ne videaris inuidere
Seruo Cælia fibulam remitte.

Salse hoc idem in alia matrona perstringit lib. VII. Ep. XXXIV. cui ait quoties calidis aquis foueretur præsto fuisse seruum succinctum inguina nigra aluta: subjicit.

Sed meus, vt de me taceam Lecania, seruus
Iudæum nulla sub cute pondus habet.

Cur seruus tuus fibulam habet, cum nec ego, nec seruus meus, nec quicumque in balneo est eam habeat? quam Iudæum pondus appellat, quod circumcisi ad velandam gentis infamiam membrum tegerent, quod præcidebant. Præterea Epig. LXXXI. eiusdem libri.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit Comœdis omnibus vna satis.
Hunc ego credideram, nam sæpe lauamur in vno,
Sollicitum voci parcere Flacce suæ.
Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula: Verpus erat.

Quo loco notant Interpretes duo fibularum genera fuisse: Indumentum quo comprimebantur simul, & tegebantur verenda, tum filum æneum, argenteumque præputio traiectum. Vtrumque falsum. Nam neque filum fuisse Celsus indicat, qui a filo fibulam distinguit, & filo exempto fibulam inditam docet: neque vestimentum fuit, quomodo enim eo comprimi, & coerceri pudenda potuere? Annulus ergo fuit promiscuus ex ære, in pædagogiis ad luxum argenteus: isque ne facile solui posset a fabro igne glutinabatur, & ab eodem cum opus esset refibulabatur, siue soluebatur. Quid ergo theca illa & aluta, fibulaque penem vestiens apud Martialem fuit? Nempe subligaculum, & vagina quædam, cuius vsus non ad custodiendam vocem. qui enim fieri poterat, si tam facile remouebatur, & sponte cadebat? sed honestatis causa adhibebatur, præcipue a Iudæis, ad celandam præcisionem qui tamen non infibulati, nec enim poterant, cum pellicula carerent,

quæ

quæ trajiciebatur, quod Iosepho Scaligero negotium facessebat: sed quia fermè, qui infibulati erant, etiam thecam huiusmodi, & alutam gestabant, siue vt laterent, siue ne nimio motu, atque incussu annulus cutem læderet, siue aliam ob causam; propterea improprie eam Martialis fibulam appellauit, quę fibula non erat, sed potius fibulę ipsius tutamen, certe nullus in ea fibulę vsus, qui erat Venerem arcere: atqui huiusmodi theca, siue vagina exaluta, & remoueri facile poterat, & sponte labebatur. Cum prętera Celsus fibulam meliorem dixerit quo leuior: at hęc quæ ad celandum inuenta adeo grauis, vt Iudæum pondus Martialis appellauerit, quo recutitorum inguina trahebantur. Hæc igitur vel subligaculum fuit, vel non multum subligaculo dissimilis, aut campestri. Sed in viam redeamus.

De Fimbrijs. Cap. XIX.

GRammatici veteres Lacernam pallium fimbriatum esse dixerunt; Penulam autem pallium cum fimbrijs longis. Sed vereor ne id suo Marte commenti sint, cum in antiquis monumentis quæ lacernas, ac penulas pręferunt nusquam huiusmodi fimbriæ breues aut longæ appareant. Et tamen Isidorus ideo lacernas dictas putat, quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis vt sunt penularum, vt lacernę quasi laceræ dictæ sint: Somnia. Nam quæ sunt ista fimbriarum capita? Et quomodo minus laxa quàm in penulis? Vtut sit, veteres teste Varrone *Fibrum dicebant extremum, vnde fibræ iecoris, & viscerum extremitates: ita a fibro fimbrias in sagis extremitates esse dictas* subjicit. Nonius etiam fimbriam extremitatem vestium explicat: *Fimbria sunt omnis extremitas.* Nævius Lycurgo. *Vt videam Vulcani opera hæc flammis fieri flora.* Gotofredus: *Fimbrijs fieri florida.* Sed lacunam doctissimus Mercerus deprehendit, & defectum, quod Nævij locus ad aliam notam pertinet, nempe *Flora.* cuius exemplum e Nęuii Lycurgo petur, exemplum fimbriarum librarij incuria omissum sit. Isidorus:

rus: *Fimbriæ vocatæ ora vestimentorum, hoc est fines, ex Græco vocabulum trahentes. Græci enim terminum ὅρον vocant.* Vbi non vnde fimbriæ, sed oræ vestimentorum dictæ sint indicatur.

Quod si fimbriæ non aliud quam vestium extremitates fuere, ineptum esset aliquod vestimentum fimbriatum appellare, cum omnia extremitates habeant. Sed fimbriarum tanquam ornamentorum scriptores meminerunt. Marcellinus lib. XXV. *Vt longiores fimbriæ tunicæ perspicua luceant varietate liciorum effigiatæ in species animalium multiformes.* Suetonius in Cæsare: *Et cultu notabilem ferunt. vsum enim lati clavi ad manus fimbriato.* Ad quem locum Beroaldus & Sabellicus viri ætatis suæ doctissimi quid essent fimbriæ ex Plinio docuerunt, qui *fimbriatæ vrticæ folia esse* tradit, & alibi *fimbriatam auellanæ nucis barbam*, multifariam scilicet in ora recisam. Fimbriæ ergo in extrema vestimentorum parte fila fuerunt, flocciq; dependentes quas nos *Frangias* appellamus; item ipsa vestium extremitas, minutim concisa capitibus in acutum desinentibus adinstar pinnarum, quos ideo *merlos* dicimus. Cicero in Pisonem. *Madentes cincinnorum fimbriæ.* Capilli enim ferro vibrati & in cincinnos tortii in extremitate cùm soluuntur fimbrias referunt.

Porro Cæsaris Dictatoris latum clauum ad manus fimbriatum dupliciter Casaubonus interpretatur. Tunicam laticlauiam manicas ad manus vsque habentem, easque fimbriatas; vel tunicam simpliciter ἀναξωλον, id est ea longitudine, vt brachia tegeret. Quod quomodo fieri potuerit, non satis scio. Tunica enim ἀναξωλος Plutarcho dicitur breuissima tunica. cumque communes tunicæ brachia ad manus vsque non tegerent, multo minus breuiores & angustæ. Duplex igitur Cæsaris luxus notatur, quod manuleatam & chiridotam tunicam laticlauiam gestaret, quodque eæ manicæ fimbriatæ essent: quale ornamentum minime viros deceret.

Nec vestibus modo, sed & stragulis mappisque fimbriæ addebantur. Plinius inter signa letalia recenset *fimbriarum*

curam

curam, *& stragulæ vestis plicaturas*. Petronius Trimalcionem discumbere commodum incipientem describens: *Pallio coccino adraſem incluſerat caput, circaque oneroſas veſte cervices laticlauiam immiſerat mappam fimbrijs hinc atque illinc pendentibus*. Tale & linteum, quo atriensem accinctum describit Phædrus in fabulis.

Ex alte cinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta cirris dependentibus.

Malo enim cirros, siue fimbrias ad linteum Pelusium referre, quo tunica destricta, quam cum doctissimo viro ad ipsam tunicam: nam linteum illud sindon fuit, siue mappa, qua ministri conuiuiorum accingebantur, quæ adinstar Petronianæ fimbriata. Porro *cirratas militares* apud Capitolinum malo cum eodem *fimbriatas* interpretari, quam hirtas, aut villosas.

Ceterum fimbria Græcis est πέζα, κράσπεδον, θύσανος, κροσσός. Quamquam πέζα, & κράσπεδον omnem vestium extremitatem significet, limbum scilicet, oram, laciniam, instita. Theocritus Idyllio II. τοῦ ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις. θύσανος καὶ κροσσὸς proprie fimbriam, qualiter Homerus ἀγκίδα θυσανόεσσαν appellat; & Plutarchus Luculli κρυσωτὴν ἐσθῆτα *chlamydem fimbriatam*. Hanc distinctionem agnoscit Pollux lib. VII. Scribit enim κράσπεδα dici τὰς τελευταίας ὄχθας τῦ ἱματίυ: θυσάνας verò τὰς λεγομένας κροσσὰς. Hesychius Κροσσὰς τὰ κάτω τῶν ἱματίων τὰ ῥαμματώδη, villos scilicet siue floccos, & fimbrias. Ita Suidæ κροσσὸς est μαλλὸς. Quare Marci cap. VI. καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα κἂν τὸ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται, malim interpretari limbum, & laciniam pallij, quâ fimbriam. Ita & Plutarchus in Graccho de Scipione Nasica: Τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Togæ laciniam capiti imponens*.

An-

An Lacernæ cucullum habuerint. Martialis explicatus.
Cap. XX.

ROmanos, cum togati essent, nudo capite incessisse ostendimus: penulam cucullum habuisse dicturi sumus: an lacernati tecto capite fuerint disquirendum est. Lacernas pileum annexum habuisse indicare videtur Martialis lib. XIV. Ep. CXXXII. *Pileus*.

Si possem totas cuperem misisse lacernas,
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Domitius & reliqui notant pileum libertatis insigne Saturnalibus gestatum, quibus cum & lacernæ gestarentur, a paupere causam reddi cur lacernas non mitteret simul cum pileo, quod pauperi facilius esset pileum donare, quam lacernas. Sed lacernæ cum pileo Saturnalibus minime gestatæ, cum syntheses, siue cænatoria tantum induerentur, vt ex Martiale notissimum est. Idem Domitius ad Statium & cum eo Brodæus in Miscellaneis aliam afferunt interpretationem, pilea scilicet ex attritis lacernis confici solita teste Statio Silu. lib. IV. cap. IX.

. . . . . *vsque adeo ne defuerunt*
Cæsis pilea suta de lacernis?

Mihi tamen verisimilius videtur hic pileum sumi pro cucullo, qui cum opus esset simul cum lacernis tegendo capiti sumebatur, vt pauper, qui totas lacernas mittere non poterat, solum cucullum miserit. Nam vt demus, pauperiores pilea ex lacernis confeciisse, pilea tamen, quæ a libertis, & in Saturnalibus ab ingenuis gestabantur ex lana coacta confecta fuisse credere debemus, aliter ægre pluuia arceri potuisset. Statius autem eo loco vilissima, & pauperrimorum Saturnalitia dona per iocum recenset: qualia Martialis inter Apophoreta non adscriberet. Neque pileum ex lacerna confectum proprie quis lacernæ partem diceret.

Quod igitur cuculli cum lacernis sumerentur, pauper qui lacernam mittere non poterat solum cucullum donat.

Idem

Idem Ep. CXXIX. *Cuculli Liburnici.*

Iungere nescisti nobis, o stulte, lacernas:
Indueras albas, exue callaicas.

Mirum est nullum Interpretum veram sententiam assecutum esse. Alij enim togas tinctas rufo colore, cum parum eum retinerent, superinduras lacernas infeciſſe: quasi togæ communes alio colore, quam albo essent, aut cucullum haberent. Alij pallia cucullata dixerunt, quasi lacernis pallia imponerentur: Alij demum contrario sensu albas lacernas cucullis Liburnicis superindutas, cum cuculli lacernis ipsis injicerentur.

Sed cucullus capitis tegmen fuit, vt & partem humerorum velaret, quales a sacris hominibus hodie gestari videmus. Ii cum lacernis sumebantur, vel pluuiæ arcendæ, cum nondum penulæ in vsu intra vrbem essent, vel latendi causa, ita tamen vt separari a lacernis possent, atque amoueri. Vnde ait Martialis

Si possem, totas cuperem misisse lacernas,
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Porro cuculli Liburnici dicti sunt, quod Liburnica lana cõficerentur: de qua Plinius lib. VIII. Illos igitur non bene cum lacernis albis iunctos tradit Martialis, quod colorem male retinentes eundem lacernis affricarent, vt pro albis callaicæ exuerentur. Callaicas autem ab auri colore rutilas dici quidam existimant, alii callainas, ideſt cæruleas a gemmæ colore instar sapphiri.

Cucullus igitur capitis, atque humerorum tegmen densum, ac villosum ad frigus atque imbrem arcendum sumebatur, & ipsi lacernæ, cum opus esset, injiciebatur. Iuuenalis Sat. III. de Curio Dentato.

Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negabit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam
Contentus illic Veneto duroque cucullo.

Vet. Int. *duroque aut crasso habitu, aut quales cucullos habent Perusini. Veneto a colore, aut a prouincia.* Quod autem vile tegumen esset, & præcipue ad latendum, propterea noctu

sumebatur in discursationibus, & ad dissimulandam personam. Idem poeta de Messalina petente lupanar.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Sed nigrum flauo crinem abscondente galero.

Vbi alia res fuit cucullus, alia galerus, quamuis vtrumque capitis tegmen. Nam galerus est capillamentum adscititium, quod & galericulum. Rotundum muliebre capitis tegumentum in modum galeæ factum Vetus Scholiastes interpretatur, quo vtebantur meretrices. Quod vero adjicit, ideo flauum sumptum, quia nigro crine matronæ vtebantur, Grammatici deliramentū est. Quis enim credat matronas omnes nigro, meretrices flauo crine fuisse? & tamen huc Seruius tantus vir misere impegit. Nam ad illud

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Numquam matronis ait *flaua coma dabatur, sed nigra*, mox Iuuenalis versum adducit. Quasi Elisæ, quod futura impudica esset, flaui crines initio proueniissent. Tum in contrariam labitur sententiam. *Aut Flauum* inquit *quia in Catone legitur de matronarum crinibus: Flauo cinere vnctitabant vt rutilæ essent.* Sed credibile est flauum crinem a poeta Elisæ datum ad augendam eius pulchritudinem, & Messalinam, cum nigris capillis esset, flauum galerum sumpsisse, siue ne dignosceretur, siue vt formosior amantibus videretur.

Lacerna pro Cucullo. Item birrhus pro eodem. Bardocucullus. Iuuenalis explicatus.
Cap. XXI.

CVcullum ferme latendi causa sumptum diximus. Capitolinus in Vero. *Vagabatur nocte per tabernas, & lupanaria obtecto capite cucullione vulgari viatorio.* Iuuenal. Sat. VI.

Illa iubet iuuenem sumpto properare cucullo.

Ne scilicet dignosceretur in itinere, cum matronæ fucum factum properaret. Quia autem, vt diximus, simul cum lacerna

cerna sumebatur, ideo lacerna pro cucullo, & capitis tegumento sumitur apud Horatium

Turpis odoratum caput obscurante lacerna.

Et quia lacerna, & birrhus, vt dicemus, eadem res fuit, inde birrhus pro pileo, siue cucullo. Iuuenalis Sat. VII.

quo te nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?

Vet. Interpres *Birrum Gallicum* explicat. nam apud Santonas Galliæ oppidum, conficiebantur. Fulgentius lib. III. aduersus Monimum. *Itaque cum Arrianus quidam aliquando in Africa cum Catholico de his verbis Ioannis disputaret accepto de capite Catholici pileo, & manu tenens interrogabat. Hic Byrrhus, sic enim appellabat, est ne in me, an apud te?* Inde birretum profluxit. Porro idem vetus Iuuenalis Scholiastes *Santonicum cucullum* explicat *galerum fuscum & horridum Ardeliunculum, quales sunt latrunculatorum, aut ex lucerna turpi intinctum.* Quodquid sit, diuinare non possum, nec Rutgersio assentiri, qui Albelionem legit. Illud certum est bardo cucullum hic a Iuuenale notari. Martialis.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo
Cercopithecorum penula nuper erat.

Quo viliſſimum tegumenti genus fuisse apparet, vt per ludibrium eam simiorum penulam fuisse dicat. Quod lib. I. Ep. LIV. confirmat:

Sic interpositus vitio contaminat vncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Vbi placet quod docti reposuerunt, *villo contaminat vncto.* Nam lacernis vrbanis purpureis Gallicum cucullum villosum, & vnctum opponit.

Sed incerta nominis notatio. Turnebus, & alij a Bardeis Illyrii populis deducunt ex Vetere Glossario. Quod si placet, dicendum est, vestem in Illyrico inuentam post apud Gallos texi, atque in vsu haberi cœptam. Nam qui a Bardis Gallorum vatibus, aut a bardis fatuis & stolidis originem trahunt, næ illi parum a bardis absunt. Huc quidam trahunt illud Martialis:

Lassi Bardiacus quod cuocati.

Vt sit bardiacus, siue vt alij habet Bardaicus cucullus, siue sagum militare ex pilis caprarum, quo milites in castris vtebantur, quod sentit Domitius. Non tamen grauem bardiaci odorem, quod pili hircini male oleant, sed ex sudore, & sordibus manipularis defatigati.

Eadem vox apud Iuuenalem extat Sat. XVI.

Bardaicus Iudex datur hæc punire volenti,
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ.

Veteres interpretes, quos sequitur Vir Doctissimus ad Historiam Augustam, calceum bardaicum intelligunt Sed verior Britanici interpretatio de sago, siue cucullo bardaico, idq; ex sententia poetę. Datur Iudex Bardaicus grandisq; calceus, ideſt caliga, vel cāpagus, & grandes surę, per quæ omnia describitur Tribunus, vel Centurio. Vet. Interpres. *Bardaicus Iudex Centurio, qui quasi apud illos militauit habentibus stationem apud Bardos. est autem gens Galliæ, vel qualis fuit Bardus.* Corruptè. Rutgersius legit *qui Oasi inter illos militauit*, sed reliqua repugnant: nam Oasis in Aegypto. Turnebus militarem Gallicum interpretatur; siue a Bardis Galliæ, siue a Bardis Illyrii. Simplicior sententia est *Bardaicus Iudex*, ideſt bardo cucullo vestitus, siue ille ex craſſiore lana, siue ex caprarum pilis, & cilicio confectus. Qualem propterea Centurionem fortasse hirsutum capellam audacter appellat idem poeta alibi, non tam quod capillis, ac barba promissa, sed quod sago hirsuto atque villoso indueretur. Gemina Claudiani, sententia Lib. I. in Rufinum

Mœrent captiuæ pellito Iudice leges.

Bardaici cuculli meminit & Capitolinus in Pertinace. *Auctio rerum Commodi in his insignior fuit. Vestis subtegmine serico aureis filis insignior per tunicas, penulasque, lacernas, & chiridotas Dalmatarum, & cirratas militares, purpureasque chlamydes Græcanicas, atque castrenses: & cuculli Bardaici, & toga, armaque gladiatoria gemmis auroque composita.* Casaubonus corrigit *Vestes s. s. a. f. insigni opere tunicas &c.* quo

loco

loco intelligendum putat Salmasius *vendidit*. Sed cucul-li Bardaici & toga armaque in recto casu sunt, nec ad *vendidit* referri possunt. Ego nihil mutandum censerem. Vestis insignior fuit subtegmine serico aureis filis per tunicas penulasque &c. quod omnes hę vestes recensitæ aurea trama & serico stamine (hoc enim subtegmen hic significare Salmasio assentior) contextæ essent. Tum sic interpunge. *Chlamydes Græcanicas, atque Castrenses. Cuculli Bardaici.* & reliqua. Quid enim insigne in his vestibus fuisset, nisi quod contra morem Romanum auro, & serico confectæ erant? Ita Caligulam tradit Tranquillus solitum pictas gemmatasque penulas gestare. Quod autem hæ vestes partim in quarto casu legantur, partim in recto non aliam causam afferre scio, quā culpam eius, qui incuriose has vitas consarcinauit. Non recte autem idem Causabonus in sententiam Fabri concedit existimantis mendum esse in voce *toga*, & reponentis *sagum*, quod nullus in gladiatorio vestitu togæ locus. Falso. Nam gladiatores togati per pompam incedebant, cum in arenam inducebantur.

Cucullus Monachorum. Eius figura. Cadurcum. Iuuenalis explicatus. Cap. XXII.

NOn bardocucullus modo, sed quicunque cucullus vilissimum tegmen fuit. Martialis:

Pullo Mauius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

Quam causam fuisse puto, vt Faber seruilem vestem crediderit, quem satis antea refutauimus. Vere etiam serui cucullati. Sed & liberi, vt ex allatis poetarum locis & alijs pluribus liquet. Martialis de Manneio, qui non modo ingenuus, sed etiam pro equite se venditabat. lib. v. Ep. XIV.

Illic cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat inderens vno.

De seruis Columella lib. I. cap. VIII. *Cultam vestitamque familiam magis vtiliter, quam delicate habeat, munitam diligen-*

ligenter à vento, frigore, pluuiaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis (ideſt tunicis ſcorteis manuleatis) *centonibus confectis, vel ſagis cucullis*, vbi malim *cucullatis*. Propter eandem cauſam antiquis Aſcetis, ac Monachis cucullus adhibitus arcendo ſcilicet frigori, cœlique iniurijs. Aliam affert D Hieronymus. *Sedentes autem cucullis capita ſua velent, ne alter alterum aſpiciat manducantem.* Nunc Monachi Capitium a tegendo capite vocant: ſed Capitium, teſte Varrone, alia res veteribus fuit. Scotorum doctiſſimus non illepide in genus quoddam hominũ ludit, quod ſexus ignoratione barbare, ac præpoſterè cucullam appellent, & ſic velut in naturam inuertant. Sed vt arbitror iſtis latinitatis oſoribus cuculla eſt contracte veſtis cucullata, ſiue habens cucullum, qualis Benedictinorum.

Nec eadem apud omnes nunc cuculli forma, alijs acuminata, alijs rotunda. Mirorque tantum otij viris grauibus, & vanitatis contemptum profeſsis ſuperaſſe, vt longis, atque aculeatis commentationibus diſputauerint Diui Franciſci cucullus acuminatuſne fuerit, an rotundus: quaſi in hoc Chriſtianæ Reip. ſalus niteretur. Sanè veterum cuculli oblongi, & in acumen deſinentes. Nam per ſimilitudinem cucullos appellauerunt chartæ inuolucra, quibus thus, piper, & alia odoramenta tegebantur Martial. lib. III. Ep. II.

Cuius vis fieri, libelle, munus?
Feſtina tibi vindicem parare.
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro:
Vel thuris, piperiſque ſis cucullus.

Eorum autem forma etiam hodie oblonga, & in acutum inuoluta.

Porro cucullum Græcæ notationis eſſe facile Doctiſsimo Salmaſio aſſentior. Nam Κόκκος eſt Galea, vel Galerus. Heſychius. Κόκκος περικεφαλαία λόφος. Vnde Cucus, & per dimmutionem cucullus, vnde & cucullio, cuius mentio apud Capitolinum in Vero. Figuram cuculli infra, cum de-

pænu-

pænulis agemus, dabimus. Vetus Iuuenalis Interpres ad Sat. VII. notat cucullum album cadurcum appellatum.

Institor hiberna tegetis, niueique cadurci.

Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum propter hiemes & niues comparatum, aly tabernaculum, aut tentorium, quibus merces suas protegere consueuerunt. Sed hic pro vili merce tam cadurcum, quam teges ponitur. Sententia autem poetæ est, de mercede, siue minerali Grammatici præmordere aliquid pueri custodem, quin & dispensatorem eandem delibare. Hortatur porro Grammaticum, vt patiatur detrahi potius aliquid, quam totum perire: quemadmodũ mercium vilissimarum institor patitur aliquid de solito pretio imminui potius, quam nihil vendere. Hoc intellexit idem Vet. Interpres. *Institor hiberna tegetis. Negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. nam cum illa sint vestimenta, vel stragula hiberna, institor mutiori hieme patitur vilius distrahi ac aliquid de pretio perire potius, quam non vendere: ita & præceptor de minerali pretio aliquid decimari, quam vt totum pereat.*

Cadurcum igitur vestis stragula siue lodix ad frigus arcendum densa scilicet, & villosa. Idem Interpres ad illud.

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Cadurcum membrum, quo fœminæ sunt, explicat, vel membri velamen, vel institam, qua lecti intenduntur. Affert carmen Sulpitiæ:

Ne me cadurcis destitutam fascijs
Nudam Caleno concubantem proferat.

Sed de lodice, & stragulis, non de institis, loquitur Sulpitia. Ne scilicet, inquit, remotis cadurcis fascis siue stragulis nudus concubitus appareat. Etiam Isidori Glossæ *Cadurcum, siue Cadurcum membrum fœminæ, & cadurda labra pudendi muliebris, siue spondam lecti* interpretantur. quod a veteri Interprete Isidorus accepit. Sed non aliud cadurca fuere, quam lodices & stragula, & culcitę ex lino Cadurcensi, quæ apud Iuuenalẽ pro lecto sumuntur. Nam cum in Sacris Isidis

per

per nouem dies fœminæ ſecubarent, ſi per eos dies mariti matrimonij ius vſurparent a ſacerdotibus petenda erat concubitus venia, magnaq; pœna debebatur violato lecto, ſiue cadurco. Miror autem viros doctos prodidiſſe horum carminum ſententiam a nemine rectè explicatam. Nam Britanicus Interpretum Iuuenalis doctiſsimus ante multos annos *violatum cadurcum*, non ſeruatam caſtitatem interpretatus eſt lecti coniugalis, per nouem dies, quibus ſacra Iſidis peragebantur. Idque ex Propertio:

Triſtia iam redeunt iterum ſolemnia nobis
Cinthia iam noctes eſt operata decem.

Cadurcum autem lectum ex lino Cadurcenſi. Plinius enim lib. xx. *Nullum eſt candidius linum, lanæue ſimilius: ſic eulcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent Galliarum.*

De Colore Lacernarum. Martialis non vno in loco explicatus. Cap. XXIII.

LAcernas pulli coloris fuiſſe credit Manutius in Quæſitis. Nam Suetonius tradit Auguſtum viſa pro concione pullatorum turba indignabundum exclamaſſe: E

Romanos rerum dominos gentemque togatam!

Negotiumque Aedilibus dediſſe, ne quem poſtea paterentur in foro, circoque, niſi poſitis lacernis togatum conſiſtere. & paulo poſt. *Sanxit ne quis pullatorum in media cauſederet.* Non omnes tamen lacernas fuiſſe pulli coloris nemo poteſt dubitare, qui & albas, & Bæticas, & coccineas & Tyrias apud Martialem, & alios legerit. Solæ tenuiorum, ac pauperum lacernæ pullæ fuerunt: has ſolas vetuit Auguſtus, cum alterius coloris in promiſcuo vſu eſſent.

Iocum Martialis ſupra retulimus in Horatium, qui cum ſolus nigris lacernis ſpectaret, omni populo cum Cæſare ac Senatu albato, commodum cœlo nix decidit, atque ita etiam Horatius albis lacernis ſpectauit. Alibi de lacernis

Indueras albas, exue Calaicas.

Coccineæ, etiam & Tyriæ ſiue dibaphæ in promiſcuo v

ſub

sub Imperatoribus fuerunt etiam vilissimorum hominum, & peregrinorum. Iuuenalis Sat. I.

Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi.
Crispinus Tyrias humero reuocante lacernas.

Idest dibaphas, & bis tinctas, & ideo pretiosiores. Idem alibi indignatur Græcorum fecem conchyliatam incedere. Sat. III.

Horum ego non fugiam conchylia?

Id est lacernas conchyliatas. Vet. Interpres *Vestem fucatam*. Mox subijcit *& togæ erubescendæ fucatos habitus*. Sed fallitur. nulla enim in togis communibus purpura. Quæ sequuntur etiam corrupta sunt. *In capitium purpuram, quasi conchylia signant*. Georgius Valla, qui veterem interpretem Probum vocat, & ex eo pleraque sumpsit, vsus fortasse meliori libro sic legit. *Conchylia, capitia purpurea ita flagrantia, vt conchylia ipsa videri possint*: vbi capitia sunt lacernæ cum cucullo siue capitio. Martialis lib. II. Ep. LVII.

Hic quem videtis gressibus vagis lentum:
Amethystinatus media qui secat septa,
Quem non lacernis Publius meus vincit.

Et lib. V. Ep. VIII.

Dum laudat modo Phasis in Theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis.

Et lib. IX. Ep. XXIII.

Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas.

Libro X. appellat *municipes Cadmi*, ideſt Tyrias, & inter dona natalitia mitti solitas docet lib. XIII. *Murices*

Sanguine de nostro tinctas ingrata lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Hinc ingens earum pretium. Idem lib. IV. Ep. LXI.

Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ.

Et lib. VIII. Ep. X.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi.

Vtrobiq; ducentis & quinquaginta florenis stetere lacernæ.

Seneca etiam lacernas purpureas intellexit epistola LXII. *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror.* Ideſt relictis lacernatis. Et epistola LXXVI. *Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis quam ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabulæ assignant.*

Nec purpureas modo, sed varijs coloribus infectas lacernas in vsu fuisse docet Martialis lib. I. Ep. XCVII.

Amator ille tristium lacernarum
Et Bæticatus, ac Leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes
Natiua laudat: habeat & licet semper
Fuscos colores: Galbanos habet mores.

Natiua iste laudabat, ideſt natiuos lanæ colores, qualis lanæ Bæticæ cuius color natura subrutilus. Idem lib. XIV. *Lacernæ Bæticæ*

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

Natura igitur, non arte & infectura color ille lacernarum erat. *Leucophæatum* colorem ex λευκῷ albo & φαιῷ subnigro mixtum recte interpretatur Merula, nugator alioqui homo, & impudenti maledicentia Domitij obtrectator.

Tristes igitur lacernas appellat poeta natiui, ac subfusci coloris: quales a viris seueris gestabantur, quos puderet induere colores improbos & feminarum proprios. Cur autem Galbanos mores dicat non satis scio, & aliquid latere debet. Nam quòd Turnebus, & Lipsius putant dictos molles & effeminatos quia hic color feminarum ex Iuuenale:

Cœrulea indutus scutulata, & Galbana rasa.

Cur non potius Tyrios mores & Amethistinos dixit, qui colores pretiosiores, & feminis magis conuenientes? cum Galbeus color eorundem interpretatione vilis fuerit, herbaceus scilicet, & ideo exigui pretij. Multo minus audiendi, qui Galbanos mores dicunt instar Galbæ Imperatoris. Quis enim Galbam hoc crimine vnquam notauit? cum potius

tius nimius illi rigor, & seueritas obiecta sit. nam quod in mares pronior fuerit, nihil ad mollitiem, nec id vnius Galbæ vitium.

Lacernæ Coccineæ. Coccina. Martialis, & Quintilianus explicati. Cap. XXIV.

LAcernæ igitur purpureæ Tyriæ scilicet, Amethistinæ, item coccineæ in vsu fuerunt apud ditiores, ac lautiores. Idem Martialis lib. II. Ep. XXIX.

Quæque Tyron toties epotauere lacernæ.

Id est, non semel sed sæpius purpura infectæ.

Et toga non tactas vincere iussa niues.

Vbi apparet etiam purpureas togæ albæ superinductas. Et epigram. XLIII.

Misit Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus.

Ex quibus constat inferioris pretij fuisse lacernas cocco, quam purpura infectas. Nam coccineas & pauperiores gestabant, & quidem vix tribus nummis taxatas, vt iocatur Martialis hic inuidiose. Coccinearũ, quæ & simpliciter *Coccina* dicebantur meminit idem lib. XIV. *Lacernæ coccineæ.*

Si Veneto Prasinoque faues, qui coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte vide.

Qui enim Circi factionibus fauebant, factionum colores vestimentis præferebant, & Venetorum studiosi cœruleas, Prasinorum virides gestabant.

Quamuis autem inferioris pretij coccineæ purpureis, nihilominus, & coccineæ, siue *Coccina* in pretio. Iuuenalis.

Cauet hunc quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longissimus ordo.

Et Martialis lib. V.

Cum sibi redire de patruelibus fundis
Ducenta clamet coccinatus Euclides.

Alibi.

Cocco mulio fulget incitatus.

Et lib. IV. iocatur in Baſſum, quem ait indutum fuiſſe herbarum colores, virides ſcilicet, galbeos, & ſimiles, dum promiſcue in Theatro ſederetur: at poſtquam Domitianus legem Roſciam reuocauerit, vt Equites tantum in Quatordecim ſederent, Baſſum, vt videretur Eques, purpuream, aut coccineam lacernam geſtaſſe.

Non niſi vel cocco madida, vel murice tincta
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.
Quadringentorum nulla ſunt Baſſe lacernæ:
Aut meus ante omnes Cordus haberet equum.

Poſſet videlicet Eques eſſe quicumque coccinam, aut purpuream haberet lacernam. Alio loco ait a Zoilo fingi morbum, vt occaſionem haberet oſtentandi coccina ſtragula. Demum alibi

Coccina famoſæ donas & Ianthina mœchæ.

Cur ergo poeta lacernas ſuas coccinas, ſiue coccina opponit purpureis, & vix tribus nummis vendi poſſe ait? Quidam Ironicè locutum putant. Sed nullus hic Ironiæ locus. Lacernæ tunc omnes commodiorum ferè purpureæ erant, aut coccineæ: vt propterea, & coccina dicerentur. Martialis lacernæ, vt poetam decebat, longo vſu obſoletæ erant, ac detritæ. Alibi

Quare ergo habes tam malas lacernas?

Et ideo, licet coccineas vix tribus nummis æſtimari potuiſſe dicit: potuere etiam alterius vilioris coloris eſſe, vt ruſſi, & ſubrutili, & improprie coccinas appellare.

Quod autem lacernę vulgo coccinæ eſſent, teſtatur Quintilianus lib. XII. cap. X. loco inſigni, ſed perobſcuro, quē totū adſcribam, vt facilius intelligatur. *Falluntur enim*, inquit, *plurimum, qui vitioſum, & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſciuit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur, aut caſuris ſi leniter excutiantur floſculis nitet, aut præcipitia pro ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit, magis exiſtimant populare, atque plauſibile.* Mox ſubijcit: *Vbi vero quid exquiſitius dictum accedit auribus imperitorum, qualecunque id quod*

modo

modo se ipsi posse desperent, habet admirationem. Neque immerito, nam ne illud quidem facile est. Sed euanescunt hæc atque emoriuntur comparatione meliorum, vt lana tincta fuco citra purpuram, placet: at si conferas etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur, vt Ouidius ait. *Si vero iudicium his corruptis acrius adhibeas, vt buccinis purpuram, iam illud quod fefellerat exuat mentitum colorem, & quadam vix ennarrabili fœditate palleſcat.* Ait magnus Rhetor corruptum, & vitiosum dicendi genus imperitorum auribus esse plausibile. Sed si cum recto, & meliore comparetur, non secus euanescere, quam lanam fuco tinctam, si aut cum lacernæ cocco, aut cum Tyria purpura componatur. Fucus enim erat herba marina rubens, qua lana inficiebatur. Plinius lib. xxvi. cap. x. *Præcipue vero liberat eo malo phycos thalassio, ideſt fucus marinus lactucæ similis, qui conchylijs substernitur. Tria autem genera eius, latum, & alterum longius quadantenus rubens cortium crispis folijs, quo in Creta vestes tinguntur.* Seruius etiam ad illud:

Spiramenta linuntur, fucoque & floribus oras:
Genus est herbæ, vnde tinguntur vestes.

Quadantenus igitur rubebat fucus, eoque viliorum lana tingebatur. Sed quia ad purpuræ colorem accedebat, siue mentiebatur, inde mentitus ille color pro fraude accipi cæpit. Hinc *facere fucum mulieri* apud Terentium, quod *fraudem, & insidias, sub quibus occultatur veritas*, Donatus interpretatur. *Sine fuco*, ideſt simpliciter & aperte, & *merx sine fuco* apud Horatium. Idem Quintilianus lib. ii. cap. xv. *Mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiantur.* Inde vnguenta, & medicamina, quibus natiuum ruborem feminæ mentiuntur, fucus dictus est. Hinc vitia corporis fuco occultare. *Et fucare formam*, & similia.

Lana igitur inquit Rhetor *fuco tincta citra purpuram*, (ideſt minime comparata ad vestes purpureas,) *placet: quod si conferas lacernæ*, (ideſt si cum lacernis, quæ vulgo cocco tingebantur,) *comparetur conspectu melioris obruitur*, nec placere potest; multo minus, si cum *buccini purpura* (ita enim legendum est) componatur: tunc enim mentitus ille color

fæde

fæde palleſcebat. Nam purpura, ſiue murex marinus cocco pretioſior: buccinum autem præſtantiſſimum, auctore Plinio, licet eodem teſte ſolum damnaretur, quod fucum remitteret, ideſt tincturam, & ideo pelagio admiſcebatur. Recta igitur lectio eſt, rectaque ſententia. *Si vero iudicium his corruptis* (fucatis) *adhibeas, vt buccini purpuram* (cum fuco conferas) *iam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate palleſcat.* Quamquam fucum poſtea pro omni tinctura etiam purpuræ ſcriptoribus vſurpatum ſatis conſtat.

Licet autem in vſu Tyriæ eſſent, ac coccineæ, reprehenſi tamen qui eas geſtarent. Martialis loco laudato:

Qui coccinatos non putat viros eſſe
Amethiſtinaſque mulierum vocat veſtes.

Seneca Ep. CXIV. *Quod vides iſtos ſequi, qui aut vellunt barbam, aut interuellunt, qui labra preſſius tondent, & abradunt, qui lacernas coloris improbi ſumunt. Improbum colorem* recte Lipſius interpretatur purpureum, vel coccineum: quod inſolens is color tempore Senecæ. Immo & Martialis lib. V. Ep. VIII.

Illas purpureas & arrogantes
Iuſſit ſurgere Lectius lacernas.

Recte inquam Lipſius, quem immerito reprehendit Ramireſius: nec recte interpretatur Maſambertius colorem improbum, ideſt iteratum. Nam improbus color qui viris modeſtis, ac probis haud probabatur.

Cum tamen vt diximus in promiſcuo vſu eſſent. Et videntur Tiberij æuo cœpiſſe, quod nō tam lege, quam exēplo eius coercitum. Dio lib. LVII. *Nam cum multi veſtem purpuream* (intellige lacernam) *geſtarent, quamquam vetitum, nec reprehendit, nec mulctauit quemquam: ſed pluuio tempore in ludis φαιὰν μανδύην ἐπενέδυ, atq; ſic effecit, ne quis alius veſtem inconceſſam ſumere auderet.* Vbi male Interpres, & Lipſius *penulam* verterunt. Nam μανδύης proprie lacerna. & ſic eam Artemidorus appellat, & a penula diſtinguit. Nec ætate Tiberij penulæ in vſu Vrbano fuere, & vt fuerint, non in

tan-

tantum luxus excesserat vt purpureæ penulæ tunc gestarentur.

Causarum patroni in Lacernis purpureis. Vestis prælo splendens. Canusinus color. Cap. XXV.

AEtate Iuuenalis, hoc est sub Domitiano, ac Nerua, & fortasse Traiano causarum patroni in lacernis purpureis. Sat. VII.

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Causidicum vendunt Amethystina, conuenit illis
Et strepitu, & facie maioris viuere census.

Vbi de lacernis loquitur poeta, non de lato clauo. Alioqui omnes causidicos Senatores fuisse oportet, & laticlauios. Lacernæ ergo purpureæ clientes alliciebant: nam lacernas in causis adhibitas alias docuimus ex eodem poeta:

Iam facundo ponente lacernas

Cœditio.

Quamquam non ita compertum mihi sit, fueritne ille Cœditius patronus, an Iudex: & si patronus fuit, quia illum facundum appellat, cur posuerit lacernas: non quod defatigatus esset expectando, non enim mora æstum affert: neque dicendo delassatus, nondum enim causa cœpta erat. Fortasse quia dicturi lacernas deponebant, in quo tamen hæsito, cum Auctor, Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ etiam penulas in agendo adhibitas dicat. Videant ergo eruditi.

Præter purpureas, coccinasque lacernas, quas lautiores & delicatiores gestabant, varijs passim coloribus in vsu fuisse indicat illud Martialis supra allatum:

Indutus fueras herbarum Eassе colores.

Et alibi.

Florida per varios vt pingitur Hybla colores
Cum berue Sicaniæ ver populantur apes.
Sic tua suppositis perlucent præla lacernis.

Quæ nempe prælis subiiciebantur, vt splenderent. Seneca de

de Tranquillitate cap. I. *Non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus, aut tormentis splendere cogentibus pressa.* Idem togam prælo pressam perlucentem appellat Epist. CXIV. *Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam:* ideſt prælo splendentem, non sericam, aut bombycinam, vt interpretatur Lipsius. Nam aliud est hominem pellucere, aliud ipsam vestem. Homo per vestem sericam, ac bombycinam pellucebat, vt Creticus apud Iuuenalem. At vestes prælo pressæ splendebant ipsæ, quamuis densæ, & ex lana. Prælorum meminit Ammianus lib. XIV. ac pressoria vocat. *Solitis pressorijs vestes luce nitentes arbitra diligenter explorant.* Recte Lipsius *solutis*.

Vulgo tamen lacernæ fuscæ, aut pullæ vsurpatæ: vnde pullatus circulus, & pullata plebs. Præcipuè autem ex lana Canusina fiebant, cuius natiuus color turbato mulso similis, vt ait Martialis lib XIV. Ep. CXXVII. *Canusinæ fuscæ.*

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit, gaude: non cito fiet anus.

Nam licet docti ibi Canusinas penulas interpretentur, potest etiã illud de lacernis accipi. Nam hinc Canusini Birri dicti sunt, qui lacernæ fuerunt, non penulæ. Vopiscus in Carino. *Donati sunt ab Atrebatis Birri petiti; donati Birri Canusini.* Porro fuscus color, non niger est, sed ex fuluo, rufoque mixtus, quem castaneum, & subnigrum appellant, Veneti roanum obscurum, Insubres tanetũ, quasi castanetum. Præter Canusinas fuscas fuere & rufę tam lacernæ, quam penulæ. Idem paulo infra. *Canusinæ rufæ.*

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

Lacernæ Canusinæ fuscæ magis in vsu Romæ erant, in Gallia rufæ; licet hoc colore Romæ etiam pueri & milites gauderent. Fuere quidem penulæ Canusinæ, de quibus infra. Lanam enim canusinã penulis vtilem Plinius commendat lib. VIII. cap. XLVI.

De Birrhis. Atrebatici vnde dicti. Alij alijs pretiosiores. Cap. XXVI.

SEd quia temporum successu ferme lacernæ rufi coloris vulgo vsurpabantur, inde simpliciter *Birrhi* dictæ sunt. Isidorus lib. XIX. cap. XXIV. *Birrus a Græco vocabulum trahit, illi enim birrum birrum dicunt.* lege πυῤῥὸν. Nam πυῤῥὸς rufus, rutilus. Plato in Timæo: πυῤῥὸν δὲ ξανθῷ τε, καὶ φαιῷ κράσει γίνεται. φαιὸν δὲ λευκῷ τε καὶ μέλανος. Seruius ad illud: primoque in limine Pyrrhus. *Pyrrhus* inquit *a colore comæ dictus: qui Latinè byrrus dicitur.* Quidam πυῤῥὸν fuluum, interpretati sunt, vt ex flaui ac fusci commixtione conficeretur. Sed rectius est H. Stephani sententia rufum interpretari, cum Plinio, qui illud Aristotelis de regibus apum, ὁ μὲν βελτίων πυῤῥὸς ὁ δ' ἕτερος μέλας, καὶ ποικιλώτερος, vertit *melior rufus quam niger, variusque*. Festus. *Burannica potio appellatur lacte commixtum sapa a rufo colore, quem burrum vocant. Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum, vnde rustici burram appellant buccubam quæ rostrum habet rufum.* Glossæ Isidori. *Birrus, rufus.*

Πυῤῥὸς igitur siue rufus color lacernis Birri, siue Birrhi nomen dedit, vt pluribus docuit ad illud Vopisci in Carino Cl. Salmasius. *Donati sunt ab Atrebatis birri petiti: donati birri Canuisini*, Horũ color, vt paulo ante notauimus, turbato mulso similis, flauo scilicet, & subnigro temperatus.

Fuisse autem Birrhos lacernas, non penulas, docet Artemidorus. lib. II. cap. III. Χλαμὺς δὲ ἐὼ ἔνιοι μανδύαν, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βίρριον καλοῦσι. Vet. Interpres Persij *Scis comitem horridulum trita donare lacerna. Scis birrum inquit attritum comiti condonare.* Et Suidas in voce Ατραβατικὸς, qui ehlamydes appellat. ἐνδὲ ταῖς κοιναῖς συνόδοις χλαμύδας ἐνεδύοντο ξυραμπελίνας, ἃς ἐκάλουν Ἀτραβατικὰς ἀπὸ τῆς χρώματος. τὸ γὰρ μέλαν ἄτρον καλοῦσι. Inepte Atrebaticas ab atro colore dictas putat. nam Atrebaticæ a populis Atrebatibus dictæ. Vopiscus in Carino. *Donati sunt ab Atrebatibus birri petiti.*

Appellat autem Chlamydas *Xerampelinas*, quod eo colore essent, qui est foliorum vitis arescentium, rufus scilicet ex flauo, & fusco temperatus. Nam qui atrum colorem, siue pulliginem interpretantur, cum Suida decipiuntur. Xerampelinarum meminit Iuuenalis Sat. VI.

Et Xerampelinas veteres donauerit ipsi.

Vet. Interpres. *Vestes ampelini coloris, qui inter coccinum, & muricem medius est*, quod scilicet coccineus color clare rubesceret, muricis pressior esset, ac subobscurus, vt *Xerampelinus* sit rufus ex flauo & fusco temperatus.

Birri igitur lacernæ fuerunt rufi coloris. & quemadmodum lacernæ materia, & colore aliæ aljis pretiosiores, ita & birri. Quare falli eos necesse est qui vestem semper pretiosam dixerunt, meritoque Zonaram, & Balsamonem reprehendit Salmasius, quod ad Canones Βίρρας σιρικὰς ἐσθῆτας exposuerunt, sericas vestes. nam licet fuerint lacernæ, & birri serici, non tamen omnes tales fuerunt. Nec est quod Turnebum sententiæ pæniteat, qui lib. XVIII. cap. XXVI. ait se olim credidisse *birrum* crassum vestimentū fuisse, sed mutasse sententiam, fortasse quia Birrum apud Zonaram, & Balsamonem repererat. nam lib. XXII. cap. XXX. ait birros, non esse beros, quod in Gallia sericum non texeretur: ita & Pithæus diuersos birros a beris censet, sed eadem res fuerunt, & alij ex lana, alij serici.

Neque verba Concilij Gangrensis Can. XI. ostendunt birros vestes pretiosas fuisse. *Si quis amictu pallij vtitur, & eos qui cum reuerentia birris vtuntur despicit, anathema sit.* Birrus enim siue lacerna communis vestis erat: Christiani securiores, vt idem vir doctissimus ad Tertullianum de pallio obseruat, cum triboniū gestarent reprehendebant eos, qui in communi veste erant, idest birro, siue lacerna: hos canon anathemate ferit. Ludouicus Cerda aliam affert rationem, quod birri monachis essent interdicti, sed non propterea erant pretiosi. nam cum habitu secernerentur monachi a ceteris hominibus, etiam ijs vestes vulgares interdictæ. Isidorus in Regula. *Linteo non oportet monachum vti:*

rarium, planetas, birros, non est fas induere. hæc autem communia vestimenta erant, neque tamē pretiosa. Verè & birri fuerunt, quorum materia, & color in pretio. Ita Cassianus lib. I. cap. VII. *birrorum pretia simul, ambitionemque declinant*. Nouit hanc differentiam Augustinus sermone Li. de diuersis. *Nemo clericorum det birrum, vel tunicam lineam, seu aliquid nisi in commune. Offeratur mhi birrum pretiosum, forte decet Episcopum*. Vbi vulgare permissum, sed in commune pretiosum repudiatum.

Alia veterum testimonia de birro attulit Salmasius ad Tertullianum, ex queis illud notabile in actis S. Cypriani *exuit lacernum birrum*, quod idē est, ac lacerna rufa. Non recte enim Baronius lacernum birrum interpretatur birrum in modum lacernæ factum.

Nec propterea quod vestis Episcoporum fermè dicatur, ideo pretiosior. nam tunc Episcopi in communi vestitu, in quo etiam diu sacra peregerunt. Vulgaris ergo ferme vestis fuit, & ideo seruis etiam concessa. Lex I. codicis Theodosiani de habitu, quo vti oportet intra Vrbem. *Seruos sane, quorum tamen dominos sollicitudine militiæ constat non teneri, aut birris vti permittimus, aut cucullis*. Neque propterea vestis seruilis, vt alias indicauimus. Quæ lex præterea declarat chlamydem & birrum non omnino eandem vestem fuisse. nam chlamys permittitur seruis militaribus, birrus nequaquam. Verè inter chlamydē, & lacernam aliquod discrimen fuisse notauimus. Immo inter birrum & lacernam videtur distinguere Sulpitius Seuerus Dialog. lib. I. cap. XIV. *Hæc charis viduis & familiaribus mandat tributa Virginibus, illa vt birrum rigentem, hæc vt fluentem texat lacernam*. Vt scilicet omnes birri fuerint lacernæ; non contra, cum & alio colore, quam rufo conficerentur. Fortasse etiam longiores & laxius fluentes lacernæ, quam birri. Vet. Interpres Iuuenalis. *Santonicum cucullum, birrum Gallicum* explicat, & ideo rigentem, & breuiorem. Adderem fortasse birrum fuisse lacernam cum cucullo, nisi lex Theodosiana birros a cucullis distingueret.

An Lacerna vestis seruilis fuerit. Martialis explicatus. Cap. XXVII.

QVidquid sit, nec birrus, nec lacerna vestis solum seruilis fuit, vt contrà doctissimorum opinionem alias disputauimus. Quos nihil iuuant Horatij verba lib. II. Sat. VII.

Tu cum proiectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu prodis ex Iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna.
Non es quid simulas?

Non quia lacerna caput tegebat seruus credebatur, quod Fabrum secutus Pisonianæ nuperus enarrator statuit, verum quod insignia, & dignitatis nempe annulum, & ingenuitatis scilicet togam deposuerat. Caput autem lacerna, siue cucullo viliori, & coloris atri inuoluerat: quod tegmen, omnibus commune, & ferme a seruis gestabatur. Fuisse autem cucullum, quo abditus mœcharetur, testatur & Acron. *Inuehitur in equitem Romanum, qui deposito habitu ne cognoscatur exit de adulterio obtecto capite.*

Ex quo apparet lacernas cum cucullo sumptas communes seruorū & ingenuorum, nisi quod, vt alias diximus, seruiles viliori materia, & colore erant, ac fermè cucullatæ.

Non es quod simulas?

Simulabat seruum deposita ingenuorum veste, & verè fædum voluptatis mancipium erat.

Sed & Martialem in partes vocant, vt ostendant lacernas fuisse vestimentum seruile. lib. XII. Ep. XXVI.

Nec venit ablatis clamator verna lacernis:
Accedit gelidam seruus ad auriculam.

Sed haud vidi magis. Conqueritur ibi poeta Vrbis proceres, ac Senatores salutationis matutinæ officium morose peragere per totam Vrbem discursantes; se autem videri desidiosum, quod nō terat tot limina, nec tantum vagetur per vrbem; sed illis pro præmio officij Consulatus esse,

Pro-

Proconsulatus, & Præturas, sibi nihil expectandum cum fracto calceo, decidente pluuia nō habeat lacernas quîs imbrem propulset.

Sed tu purpureis, vt des noua nomina Fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumque petas.
At mihi quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum.
Quid petitur? rupta cum pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamator verna lacernis:
Accedit gelidam seruus ad auriculam.
Et rogat vt cœnes secum Lætorius inquit,
Viginti nummis non ego malo famem?

Hæc attuli vt sani homines intelligerent, numquid ex his lacernas vestem seruilem fuisse deprehendi possit. Recte viri docti pridem emendarunt:

Nec venit allatis clamatus verna lacernis.

Vt sit sensus. Cum decidit imber, non præsto est vocatus verna, qui alias afferat lacernas, quibus imbre madidas mutem. Sed Raderus omnes codices *Clamator*, habere ait, tum lepidam interpretationem subjicit, *clamatorem* esse conuiuij vocatorem, quasi opus clamore esset ad vocandos conuiuas, aut vnquam vocatores clamatores dicti sint. Immo subjicit Martialis accessisse seruulum, & clam in auriculam vocationem ad conuiuium insusurrasse. Etsi igitur omnes libri veteres repugnent, optima emendatio est: *clamatus verna lacernis*. Nam clamatus est vocatus Martiali. lib. 1. Ep. 11.

Vocabitur venator & veniet tibi
Conuiua clamatus propè.

Et Ouidio 11. Met.

Aspicit hanc, visamque vocat, clamata refugit.

De Caracallis. Quale vestimenti genus fuerint. Cap. XXVIII.

LAcernis Caracallas subjiciemus, quia eam vestem ad instar lacernæ factam tradit Xiphilinus ex Dione lib. LXXVIII. Ἀλλὰ καὶ τίνα ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως κατακόπτων, καὶ συῤῥάπτων ἐν μανδύης τρόπον προσεξεῦρε. καὶ αὐτός τε συνεχέστατα αὐτῇ ἐνέδυσεν, ὥστε καὶ Καράκαλλος διὰ τοῦτ' ἐπικληθῆναι, καὶ τοὺς στρατιώτας μάλιστα ἀμφιέννυσθαι ἐκέλευσεν. *Sed etiam proprium genus indumenti in modum lacernæ* (male Interpres penulæ) *excogitauit. Id barbarum, discissumque & consutum erat ex multis partibus, eoque indutus erat semper, ex quo, & Caracallus cognominatus est, iussitque milites eodem genere vestis vti.*

Id vestimenti genus Gallicum fuisse recte Salmasius ad Spartianum obseruat ex Victore. *Cum Gallia vestem plurimam deuexisset, talaresque caracallas fecisset, coegisseque plebem ad se salutandum indutam talibus introire de nomine huius vestis Caracalla dictus est.* Quod igitur Caracallas e Gallia petierit, easque gestaret ipse, & milites, moxque ciues induere coegerit Caracallus inde dictus est. Sed, vt idem vir doctissimus ex Spartiano obseruat, eas talares fecit, cũ antea non essent. *Ipse Caracalli nomen*, inquit Spartianus, *a vestimento, quod populo dederat, demisso vsque ad talos, quod antea non fuerat, vnde hodieque dicuntur Antoniniana Caracallæ eiusmodi, in vsu maximè Romanæ plebis frequentatæ.*

Talares igitur caracallas Antoninus fecit, cum antea non essent, & sicut ille a veste Caracalla dictus est, ita caracallæ talares ab eo Antoninianæ dictæ sunt.

Sed quomodo id vestimenti genus scissum, & ex multis partibus consectum esset ignoramus, cum & ipsam vestem ignoremus. Casaubonus ad Spartianum existimat pleraque omnes veterũ vestes textura solum confici solitas sine opera sutoris, siue sarcitoris, & vt loquuntur Euangelistæ ὑφαντὸς δι' ὅλου: at istas caracallas more hodiernarum vestium con-

confectas a pluribus pannis scissis primo, deinde consutis. Sed non credibile mihi videtur veterum vestes totas sola textura confectas, sine vlla sutoris opera, præcipuè togas & tunicas, cyclades, & reliqua vestimenta clausa. Quod id fieri non posse videatur in tela (nam tunicæ Christi Domini peculiare artificium diximus, quæ ideo in consutilis dicta) cum præterea futuræ in toga, & tunica veteres meminerint. Quod si vestimenta aperta pallia, lacernæ, textricis opera confecta, mox fibulis iungebantur, cũ caracallę lacernæ, siue ad instar lacernarum essent: quod opus fuit variis pannis scissis, & consutis ad instar nostrarum vestium? Artificium igitur illud barbaricum fuit, sicut & vestis, quæ scissa, & ad instar centonis ex multis pannis consuta. Ceterum caracallas a clericis gestatas, easque palliola fuisse cum cucullo, idem Salmasius obseruat: quem operę pretium fuerit consuluisse. Meminit & Palladius in Lausiaca. cap. CXVII. ἔνδυτη ἀνδρεία παιδαρίῳ καρακάλλιον ἐαμβάτεγα. *Induta seruo caracallion.*

Lacernas honoris specie depositas.
Cap. XXIX.

LAcernam fuisse vestimentũ virile docet Vlpianus, cum inter ea recenset, quæ solis viris permissa erant, & no ante confirmauimus. Porro lacernas honoris specie depositas vnus, quod ego sciam, Suetonius indicat, qui in Claudio cap. v. *Cum interim quamquam hoc modo agenti nunquam aut officium hominum, aut reuerentia publica defuit. Equester ergo bis patronum eum perferendo pro se legationis elegit. Quin & Spectaculis aduenientem assurgere, & lacernas deponere solebant.* Ex quo apparet quemadmodum in deprecando, vt alias diximus, togæ deponebantur, ita & honoris causa depositas lacernas. Ita & Tertullianus de Oratione, Christianorum morem, ac superstitionem castigat, qui inter orandum penulas deponebant ethnicorum imitatione. *Quibus merito vanitas exprobranda est, siquidem sine vllius,*

aut

aut Dominici, aut Apostolici præcepti auctoritate fiunt: huiusmodi enim non religioni sed superstitioni deputantur, affectata, & coacta, & curiosi potius quam rationalis officij, certe vel ea coercenda, quod gentibus adæquent. Vt est quorundam positis panulis orationem facere. sic enim adeunt ad Idola nationes.

Finis Libri Primi.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

PARS SECVNDA.

LIBER SECVNDVS

QVI EST DE PAENVLIS.

Pænulæ notatio quæsita. Cap. I.

PAcernam, & penulam licet non idem vestimentum fuerit, plerumq; tamen a scriptoribus confundi docti adnotarunt: sed diuersum plane indumentum forma, atq; vsu fuisse ostensuri sumus, si prius nominis notationem quæsiuerimus. Quidam a Græco originem duxere Φαινόλις, siue Doricè Φαινόλα. Et Casaubonus quidem ad Spartianum sic dictam putat, quod vestis adstricta esset, & quę partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret, quæque ὅλον τὸ σῶμα φάινες: quales vestes strictiores, per quas corpori adpressas membra apparerent. Quæ notatio viro doctissimo haud probatur, qui nuper de pænula scripsit. Sed firmatur auctoritate Artemidori, qui inter vestes accensет, quæ θλίψιν, καὶ στενοχωρίαν in somnis significant, angustias scilicet, ac pressuras: διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα. ex hoc enim quod membra pressim constringeret, angustias ac pressuras significabat. Quod si falsa Casauboni notatio est, non ita tamen vera videtur auctoris illius etymologia ex veteribus Grammaticis. Dicta nempe Φαινόλις quod tota conspiciatur ὅτι ὅλη φάινεται. Nam omnes vestes exteriores, quæque tunicæ superinduebantur, & vt Varro ait foris ac palam vestiebant, pallia, lacernæ, chlamydes, saga hac ratione penulæ dici possent: nam totæ apparebant. Quæ ratio etiam Casauboni notationem

eludit, nam & lacernæ, & chlamydes ita corpori adpressæ erant, vt membra exprimerent: & ideo Artemidorus inter illas enumerat, quæ pressuram, & angustias significant. Multo minus audiendi, quibus ὁ φαινόλις χιτὼν translucens, & pellucida tunica. nam nihil minus de vestimenti genere crasso, duroque, quodq; itineris, & pluuię causa sumebatur, dici poterat, quam quod transluceret, aut pelluceret.

H. Stephanus existimat Græcam vocem a Latina factam, vt tenuis in adspiratam sit mutata, & a penula φαινόλις, vel φενόλις dicta sit. Quod mihi maxime affine vero videtur. Nam apud Athenæum lib. 111. Vlpianum Cynalcus perstringit, quod vocē nouam & insolentem inuexerit, ἐ σὺ εἶ, inquit, ὁ καὶ τὸν καινὸν, καὶ ἐδέπω τὸν ἄχρηστον φενόλλιν (εἴρηται γὰρ, ὦ βέλτιστε, καὶ ὁ φαινώλης,) εἶπών; Παῖ λεῦκε, δός μοι τὸν ἄχρηστον φενόλλιν. Vertit Casaubonus; *Nonne tu is es, qui nouum, & quo vsus nondum eram* φαινόλλιν (reperitur enim vir optime penula dicta ὁ φαινόλης) *dixisti* ἄχρηστον. In quo quidem Daleschampium arguit, qui existimauit notari vocis ὁ φενόλης insolentem vsum pro φαινόλης. Nam in Græco contextu scribitur per αι. Ceterū quod ipse subiicit, cum Vlpianus Latine penulam a puero petijsset, eamque Græce φαινόλλιν dixisset, quasi reformidans ingeniū Vlpiani, excusationem adiecisse, eam vocem extare apud scriptores, non videtur Athenæi mentem assecutus. Cur enim Vlpianus Latine penulam petens ἄχρηστον dixisset? Sed cum fere ab omnibus diceretur ὁ φαίνολης, & Cynulcus dixisset τὸν φαινόλλιν subiecit. Εἴρηται γὰρ, καὶ ὁ φαινόλης. Nā virili genere extulerat. Verè quidem notari insolentiæ vocem ἄχρηστον a Cynulco idem obseruat, non quod φαινόλλιν dixisset, quæ vox iam in vsu erat, sed obiter ostendit vtroq; genere elatam. Hoc sonant verba illa. Dicitur enim & ὁ φαινόλης nobiliori genere. Vocem autem e Latina factam videri illud ostendit, quod infra *Canusinam* Latina pariter voce appellat. Loqui enim illum de Romana penula declarat, quod statim sequitur. In balneum vero cum te conferres, non ne interroganti quo ires respondisti. Ego quidem ἀπολείπομος ἐπείγο-

μαι;

μαι; eo porro die pulchram illam Canusinam fures surripuerunt, magno risu in balneis oborto, ἀχρήστου ζητουμένου φαινόλης *cum noua & nondum usu detrita penula quæreretur*. Nam vestis Canusina est pennula: cuius Martialis, & alij meminere. Antiquiorem quidem Vlpiano eam vocem apparet, etiã ex loco D. Pauli Epistola 11. ad Timotheum. Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον. Sed pro φαινόλην φαιλόνην habet. Et quid hoc fuerit ambigitur, & si vestis fuit, nihil tamen inde trahi, Græcæne, an Latinæ originis fuerit. Nec mirum propterea est vllum Romanę historiæ Græcum scriptorem quod sciam ea voce vsum, quod scilicet nõ Græca esset, sed a Latina facta, verum vel μανδυάν, vel ἐφέστριδα posuisse. Hinc etiam factum, vt qui ea voce vsi sunt modo φαιλόνην, ac φελώνην dixerint, modo φενόλλην, ac φαινώλλην, vt apud Latinos pænula, & penula, variasque interpretationes addiderint. Hesychius. φαινόλας τὸ ὕφασμα. Ῥίνθων. ἔχουσα χαινὸν φαινόλαν. Vt eum locum ex Polluce viri docti emendarunt, & Φαιλόνης ἱλαπτάριον μεμβραίνον ἤγλωσσόκομον. A quo Suidas φαιλώνης εἱλητὸν τομάριον, μεμβραίνον. ἤ γλωσσόκομον. ἤ χιτώνιον. Et paulo post: φαινόλης χιτωνίσκος. οἱ δὲ παλαιοὶ ἐφεστρίδα. καὶ χιτὼν ἱερατικὸς. ἤ φαινόλης ὁ ἀπατήριος. Siue ergo a Penula φαινόλης deducatur, siue contra Latinæ voci Græca originem dedit, vtriusque notatio incerta, nec tanti est in ea perueſtiganda desudare. Ita & quando primum apud Romanos in vsu esse cœperit, haud mihi compertum. Tertullianus inuentum Lacedæmoniorum scribit in Apologetico. *Et ne voluptas impudica frigeret Lacedæmonij penulam ludis excogitarunt*. Quod si verum est, vtique & vox Græcæ originis fuerit. Sed cum nullus veterũ Græcorũ, aut Latinorũ hoc tradat, maxime in gente seuera, & frigoris tolerantissima, suspicor aut deceptũ Tertullianum, aut penulam pro endromide posuisse, quam inuentum Lacedæmoniorum ex Martiale notum, vsusque maxime in palæstra fuit. Neque tamen summo Viro qui nuper Tertullianum edidit assentiri possum legenti *Primi Lacedæmonij odium penulæ ludis excogitarunt*. Quod scilicet Lacedęmonij gens dura & bellicosa ad militares potius expe-

ditiones hieme obeundas, quam ad ludos & Theatra penulas graues, ac præ pondere odiosas excogitasse. Itaque hoc ridiculi causa à Tertulliano positum. Sed non conueniunt sententiæ huic Tertulliani verba, qui credidit à Lacedæmonijs primum inuentam penulam, & quidem ne ludis uoluptas impudica frigeret. In quo eum aliud cogitasse omni pignore contenderim.

Penulam itinerarium vestimentum fuisse, & pluuiæ tempore sumptum. Quando primum illud intra Vrbem vsurpatum sit. Cap. II.

Diuersum omnino vestimenti genus fuisse a lacerna penulam scriptores produnt. Artemidorus lib. II cap. III. Vbi chlamydem, quam alij μανδύλιν, alij ἐφεστρίδα alij βήριον vocant, significare ait vexationem, & angustias & litigantibus damnationem, propterea quod corpus circum amplectatur. Subijcit: τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁ λεγόμενος φαινόλης. *Idem significat & quæ vocatur penula.* Athenæus loco laudato, cum penulæ mentionem feciſſet, paulo infra ἐφεστρίδα ideſt lacernam ponit. Sic Latini poetæ, ſic quicumque Romani veſtitus meminere.

Fuiſſe autem veſtimentum itinerarium quod ſupra tunicam acciperetur, & pluuiæ cauſa adhibitum nemo ignorat. Nonius. *Penula eſt veſtis, quam ſupra tunicam accipimus. Pomponius Panuceatis. Penulam in caput induce, ne te noſcat.* non enim in caput induci potuiſſet niſi veſtimentum exterius fuiſſet. Varro. *Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, penula in imbri.* Lucilius:

Penula ſi quæris, cantherius, ſeruus, ſegeſtre
Vtilior mihi, quam ſapiens.

Cicero ad Atticum lib. XIII. Epiſt. XXXIII. *De Varrone loquebamur: Lupus in fabula. Venit ad me & quidem in tempore, vt retinendus eſſet. Sed ego ita egi, vt non ſcinderem pænulam, memini enim tui, & multi erant noſque imparati.* Paulo poſt. *Caius Capito cum C. Carinate. Horum ego vix attigi pe-*

nulam,

nulam, & tamen remanserunt. Et pro Milone. *Quid minus promptum ad pugnam, quam penula irretitus, rheda impeditus, uxore penè constrictus?* Vnde & muliones in penula, quæ inde mulionia. Idem pro Sextio. *Sensit rusticulus non incautus suum sanguinem quæri: mulioniam penulam arripuit, cumqua primum Romam ad comitia venerat.* Seneca Ep. LXXXVII. de itinere suo. *Culcita in terra iacet, ego in culcita. Ex duabus penulis altera stragulum, altera opertorium facta est.* Ita tamen, vt nō nisi extra Vrbem & pluuiæ causa adhiberentur penulæ.

Sed quandonam primum intra Vrbem earum vsus cœperit, non constat. Si Dioni credimus lib. LVII. Tiberio imperitante. Tradit enim cum multi vestem purpuream licet interdictam gestarent, Tiberium neque id reprehendisse, neq; mulctasse, tantum ludis, cum plueret φαιὰν μανδύλιν indutum effecisse, ne quis alius vestem inconcessam vsurparet. Interpres cum Lipsio μανδύλιν penulam reddidit. sed fuisse lacernam docti pridem obseruarunt. Vestes purpureæ, quæ gestabantur contra morem, fuere lacernæ. nullæ enim pænulæ purpureæ fuerunt. has vt tolleret Tiberius, ipse lacernam fuscam siue pullam induit. Nam pluuio tempore lacernas intra Vrbem gestatas diximus.

Sub Flauijs pænulæ intra Vrbem gestatæ videtur. sed pluuiæ tantum causa. Iuuenalis Sat. v. de salutatore, qui etiam fædis imbre diebus Aue matutinum portabat.

Scilicet hoc fuerat, propter quod sæpè relicta
Coniuge per montem aduersum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret læua cum grandine vernus
Iuppiter, & multo stillaret penula nimbo.

Hoc etiam docet iocus Galbæ apud Quintilianum, qui pænulam roganti, *Non possum commodare* inquit: *domi maneo: cum Cœnaculum eius perplueret.* Et paulo infra. *Non pluit, non est opus tibi: si pluit ipse vtar.* Quæ satis indicant, non nisi pluuio tempore pęnulas gestatas. Paulatim tamen in promiscuo vsu, etiam cum sudum esset, esse cœperunt, & quod maxime mirum est, etiam ab oratoribus cum causas

agerent

agerent adhibitæ. Auctor Dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ. *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe pænulas iſtas quibus adſtricti, & veluti incluſi cum iudicibus fabulamur.* Quæ verba non eſse Quintilianum eius libelli auctorem indicant. Nam cum is lib. XI. Oratoris habitum moroſe diſponeret, nuſquam lacernæ meminit, ne dicam pænulæ, numquam profecto diſſimulaturus tam grande eloquentiæ incommodum, atque actionis oratoriæ dehoneſtamentum, quod ſua ætate patroni pænulis inuoluti, ac circumſtricti ægre manum in agendo expedirent. Mihi tamen veriſimile fit id a paucis admodum vſurpatum, nec diu obtinuiſſe, cum ſequenti ſeculo cauſarum patroni *Togati* appellati ſint, quod cum toga deſijſſet ipſi inter orandũ eam retinerent. Niſi dicere velimus, ab auctore illo pænulas pro lacernis ad maiorem inuidiam appellatas.

An Senatores ſub Hadriano pænulati. A. Gellius explicatus. Cap. III.

FViſſe tamen pænulas ſub Hadriano etiam a Senatoribus geſtatas quidam ex Gellio tradiderunt lib. XIII. cap. XX. *T. Caſtritius Rhetoricæ diſciplinæ doctor a D. Adriano ob mores, & literas ſpectatus, cum me præſente diſcipulos quoſdam ſuos Senatores vidiſſet die feriato tunicis, & lacernis indutos, & gallicis calceatos, Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe. Pigitum ſaltem eſt cinctos eſſe, & penulatos.* Quæ ſi vera ſunt quomodo multis poſt annis, vt tradit Lampiridius, primus Alexander Seuerus Senatoribus conceſſit vt frigoris cauſa penulis vterentur, cum id veſtimenti genus ſemper itinerarium, aut pluuiæ fuiſſet. Deinde quis alius auctor pænulas lacernis honeſtiores facit? Sed pace doctiſſimorum virorum dixerim, nemo hactenus Gellij mentẽ aſſecutus eſt. Nõ enim Caſtritius Senatores reprehendit, quod eſſent lacernis induti: qua enim fronte id poterat, cum inde ab Auguſti æuo in promiſcuo vſu eſſent, ſiue ſuperinduerentur togis, ſiue tantum tunicis? Martialis narrat Horatium quendam

dam solum inter omnes nigris lacernis munus spectasse

Cum plebs & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

Idest, in lacernis albis, quæ in spectaculis adhibebantur. Idem lib. XIV. Ep. CXXXVII. *Lacernæ albæ.*

Amphitheatrales nos commendamur ad usus
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Præterea paulo infra ipse Castritius fatetur *huiusmodi vestium de multo iam usu ignoscibilem esse.* Lacernas nempe. Non hoc ergo reprehendebat Rhetor. Sed quod cum lacernis gallicis essent calceati, cum calceos gestare debuissent. Subijcit enim. *Sed si hic vester huiuscemodi vestitus, de multo iam usu ignoscibilis est, soleatos tamen vos Pop. Romani Senatores per Vrbis vias ingredi nequaquam decorum est, non hercle vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine obiectauit.* (Antonium intelligit.) Hoc autem calceos a caligis, gallicis, crepidis, soleisque diuersos fuisse notum est, quod calcei totum pedem & dimidium ferè crus vestirent, caligę soleæque, ac gallicæ pedis plantam tegerent. Ita cum togæ gestari desijssent & in earum locum succesſere lacernæ, calceos nihilominus retętos apparet ex hoc loco, quod indecorum videretur ita nudis pedibus incedere per Vrbem: deinde quod cum calcei Senatorum lunati essent, id insigne in solea spectari non poterat. At extra Vrbem depositis calceis, soleæ adhibitæ. Martialis de vita rustica:

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga.

Reprehendit igitur Castritius Senatores, quod contra morem, & decus magni ordinis pro calceis gallicas gestarent. *Soleatos tamen vos Popoli Rom. Senatores per Vrbis vias ingredi nequaquam decorum est.* Quod autem Gallicæ soleæ essent idem ostendit. *Plerique tamen inquit ex ijs, qui audierant, requirebant cur soleatos dixisset, qui gallicas, non soleas haberent. Sed Castritius scite, atque in corrupte locutus est. Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces tantum infimè teguntur, cetera propè nuda, & teretibus habenis vincta sunt, so-*

leas

leas dixerunt, nonnumquam graeca voce crepidulas. Gallicas autem verbum esse opinor nouum non diu ante aetatem M. Ciceronis vsurpari captum. Itaque ab eo positum est in secunda Antonianarum. Cum gallicis inquit & lacerna cucurristi.

Nondum tamen difficultas omnis exhausta est. Cur enim dixit Castritius. *Pigitum est cinctos saltem esse, & penulatos.* Quasi honestius pænularum gestamen esset, quam lacernarum, contra veterum scriptorum fidem. Sed neque hoc viri eruditi coeperunt. Non est hæc Castritij sententia. Sed quando mallent gallicis, quam calceis vti, rectius atque honestius ipsos facturos fuisse, si etiam cincti, & penulati essent. Nam cum penula vestis viatoria esset, & soleæ cum ea gestarentur, non cum lacernis, aut toga, magis decorum futurum fuisse dixit, si penulati incessissent, quasi iter paulo post facturi. Quemadmodū indecens nunc videretur, si quis ocreas, & calcaria cum longa veste per vrbem gestaret, nequaquam si accinctus, & penulatus. Ideo autem cinctos dixit, nō solum quia omnes iter facturi præcipue in equo altius cincti, sed cum tunicæ senatorum, vt alias diximus, sine laticlauiæ sub toga & lacerna non cingerentur, iter facturi præcipue equo necesse habebant longiores tunicas cingulo suspendere: & ideo cincturam cum pænula coniunxit, non quod pænula cingeretur, vt quibusdam visum est, & infra refellemus.

Non igitur ante Seueri Alexandri ætatem Senatores intra Vrbem nisi pluuiæ causa penulati. Id primum illis Alexander concessit, vt supra posuimus. In vulgatis est. *Pænulis intra Vrbem frigoris causa, vt senes vterentur permisit.* Recte Lipsius pro *Senibus*, *Senatores* subiecit, vt ante Lipsium Britanicus ad Iuuenalis. Sat. v.

An Senatores in funere Principum pænulati. Cap. IV.

SEnatores in funere Cæsarum pænula vsos scribit Lampridius in Commodo. *Ipse autem*, inquit, *prodigium non leue sibi fecit. Nam cum in gladiatoris occisi vulnere manum*

miss-

misisset, ad caput sibi detersit, & contra consuetudinem pænulatos iussit spectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus solebat ipse in pullis vestimentis præsidens. Omnino cum Casaubono legendum. *Pænulatos iussit Senatores, non togatos.* Nec enim spectatores in muneribus togati omnes, nec pænulati. qui enim id fieri poterat in minuto, ac tunicato populo cui nec togæ erant, nec pænulæ, nec lacernæ? Sed Senatores, cum in spectaculis togati essent, iussit eos pænulatos conuenire: quo habitu non nisi funera Principum frequentabant. Id tradit Dio lib. LXXII. rem eandem narrans. *His perfectis rebus* inquit, *magnum nobis solatium dedit, quod cum esset rursus gladiatorum more pugnaturus nos* (scilicet Senatores. nam & ipse senator erat, & de periculo in quo omnes fuerant Senatores paulo ante narrauerat) ἐσθῆτι στολῇ ἱππάδι, καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θεατρὸν εἰσελθεῖν. *Equestri veste & lacernis indutos venire in theatrum. Quo habitu nunquam ante Theatrum ingredi consueueramus, nisi princeps e vita decessisset.* Sed cum μανδύλιον καὶ ἐφεστρίδα proprie lacernam appellauerint Græci scriptores, vt diximus, Salmasio assentimur, qui Lampridium *pænulas* pro *lacernis* posuisse censet. Neque tamen omnino verum est μανδύας & ἱππάδα στολὴν ἐκ παραλλήλου posita esse, & μανδύαν idest lacernam equitum vestem fuisse; nec equitum tantum, sed & popularium, quod toga per ea tempora in solis senatoribus substitisset. Nam si lacerna popularis etiam fuit, quomodo vestis equestris hîc dicitur? Vestis equestris, vt alias docuimus, fuit tunica equitum angusticlauia: quam deposito latoclauo senatores in luctu sumebant. Nam duo luctus insignia Patres vsurpabant, tunicam equestrem, & lacernas pullas. De lacernis pullis in funere Herodianus de funere Seueri. πᾶσα ἡ Σύγκλητος μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενος. *Senatus omnis in pullis lacernis.* Nunquam igitur ante Alexandri tempora, nisi pluuiæ, aut itineris causa, senatores pænulati, sed togati, maxime in publico conuentu: tantum in funeribus, ac gladiatorijs muneribus, quæ mortui Principis causa edebantur, in equestri veste, & lacernis pullis, licet Lam-

pridius ex Dione pænulas verterit: quæ quidem nõ omnes albæ. nam & fuſcæ fuerunt, qui color aptus funeribus; ſed quia vt diximus Μανδύη Græcis eſt lacerna, non recte pænulas repoſuit.

An Imperatores Pænulati. Cap. V.

IN eo etiam diuerſus a Dione Lampridius, quod Dio ait hoc factum, cum ipſe Commodus gladiatorum more pugnaturus eſſet. hoc eſt enim μονομαχήσαι. At Lampridius ad munus gladiatorium, cui ipſe in veſtimentis pullis præſedit, ideſt in tunicis & togis, aliquando etiam lacernis, vt de Tiberio idem Dio ſcribit pulla lacerna purpureas veſtes redarguente. Nunquã autem Imperateres in pænulis. Spartianus in Adriano: *Tribunus plebis factus eſt, in quo magiſtratu ad perpetuam Tribunitiam poteſtatem omen ſibi factum aſſerit, quod pænulas amiſerit, quibus vti Tribuni plebis pluuiæ tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam: vnde hodieque Imperatores ſine pænulis a togatis videntur.* Adrianus Tribunus plebis factus pro Imperij omine accepit, quod pęnulas amiſiſſet, quibus Imperatores perpetua Tribunitia poteſtate prædiți nunquam vtebantur: Tribuni pluuio tempore geſtabant. Ideo autem Imperatores pænulis non vtebantur, non quod veſtis eſſet peregrina, & exotica; nam longo vſu iam inde a vetere Rep. facta erat Romana; ſed quod vilis, ac viatoria, & ad ſeruos vſque dimiſſa, dedecere Imperatoriam maieſtatem videretur, quos togam modo puram, modo prætextam, interdum purpuream, ac pictam geſtaſſe notauimus. Quod etiam ætate ſua ſeruatum tradit Spartianus, vt Principes ſine pęnulis a togatis viderentur. Togatos Caſaubonus ſalutatores interpretatur, quòd officium illud matutinum in togis perageretur. Videre autẽ Imperatorem pro ſalutare a ſcriptoribus eius æui vſurpatum. Quæ omnia vera eſſe fatemur. Sed non hic locus togatorum, aut ſalutatorum. Vt enim idem Cauſabonus ſubijcit, non loquitur hic Spartianus de ſalutatorum

veſte

veste, sed ipsius Imperatoris. Quare legendum existimat: *Sine pænulis togati, vel attogati videntur*. Simplicius erit si legatur *sine pænulis, ac togati videntur*. Nam Imperatores non modo in salutationis officio, sed vbique sine pænulis videbantur, & præterea togati. Quasi nunquam viderentur Imperatores nisi cum Aue matutinum illis portaretur. Et si aliquando pænulas gestassent, domi certe sumptas nemo dixerit cum arcendo frigori, & plures tunicas, togasq; & si placet lacernas induere possent: pænulæ domi, ne a priuatis quidē gestarentur, nisi ii cui, vt Galbæ illi, cœnaculum perplueret. Quid ergo opus erat tempus tantum salutationis a Spartiano notari, quo Imperatores sine pęnulis viserentur, cum diserte tradat nunquam ab ijs gestatas? Recta igitur emendatio est quam nullus salutator, aut togatus loco mouebit. *Sine pænulis, ac togati videntur*. Quod scilicet prodente hęc Spartiano Imperatores nunquam vterentur pænulis, & togati incederent. Nam videri est in publicum procedere, & palam adspici.

Nec dicere attinet illud sine pænulis redundare, quod qui togati sunt vtique pænulati non sunt. Nam contra potest aliquis esse sine pænulis, & tamen non togatus, lacernatus, paludatus, chlamydatus. Innuit ergo Spartianus, cum pænulis Principes abstinerent, nihilominus togam retinuisse, & togatos intra Vrbem visos esse.

Non ita facile tamen animum inducent, vt credant viri docti, nunquam pænulas ab Imperatore gestatas, quod tradit Dio Tiberium pænula vsum. Sed *μανδύλιον* ibi lacernam esse, non pænulam, dictum est: & si semel redarguendo purpurearum vestium vsu induerit, non efficit Principem pænulas in vsu habuisse. Præterea Alexander Seuerus auctore Lampridio vsus est togis, ac pænulis communibus. Verum non gestatas intra Vrbem pænulas a Principibus, in itinere pluuiæ causa adhibitas credimus, quas Lampridius intellexit. Idem affirmandum de altero scriptoris eiusdem loco, quem supra adduximus. Concessum ab Alexandro, vt senatores pænulas frigoris causa haberent: & tamen

aiunt, Tribuni qui Senatores erant multo ante ſub Adriano ferebant pænulas. Sed quis non videt Tribunos, & Senatores reliquos pluuiæ tempore, vt ait Spartianus, induiſſe pænulas: at Alexandrum permiſiſſe, vt die ſereno frigoris cauſa a Senatoribus geſtarentur, quibus ante illud tempus impermiſſum. Nam Gellij locum ſatis ante examinauimus. Neque tamen verum eſt, has pænulas fuiſſe lacernas. nam lacernarum promiſcuus vſus quolibet tempore. At pænulas pluuio tantum tempore a ſenatoribus adhibitas tradit Spartianus. non ergo fuere lacernæ, quarum vſus nullo tempore interdictus. Ita quibus pænulis communibus vſus dicitur Alexander, pænulæ fuere, non lacernæ: præterea quas donare Macrinus roſei coloris populo voluerat in honorem filij, pænulæ fuere, nō lacernæ. non enim credibile ſcriptores, & ſi parum curioſos, tamen diuerſa veſtimenta confundere voluiſſe. Solus Lampridius Græcā apud Dionem vocem *μαφόριν* pænulam interpretatus eſt, quæ erat lacerna. Et ſi daremus recte interpretatum eſſe, & ſenatores illos in funere pænulatos fuiſſe, parum referret; & nihilominus verum eſſet, quod tradit idem, ſenatores ante Alexandri æuum nunquam pænulis niſi pluuiæ cauſa vſos.

De Materia Pænularum. Pænulæ ſcorteæ, Gauſapinæ, Canuſinæ. Cap. VI.

PAenularum vſum indicauimus, reſtat vt materiam formam, ac colorem demonſtremus. Pænulas duplicis generis fuiſſe, alias ſcorteas, alias laneas, & gauſapinas peruulgatum eſt. De ſcorteis Martialis. lib. XIV. Ep. CXXX.

Pænula ſcortea.

Ingrediare viam cælo licet vſque ſereno:
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Seneca in quæſt. naturalibus lib. IV. cap. VI. *Hi cum ſignum dediſſent adeſſe iam grandinem, quid expectas, vt homines ad pænulas diſcurrerent, aut ſcorteas?* Hæ pænulæ expelle-

tuſt.

fectæ. Quia vt ait Festus *omnia ex pellibus facta scortea appellabantur. vnde & meretrices scorta dictæ, quod tanquam pelliculæ subigantur.* Scorteæ etiam meminit Nonius de Improprijs loco corrupto. *Pænulam abusiue omne quicquid tegit nobilissimi veteres transtulerunt. Varro Manio: & cum corrigia disrupta tenet aridum reliquum pedem pænula scortea pertegere.* Ita Vetus editio. Sunt qui legant: *& cũ corrigia disrupta tonat aridum.* Fortasse. *Cum corrigia disrupta tonat horridum.* Nam quod aliqui legunt *Tentet aridum reliquum pedem pænula scortea pertegere*: id est, tentet pænulam, qua indutus est, ad pedes dimittere, ne videlicet calceus detritus appareat, parum proficiunt. nam talaris pænula non fuit, nec pedes stantis pertegere potuit. Sed hæc non sunt tanti.

Non solum autem ex pelle, sed etiam ex lana pænulæ conficiebantur: eæque duplicis generis fuere. Nam aut breui villo, quæ & Canusinæ: aut villosæ, quæ gausapinæ dictæ. Illæ pluuiæ tempore adhibitæ etiam intra Vrbem, cum fere scorteæ tantum in itinere: gausapinæ per hiemem causa frigoris sumptæ. De primis Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. initio. *Lana autem laudatissima Appula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur: tertium locum Milesiæ oues obtinent. Appulæ breues villo nec nisi pænulis celebres: circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent.* Non nisi autem pænulis celebrem huiusmodi lanam tradit, propter villi breuitatem. nam villosæ vestes potius imbrẽ trahunt, quã excutiunt. Istæ igitur pluuiæ tẽpore adhibitæ a Canusio Canusinę appellatę, quarũ duplex color, de quo infra dicemus.

Sed alteræ gausapinę fuerunt longiori scilicet villo, eæq; etiam cum sudum esset frigoris causa intra vrbem adhibitæ, quanquam & lacernas gausapinas in vsu fuisse diximus. Martialis. *Pænula gausapina.*

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta
Vt me vel media sumere messe velis.

De hac capiendus Horatius lib. I. Ep. XI.

Incolumi Rhodos, & Mitylene pulchra facit quod
Pænula solstitio, campestre niualibus auris

Per

Per brumam Tyberis, Sextili menſe caminus.

Pænula ſcilicet gauſapina inepta ſolſtitio æſtiuo. Niſi quis malit quamlibet pænulam, quæ æſtate non neceſſaria cum minimum pluat. Acron de gauſapina interpretatur. *Nihil frigiditatis in æſtate affert, quia ſpiſſa & craſſa eſt. Campeſtre nihil caliditatis in hieme, quia tenue eſt.*

Pænularum Figura. Cap. VII.

LAcernas pænulis breuiores fuiſſe, cetera ſimiles veterum Grammaticorum teſtimonio viri docti tradiderunt. Sed ſolus, quod ego ſciam, Perſii Interpres ait lacernam fuiſſe pallium fimbriatum, Pænulam pallium cum fimbriis longis. Quod Grammatici illius commentum exiſtimo. Quis enim veterum in pænula aut lacerna fimbriarum meminit? Deinde poteſt veſtimētū aliquod alio breuius eſſe, licet longiores fimbrias habeat. Veriſimilius eſt, pænulas lacernis breuiores fuiſſe, veſtimentum ſcilicet viatorium, equitanti accomodatum, lecticarijs, curſoribus, & id genus hominibus aptum. Quidquid ſit magnum in eo, totumque diſcrimen erat, quod lacernæ apertæ, & quæ fibula nectebantur; pænulæ clauſæ fuerunt, rotundæ, quæque togæ inſtar corpori injicerentur, illudque ambirent, niſi quod ſtrictiores erant, ac breuiores, præterea cum in toga dextrum brachium per ſummā oram exereretur, pænula vtroque brachio ſubducebatur.

Id mihi diu ignoratum eſt, donec ſubiectas alteram Mercurij alteram militis pænulati effigies Roma tranſmiſit nunquam nobis, populiſque nepotum ſilendus Eques Caſſianus a Puteo, in Romana luce totius antiquitatis aſſertor feliciſſimus, idemque fugientium literarum Stator, quem vnum comitatis, ac magnificentiæ ſimulachrū exteræ quoq; gentes colunt, magna pars propter hunc vnum Vrbem inuiſunt. Abſque eo foret adhuc pænulam ignoraremus.

Tabula XVI. XVII. XVIII.

Fuiſſe

Tab. XVI.



Gio. Georg. sculps.

Tab. XVII.



Gio. Georg. sculps.

Tab. XVIII.



Gio. Georg. sculps.

Fuisse autem vestimentum clausum, ac strictum nemo potest ignorare. Cicero pro Milone: *Quid minus promptum ad pugnam, cum pænula irretitus, rheda impeditus, vxore pæne constrictus esset?* Ac præter Artemidori verba non semel allata: auctor libri de causis corruptæ eloquentiæ. *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus adstricti, & veluti inclusi cum judicibus fabulamur?*


Veteris pænulæ vestigium in veste sacrificantium adhuc retinemus, licet illi ætas paulatim aliquid detraxerit. Nam antiquorum sacrificalem vestem, quam planetam, siue casulam dixere, fuisse clausam, longamque, vt vtroque brachio subduceretur alias docuimus: licet similitudine decepti, cum nondum pænulam videre contigisset, eam togam, siue togæ simillimam fuisse dixerimus. Pænula igitur est non toga, breuior scilicet toga, & angustior, præterea vtroq; brachio subducta, cum in toga alterum exereretur. Rectè itaque eam pænulam fuisse Baronius, & Io. Baptista Donius censuerunt. Multa autem de planeta, ac casula tunc obseruauimus, quæ inde lector petat. Cur autem in sacris pænula adhibita docti quæsiuerunt, quibus assentimur id eo factũ, quod olim in promiscua veste sacra peragerentur: ea autem ferme pænula fuit, cum paulatim & togæ & lacernæ gestari desiissent.

Cum autem clausum vestimentum pænula esset, quod ita corpori injiciebatur, vt vtrumq; brachium premeret, sequitur nullo modo cingi potuisse, quod Vir Doctissimus credidit, qui pænulas omnes cinctas fuisse tradit ex Gellio. *Pigitum saltem vos pænulatos, cinctosque esse.* Sed cincturam ibi ad tunicam, non ad pænulam referendam diximus. Nam cũ Senatores solutis tunicis incederent, credibile est iter facturos longiores tunicas cingulo suspendisse, ne longitudo illa expeditis, & equiraturis incommoda esset. Nam præter Senatores reliqui omnes tam sub toga, quam sub lacerna, ac pænula tunicas cincti. Falluntur igitur qui hinc mollitiem obiectam a Castritio putant Senatoribus, quod lacernas pro penula, quodque tunicas discinctas gestarent.

starent. Nam nulla in lacernis lasciuia, & omnes Senatores discincti fuerunt.

Atqui apud Petronium: *supervenit cinædus myrtea subornatus gausapina, cingulo que succinctus*. Sed ibi gausapina tunica est, vt Donius recte obseruat, coloris myrtei: exoleti in tunica succincti, conuiuiis scilicet adhibiti. Seneca de breuitate vitæ; *Cum videam quam solliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant*. Et si gausapina illa pænula fuit, cingulo tunicam succinctus erat. Alij pænularum nomine tunicas veniisse obseruant. Falso. Nam tunicatus populus non quod lacernatus esset, aut pænulatus dictus, sed quod in sola tunica. Et licet in Veteri Glossario *Scortea* explicetur δερματοχίτων, non tamen pænula scortea tunica fuit. nam & tunica scortea esse potuit, siue ex corio, loroque confecta, vnde & loricia, & lorica tunica ex loris. Ita & lacerna siue pænula loricia. Falsum item milites, & populum tunicis lineis superinduisse pænulam, quæ fuit tunica superior. nam tunicæ manicas cubito tenus habebant, ex quis brachia exerebantur, & ideo cingi poterant, at pænula vtrumque brachium premebat, & ipsi tunicæ superinjiciebatur. Neque Hieronymus tunicam pro pænula dixit ad Iulianum. *Iam dimisso synthemate equus publicus sternebatur, & nobilem iuuenem punicea indutum tunica baltheus ambiebat*. Cur enim tunicam eam pænulam fuisse dicamus? Sed quid opus est verbis? Si quis pænulati figuram adspiciat, facile intelliget nullo modo pænulas cingi potuisse, alioqui vtrumque brachium, quod pænulæ subiectum, eodem cingulo constrictum, & colligatum fuisset. Porro in Tabula XVIII. cucullus pænulæ appensus apparet, & quidem acuminatus, sicut & in subiecta Icuncula, vt opinor Aegyptiaca, quam habuimus beneficio splendissimi Equitis Ioannis de Lazara, qui singulari comitate, harumque literarum cultu, & totius antiquitatis peritia, sed præcipue instructissimo Numismatum Musæo non vetustissimam modo familiam vrbemque hanc, sed totam Italiam collustrat. Tab. XIX.

Tab. XIX.




Kilffonius

At pænulæ puerilis effigiem exhibet duplex marmor Patauinum editum a Cl. Equite Sertorio Orsato.

Tabula XX. XXI.

Tab. XX.



Russonus F.

Tab. XXI.



Russonus F.

De Colore Pænularum. Canusinæ, Fuscæ, ac Rufæ. Cap. VIII.

DVplicem pænulam fuisse diximus, scorteam, & laneam. Scorteam natiuo colore pellis fuisse, non est dubitandum. Pænula lanea, alia villosa, siue gausapina, alia breuibus villis, aut rasa, eaque Canusina dicta. Pænulas Gausapinas fuisse albas Martialis demonstrat. *Pænulæ Gausapinæ.* lib. XIV.

Is mihi candor inest villorum gratia tanta,
Vt me vel media sumere messe velis.

Canusinas duplicis coloris fuisse idem docet, vt de lacernis supra notauimus. Fuscas, & rufas. Fuscarum colorem turbato mulso similem fuisse testatur. *Canusinæ fuscæ.*

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit, gaude, non cito fiet anus.

Hinc passim Canusinæ fuscæ a vulgo Romæ gestatæ, præter pueros, & milites, qui exemplo Gallorum magis rufo colore, quam fusco in pænulis gaudebant. Martialis:

Canusinæ rufæ
Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris militibusque color.

Ergo cum fuscis pænulis vulgo vterentur, pueri, & milites rufum colorem prætulerunt, qui color vulgo in Gallia vsurpabatur. Ex hoc Lipsius Canusinam pænulã seruorum, & militum peculiarem fuisse credidit, & pueros seruos intellexit. Sed pueri ingenui sunt, quorum pænulæ, cum viriles fuscæ essent & tristiores, lætiore colore, rufo scilicet tinctæ. Male autem intellectus Senecæ locus doctissimo viro imposuit. Is est lib. III. de Benef. cap. XXVIII. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? Quo te pænulati isti, in militum quidem non vulgarem cultum subornati, quo inquam te isti efferunt?* Vbi pænulam militum vestem fuisse ait Lipsius, & quidem honestiorum colore rufo. Et primo Electorum Capite candẽ seruo-

rum,

rum, & militum peculiarem facit. Sed Romæ serui, aut sine pænuiis in sola tunica, aut pænulas fuscas olim induti. Nam pręter pueros & milites vulgus in fuscis pænulis, teste Martiali. Crescente mox luxu ditiores seruis suis pænulas Canusinas rufas induxere, præcipuè lecticariis. Martialis lib. IX. Ep. XXIII.

Vt Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Et quia is colori militibus vsurpatus, ideo Seneca dixit *lecticarios in militarem cultum subornatos*. Suetonius tanquam Neronis profusione dignum tradit cap. XXX. *Eum nunquam carrucis minus mille feciſſe iter, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Magnæ autem id lautitiæ fuit, etiam propter lanæ nobilitatem, quam a marito emi sibi postulat sumptuosa vxor apud Iuuenalem.

Interea calet, & regnat, poscitque maritum
Pastores, & ouem Canusinam, vlmosque, Falernas.

Vt luxus non vulgaris argumentum fuerit seruorum pænulas ex nobiliſſima lana scilicet Canusina confectas: quales ab ingenuis vulgo gerebantur, præterea rufo colore, vt militari cultu mancipia incederent.

Non ergo pænula militum vestis peculiaris fuit, sed communis et paganorum. Vt minus audiendi sint, qui ad Spartianum obseruant, cum lacerna militum esset & diceretur, postquam ea ab Vrbanis vsurpari cœperit, ad habitus distinctionem pænulas militum dictas esse. Nam semper pænula commune vestimentum fuit Quiritium, & militum, omnis sexus, omnis ætatis. Meminere & pænulæ militaris scriptores, sed non tanquam id peculiare vestimentum militię esset. Suetonius Nerone. *Irrumpenti Centurioni & pænula ad vulnus apposita.* Idem Galba. cap. VI. *Postridie quam ad legiones venit, solenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, vt manus pænulis continerent.* Seneca de benef. cap. XXIV. lib. V. *Meministi quoque sub quadam arbore minimum vmbræ spargente, cum velles residere feruentissimo soli, quemdam ex commilitonibus pænulam suam substrauisse.*

Quæ verba solum declarant etiam milites pænulam habuisse.

habuisse. Et cur non haberent tegmen illud, ac munimentum aduersus pluuias, cœlique iniurias? Tertullianus etiam meminit pænulę militaris de Corona militis cap. 1. *Ibidem grauissimas pænulas posuit, reuelari auspicatus, speculatoriam morosissimam pedibus absoluit*. Vbi *releuari* legendum esse, quemadmodum a Cl. Rigaltio editum est, facile intelliget, qui grauissimas pęnulas cogitabit. Illud etiam obseruabit, licet militibus communes pęnulę essent, videri tamen magis speculatorum proprias, vt qui Imperatorum mandata perferrent, supplicia exigerent, & ideo perpetuo in itinere essent. Neque illud prętereundum est, pęnulas eas de more rufo colore fuisse, siue vt ipse loquitur russo. Nam verbis illis, *grauissimas pænulas posuit, releuari auspicatus, morosissimam speculatoriam pedibus absoluit, gladium reddidit*, illa ex opposito respondent. *Nunc russatus sanguine suo* (non pęnulę colore) *spe calceatus*, & quę subijciuntur. Ita pęnulę illę aut de more rufę, aut certe russo, siue rubro colore fuerunt.

Quod verò subjicit Lipsius, viles seruorum in pullis vestibus fuisse, verum est, si tunicam intelligit. Nam Martialis, cuius locum adducit, loquitur de pueris, qui mensæ ministrabant, qui sine pænula, sed tunicati tantum, vt notum est, & viliores quidem tunicæ ex lana Pollentina, quæ pulli coloris. Martialis.

Lana quidem tristis (ideſt pulla) *sed tonsis apta ministris,*
Quales non primo de grege mensa vocat.

Pretiosiores ministri, & de grege primo tunicis albis, mox & auratis succincti, iidemque intonsi, & muliebriter culti; at secundarij, & viliores, tonsique, & inculti viliori lana, ac colore tunicas induti. Quod autem Lipsius seruos viliores cucullis vsos ex Martiali contendit:

Pullo Manius alget in cucullo.

vix venia dignus est. Ibi enim de ingenuo loquitur, & cucullus quoque commune tegmen fuit. Postremo, neque illud verum est, etiam pænulas purpureas fuisse ex Dionis loco supra laudato de Tiberio, qui μανδύαν pullam gestauit ad tollendum vsum purpurearum. nam Mandyam esse la-

cernam, non pænulam, doctis obseruatum est : lacernam inquam, non pænulam, neque togam purpuream, vt Xiphilini Interpres conuertit.

Narrat quidem Lampridius Macrinū destinasse dare populo pænulas coloris rosei in honorem Antonini filij, quæ vocarentur Antoninianæ. Quas miror cur in lacernas docti conuertant. nam vere pænulas donare decreuerat roseo colore insignes, cum lacernæ omnium colorum vulgo vsurparentur, vt esset aliquod discrimen inter pænulas seruorum, & ingenuorum, cum Canusinæ rufæ etiam in lecticarijs viluissent. Quod autem auctor Libri de vtraque pænula pullum pænularum peculiarem colorem fuisse ex Suetonio contendit : *Visa quondam pro concione pullatorum turba*, non animaduertit, ibi de lacernis loqui Suetonium. Subijcit enim: *Vetuit quemquam nisi positis lacernis in circo consistere* : quæ & ipsæ vulgo pullæ erant.

Pænulæ inter vestes muliebres. Eæ virilibus pretiosiores. Cap. IX.

ILlud etiam discrimen inter lacernas, & pænulas fuit, quod lacerna vestimentum virile tantum fuit, vt supra ostendimus, pænula commune etiam mulieribus. D. de auro, argento, mundo legato : *Communia sunt quibus promiscuè vtitur mulier cum viro : veluti pænula, palliumue est, & reliqua huiusmodi, quibus sine reprehensione vel vir, vel vxor vtatur.* Lampridius tradit ab Alexandro interdictas matronis pænulas : *Matronas tamen intra Vrbem pænulis vti vetuit, in itinere permisit.* Quas pænulas colore, & ornatu virilibus pretiosiores fuisse, credi par est. Nam Pollio in Quieti vita : *Alexandrum* inquit *Magnum viri in annulis argento, mulieres in reticulis, & in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt, eousque vt tunicæ, & limbi, & pænulæ matronales in familia eius hodieque sint, quæ Alexandri effigiem delicijs variantibus monstrent.* Ergo hæ pænulæ acu pictæ, & variatæ fuerunt. Quales & Caligulæ de quo Suetonius cap. LII. *Vestitu, calceatuque & cætero habitu, neque patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique humano semper vsus est. Sæpe depictas gemmataque indutus pænulas.*

Finis Libri Secundi. OCTA

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

PARS SECVNDA.

LIBER TERTIVS

QVI EST DE VESTE MILITARI.

Diuersæ Chlamydis species. Chlamys puerilis. Alicula. Velius Longus correctus. Martialis explicatus. Cap. I.

VEstimenta militaria apud Græcos, & Romanos fuere, Chlamys, Sagum, Paludamentum. Nam tunica communis etiam paganis fuit. Quæ licet diuersa nomine, re tamen eadem indumenta, aut non multum diuersa fuerunt. Chlamydem Græcæ originis esse, nec aliud quàm περιβόλαιον, hoc est vestimentum quod tunicæ superindueretur, & quidem ferè militare, scriptores consentiunt. Vt quemadmodum toga pacis, ita chlamys belli insigne esset. Philostratus lib. v. cap. XIV. χλαμύδος ἡράσθη, καὶ στρατιώτου βίου. *Chlamydem, & militarem vitam adamauit.* An vero quemadmodum χλαῖνα, quod hieme frigus arceret, παρὰ τὸ χλιαίνειν dicta sit, Grammatici viderint.

Porro diuersæ chlamydis species apud scriptores occurrunt. *Puerilis, Muliebris, ac Virilis.* Rursus hæc *vulgaris*, & *Imperatoria*, de quibus singillatim aliqua nobis adnotanda sunt. Vlpianus D. de auro arg. leg. *Puerilia vestimenta esse ait, quæ ad nullum alium vsum pertinent nisi puerilem, veluti togæ prætextæ, Aliculæ chlamydes, pallia, quæ filijs nostris comparamus.* Iuris consulti non infimæ notæ, qui quid essent *Aliculæ* non intellexerunt, *Alicubi*, aut *Caligulæ* reposuerunt voces nihili. Doctissimus Hottomannus legendum putat

Aliculæ, & manicatas tunicas intelligit, quæ pueris decoræ, grandioribus autem minus honestæ erant apud Romanos auctore Gellio. Sanè Hesychius Αλλὶξ χιτὼν χειρόδοτος explicat, tunica manicata. Quod verum esset, si huiusmodi tunicas chiridotas, siue manuleatas pueris decoras aliquis veterum notasset, aut ratione Hottomannus attulisset, cur hæ tunicæ decoræ pueris, grandiori ætati probrosæ essent. Cum apud Gellium Scipio Sulpitium Gallũ amarè perstringat, quòd in conuiuio adolescentulus cum amatore cum chiridota tunica inferior accubuerit. Vt nonnisi pueri meritorij ea tunica vterentur. Cuiacius Obseruationum lib. XVIII. Aliculas breues togas interpretatur, quòd Martialis lib. XII. LXXXIII. ait:

Brumæ diebus, feriisque Saturni
Mittebat Vmber Aliculam mihi pauper.

Id autem alibi ab eo sic explicatum. lib. XIII. VI.

Breuis gelidæ missa est toga tempore brumæ.

Sed tam Aliculæ, quam togæ, & alia vestimenta mittebantur Saturni diebus, quas togas patronorum auaritia (qui munusculis clientes colebant) vt sumptui parceret, breuiores, & strictiores faciebat, vt idem vates non semel notauit. Sed cur aut vnde istæ breues togę Aliculæ dictę sunt? Aliculæ notationem solus, quod ego sciam, veterum posuit Velius Longus de Orthographia. Cuius integrum locum afferam, quia satis obscurus est, & corruptus. *Et de hac litera quæritur, quæ se cum his aut inseruit vocibus, aut præposuit: inseruit vt in his vehemens, reprehendit, cum elegantiores, & vehementer dicant. In reprehendit secundum primam positionem: prendo enim dicimus, non prehendo: at præposuit, vt cum dicas hostis, harena, alicam, etiam haliculam cum ab alendo possit alica dici, & aliculam existiment dictam, quod alas nobis inuecta contineat.* Hactenus ille. Qui de aspiratione loquitur, siue vt ipse credit litera *H*. Cum igitur ponenda esset nota aspirationis *H*. incuria librariorum *hac* scriptum est. Ait autem hanc literam partim se inseruisse quibusdam vocibus, partim præposuisse. Inseruisse, vt in *vehemens*, & re-

prehen-

prehendo, quum tamen elegantiores etiam veementer dicerent, quod ibi sine aspiratione scribendum est. Inseruisse etiam se in verbo *reprehendit* secundum primam positionem, scilicet *prendo* (cum post additum sit Re) *prendo* enim inquit dicimus, non *prehendo*. Subjicit præposuisse se vocibus, vt *hostis*, *harena*, *halica*, *halicula*. Sententia veteris Grammatici est, H. literam velut in alienam possessionem irrupisse, & minime necessario præpositam vocibus, quæ ea carere poterant. Affert inter alia exemplum *Alicæ*, & *Aliculæ*, quarum si altera ab alendo, altera ab alis deducatur, quid opus aspiratione? Subijcit enim: *Hortus quoque non desiderabat aspirationem, quod ibi herbæ oriantur*.

Totus igitur ille locus ita constituendus est. *Et de H. litera quæritur, quæ se cum his aut inseruit vocibus, aut præposuit. Inseruit, in his vehemens, reprehendit, cum elegantiores, & veementer dicant: in reprehendit secundum primam positionem: prendo enim dicimus non prehendo. At præposuit, vt cum dicas Hostis, Harena, Halica, Halicula: cum ab alendo possit Alica dici, & Aliculam existiment dictam, quod alas nobis iniecta contineat*. Hæc ille. Verum neque *Arena* neque *Alica* neque *Alicula* aspirationem retinuere.

Vt in viam redeamus, si *Alicula* dicta est, *quod alas nobis iniecta contineat*, Alicula vtique toga esse non potest, quod opinatur Cuiacius, quæ rotunda, & clausa alas habere non potuit. Fuit igitur *Alicula* chlamys, & quidem puerilis, & inter vestimenta puerilia a Iuris consulto recensita. Infantes enim olim, ac pusiones, aut nudi, aut chlamydula semitecti incedebant. Herodianus lib. 1. narrat Commodum, quum familiarium nomina, quos neci destinauerat, libello inscripsisset, eum libellum a puerulo, quem habebat in delitijs foras elatum totum negotium aperuisse. *Erat autem* inquit *puerulus adhuc infans ex ijs, qui vestitu cætero nudi, sed auro, gemmisque ornati solent delicatioribus oblectamento esse*.

Reliqui ferme chlamydula humeris iniecta seminudi. Talem Mercurium suum describit Martianus initio operis:

Ac iam pubescentes genæ seminudum incedere, chlamydeque indutum parua, inuelatumque cætera humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cypridis non sinebant. Apuleius lib.x: *Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyde sinistrum tegebat humerum.* Chlamydis puerilis meminit Suetonius Tiberio. cap. VI. *Munera quibus a Pompeia Sexti Pompeij sorore in Sicilia donatus est, chlamys, & fibula, item bullæ aureæ durant, ostenduntur que adhuc Baijs.* Subiectam Mercurij chlamydati effigiem a Ioanne Galuano accepimus, quo eloquentia, ac nobili reorum patrocinio nullus mortalium magis propitium Mercurium nactus est, nemo Themidis sacrario propius admotus, nemo vetustatis cymelijs publico bono instructior.

Tabula XXII.


Quan-

Tab. XXII.



Pag. 91

Ruſconus ſ.



Quanquã haud veriſimile eſt, præcipue apud Romanos, maiores pueros ita inceſſiſſe ea ætate, qua maxime velari corpora oportet, cum ob hanc cauſam etiam poſt togam virilem per annum exercitationis campeſtri tunicati eſſent. Sed infantes, puerique minuſculi chlamydulam induti, quam, quia veluti alas haberet, *Aliculam* dixerunt.

Hinc iocus Martialis Interpretibus non intellectus lib. XII. Ep. LXXXIV.

Brumæ diebus, feriiſque Saturni
Mittebat Vmber aliculam mihi pauper:
Nunc mittit alicam, factus eſt enim diues.

Aiunt ex Plinio *Aliculam* maioris pretij fuiſſe, quam *Alicam*. Sed nihil horum apud Plinium. nam lib. XVII. cap. XI. ait. *Alicæ tria genera fuiſſe minimum, ac ſecundarium; grandiſſimum apharema appellari*. Aliculam pretioſiorem fuiſse nec apud Plinium, nec apud alios facile reperias. Iocus poetæ non ita frigidus, vt iſti volunt, in ipſa voce eſt. Nam *Alica* potionem e zea, vt notum eſt, ſignificat, *Alicula* veſtem ſiue paruam chlamydem. Ergo Vmber, cum eſſet pauper, mittebat *Aliculam*, ideſt veſtem, Martiali: at diues factus mittit *Alicam*, hoc eſt potionem. Cum autem *Alica* maior eſſe videatur, *Alicula* argute carpit auaritiam Vmbri, qui factus diues pro veſte potionem miſerit. Miſſam autem Alicam a pauperioribus docet idem XIII. VI.

Nos Alicam, mulſum poterit tibi mittere diues.
Si tibi noluerit mittere diues, eme.

Ceterum quemamodum nullus *Aliculam* pro *Alica* ſiue potione accepit, ſic contra nemo Latinorum *Alicam* pro veſte poſuit. Græci quidem ἄλλικα chlamydem dixere. Heſychius Ἄλλικα χλαμύδα, ἐμπόρπημα, οἱ δὲ πορπίδα χλαμύδος ἀλληλεχείρα. Idem paulo poſt Alica tunicam chiridotam interpretatur.

Porro ephebos etiam in chlamydibus, & quidem veluti peculiari habitu fuiſſe apud exteros Plutarchus docet in Catone Minore, quum deſcribit pompam Antiochienſium, qui Demetrio Pompeij liberto apud herum gratioſo ad ſe

ad-

aduentanti obuiam effusi erant. Ἐν οἷς ἔφηβοι μὲν χωρὶς ἐν χλαμύσι, καὶ παῖδες ἑτέρωθι κοσμίως ἱστήκεσαν. *Ephebi in chlamydibus, pueri in alio ornatu separatim consistebant.* Artemidorus lib. I. cap. LVI. Ἐφηβεύειν ideſt *Ephebeorum habitum gestare, si seruus sibi videatur liber erit, quandoquidem solis liberis id lege permissum est. Omnibus autem artificibus manuarijs, & Rhetoribus otium & cessationem in annum significat. Oportet enim ephebum, siue Tyronem τῇ χλαμύδι τὸν δεξιὸν ἐνειλημένον ἔχειν. Chlamydi dextram inuolutam habere.* Vbi obseruandum, quemadmodũ Romani anno Tyrocinii brachio togam cohibebant, vt supra adnotatum est, ita Græcos per annum dextram chlamyde inuolutam habuisse. χλαμύδιον siue chlamydulam Plutarchus dat Faustulo nutricio Romuli ac Remi iam viro. Quum scilicet vt capto Remo opem ferret scaphulam infantis crepundia Numitori detulit. ὀυκ ἔλαθε τὸν σκάφον τῷ χλαμυδίῳ περικαλύπτων. *Apparuit scapha, quam chlamydula tectam habebat.* Sed chlamydion pro simplici chlamyde ab eodem in Amoribus, & in Philopœmene vsurpatur. Et aut illa lacerna fuit, aut quid simile. nam Romæ secutis temporibus militum modo chlamydes fuere.

Chlamys muliebris. Dionis Interpres notatus. Cap. II.

ETsi chlamys propriè vestimentum virile fuit, non semel tamen muliebris chlamydis mentio apud scriptores occurrit. Poeta de Didone:

Sidonio pictam chlamydem circundata limbo.

Agrippina etiã in spectaculo naualis prælij aurata chlamyde induta apud Tacitum lib. XIII. & Dionem lib. LX. quam Plinius *paludamentum* appellat. Idem Dio lib. LXII. Bunduicæ Britanicę habitum describens χιτῶνα τε παμποίκιλον ἐνεδεδύκει, καὶ χλαμύδα ἐν αὐτῷ παχεῖαν ἐνεπεπόρπητο. Interpres. *Induebatur tunica varijs coloribus distincta, sinuosa per fibulas insuper crassa chlamyde cincta.* Sed quî chlamyde cingi potuit? Rectius verteris. *Tunicam variegatam in*

sinum

sinum colligens, & in ipso (sinu) *crassam chlamydem insibulata.*

Chlamys militaris. Eadem cum Sago. Cap. III.

CHlamydem fuisse vestimentum militare, quod tunicæ, loricæ, ac reliquæ armaturæ imponeretur apud Græcos, certũ est & indubitatum. Plautus Comœdia palliata. Rudente Act. II. Scena II.

Ecquem adolescentem huc,
Dum hic astatis strenua facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cum machæris vidistis venire?

Vbi chlamydati sunt milites, quos secum Pleusidippus duxerat aduersus lenonem. Et Pseudolo. Quum sycophantam ornaturi essent militarem in modum:

Etiam opu' st chlamyde, & machæra, & petaso.

Quem Ballio primum videns.

Quis hic, inquit, homo chlamydatus est?

Vbi notant Interpretes, *chlamydem* viatoriam vestem esse, & *chlamydatos* qui peregre aduenirent. Quod vt verum sit, nam in itinere pro pallio chlamydem breuius vestimentum sumptum constat: sic Charinus apud eundem in exilium iturus posito pallio sumit chlamydem. Eo tamen loco *chlamys* non tam peregrinum, quam militem, militisue seruum demonstrat.

An vero chlamys etiam apud Romanos vestis militaris fuerit, dubitari potest. Nam Latini scriptores raro, aut nunquam in vestimentis militaribus chlamydis meminerunt, sed tantum Sagi, ac Paludamenti. Verum nihil aliud sagum, siue vt veteres loquebantur sagus, fuit quam chlamys. Indumentum scilicet siue περιβόλαιον, quod tunicæ imponebatur, & fibula vt chlamys in humeris nectebatur. Auctor Etymologici: χλαμύς τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς, τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον Σάγος: ἱμάτιον ὅπερ φορῶσιν οἱ κηροφόροι.

Præterea cum inter bella ciuilia mutatio vestis fieret, depositis togis saga sumebantur. Hinc *ire ad saga, & esse in*

sagis apud Ciceronem & alios. Græci scriptores sumere chlamydes dixerunt. Dio lib. XLVI. Τὰς τε χλαμύδας τὰς στρατιωτικὰς πάντες καὶ ὃς μὴ ἐστρατεύσαντες ἠμπέχοντο. *Chlamydes autem militares* (siue saga) *etiam ij, qui non proficiscebantur in bellum, sumpserunt.*

Chlamydem & Paludamentum idem vestimentum fuisse. Cicero explicatus. Cap. IV.

NEc chlamys modo, ac sagum eadem res fuit, sed chlamys, ac paludamentum. ex quo illud sequitur, etiam sagum, & paludamentum idem indumentum fuisse. Nonius. *Paludamentum est vestis, quæ nunc chlamys dicitur.* Nam licet paludamentum peculiaris Imperatorum vestitus fuisse videatur, sagum, siue chlamys militum, nihilominus etiam Imperatores chlamyde sagoque vsos apparet. Et de Græcis quidem Ducibus, atque Imperatoribus non est dubitandum, quin chlamyde in bello vsi sint. Plutarchus in Quæst. Conuiualibus lib. I. Problem. IV. de Pericle. ὁ μὲν περικλῆς ὀσάκις ἥρημένος στρατηγὸς ἀνελάμβανε τὴν χλαμύδα. Idē in eius vita narrat quemadmodum classem in hostem eductus, cum subita solis defectione consternatus esset gubernator triremis, sublatam chlamydem ori eius opposuerit, rogitans num illud dirum quid, aut horrendum videretur. Illo abnuente, quid igitur, inquit, interest, nisi quod maius chlamyde est, quod nunc tenebras agit. Idem Plutarchus de Alcibiade τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ἀτὴν ἑαυτῷ χλαμύδα περιελίξας. Idem Philopœmenis chlamydem, siue chlamydulam tenuem, & detritam memorat, propter quam ab hospita vnus ex famulis creditus est: atque eundem in carcere, cum illi venenum carnifex attulisset, chlamyde obuolutum refert. Aelianus quoque variæ Hist. lib. XIV. cap. X. memorat dictum Demadis, qui ambitu Phocioni prælatus fuerat. Accedens enim ad Phocionem χρῆσόν μοι ἔφη τὴν σὴν παρὰν χλαμύδα ἵνα ἐνώδεις φορῶν περὶ τὴν στρατηγίαν.

Romanos etiam Imperatores chlamyde vsos constat. Dio

lib.

lib. LX. de Claudio. Αυτὸς μὲν οὖν ὁπλομαχίας ἀγῶνα ἐν τῷ στρατοπέδῳ χλαμύδα ἐνδὺς ἔθηκε. Xiphilinus de Seuero lib. LXXV. Sed vt vidit suos omnes fugere τὴν χλαμύδα περιρρηξάμενος, *discissa chlamyde districtoque gladio in fugientes insilijt.* Idem lib. LXXVII. de Caracalla protegente Cilonem aduersus militarē seditionem: Καὶ τῇ χλαμύδι (τὴν γὰρ στρατιωτικὴν ἐφόρει) περικαλύπτα αὐτὸν. *Ipsum Cilonum chlamydis obiectu tegens; nam tum ei vestis militaris erat.* Herodianus de eodem Antonino lib. IV. ait eum sæpe Romana chlamyde deposita Germanorum indumenta sumpsisse. Hoc est chlamydes argento variegatas. Subjicit enim: ἔν τε χλαμύσιν ἀργύρῳ πεποικιλμέναις ἐστρατο. Apud eundem milites facturi Gordianum Imperatorem chlamydem purpuream ei circumponunt. Et alibi Macrinum abiecta Regia chlamyde latuisse scribit.

An verò veteres Romani Duces, atque Imperatores libera ciuitate chlamyde vsi sint, non ita certum est. Imò Cicero negare videtur, qui in Oratione pro Rabirio Postumo, vt eum defendat, quod Alexandriæ palliatus incesserit, hæc habet. *Aut pallium sumendum Alexandriæ, vt & Romæ togato esse liceret: aut omnes fortunæ abijciendæ, si togam retinuisset. Deliciarum causa, & voluptatis non modo ciues Romanos, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpè videmus. Chlamydatum illum L. Sillam Imperatorem: L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque deuicit, non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis.* Ex quibus verbis Vualtrinius de re militari lib. III. cap. XIII. credit paludamentum, ac chlamydem diuersum vestimentum fuisse, alioqui frustra Cicero tanquam rem insolentem notasset Imperatorem chlamydatum. Verum locus iste Ciceronis omnino corruptus est, ac mutilus. Quomodo enim illa cohærent. *Chlamydatum illum L. Sillam*, cum ijs quæ sequuntur? Et hercle in veteribus libris variant. Sed ad intelligendum Ciceronem non parum conferet Val. Ma-

ximus lib. III. cap. VI. cui titulus est. *Qui ex illustribus in veste, aut in cætero cultu licentius, quam mos patrius permittebat, indulserunt. Lucius quoque Silla*, inquit, *cum Imperator esset chlamydato sibi, & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.* Fortasse igitur Ciceronis locum aut hæc, aut similia verba suppleuerint. *Chlamydatum illum L. Sillam Imperatorem Vrbs eadem vidit.*

Quidquid sit, non notabile visum est in Silla, & Scipione, quod chlamydati essent, quî enim poterat, cum ea vestis militaris & Imperatoria esset, ac paludamentum diceretur? Verum quum in vrbibus, atque oppidis non Imperatores modo, sed reliqui ciues ea tempestate togati incederent, Silla contra consuetudinem id sibi indulsit, vt cum chlamyde, & crepidis incederet. L. vero Scipio statuam sibi chlamydatam, & crepidatam poni voluit, cum nonnisi togatæ ponerentur, ea scilicet specie, qua triumphabant: nam triumphantes in toga & quidem picta fuisse nemo ignorat. Idem Valerius de Scipione. *L. vero Scipionis statuam chlamydatam, & crepidatam in Capitolio cernimus, quo habitu videlicet quia aliquando vsus erat effigiem suam formatam poni voluit.* Licentius igitur, quam patrius mos permitteret, id sibi indulsit Scipio, vt statua cum chlamyde sibi poneretur, cum statuæ togatæ ponerentur. Præterea cum crepidis, quæ Græcum pedum tegmen erant: si tamen tegmen dicendum est, quo sola pedis inferior pars muniebatur reliqua inrecta, vt suo loco dicemus. Nam quod Liuius ait P. Scipionem notatum fuisse, quòd palliatus cum crepidis apud Siciliam in Gymnasio inambularet, Tacitus idem memorans ait, ipsum intectis pedibus incessisse. Ex quo apparet, Romanum calceamentum etiam militare pedem totum texisse, de quo infra.

Plinius etiam vt supra indicauimus paludamentum cum chlamyde confundit. Nam quod Tacitus lib. XII. narrat de Claudio edente Naumachiam. *Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde*; & Dio confirmat. ὁ δὲ Κλαύδιος, ὅ τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐσάλισαν, ἥτε Ἀγριππῖνα χλα-

χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Plinius ſic retulit. *Nos vidimus Agrippinam Claudij Principis edente eo naualis prælij ſpectaculum adſidentem ei indutam paludamento auro textili, ſine alia materia.*

Sagum pro Paludamento, & contra ſcriptoribus poſitum. Appiani & Plutarchi Interpretes notati. Cap. V.

QVemadmodum Sagum & Chlamys, Chlamys & Paludamentum, ita Paludamentum & Sagum pro eodem veſtimento ponitur. Salluſtius lib. 11. Hiſtor. apud Nonium. *Occurrere duci, & prælium accendere, adeo vti Metello in ſagum, Hirtuleio in brachium tela venirent.* Tunc autem Metellus Imperator. Horatius lib. Epodon. IX. de M. Antonio Imperatore.

Terra, mariſque victus hoſtis Punico
Lugubre mutauit ſagum.

Vbi Porphiryon: *Hoc eſt, depoſuit coccineam chlamydem Antonius, qua ſcilicet Imperator vtebatur, & accepit lugubrem, ideſt nigram, & vtrum ob luctum victarum partium hoc facit, an vt in fuga lateat.* Hirtius de bello Africano: *Cum Scipio ſagulo purpureo ante Iubæ Regis aduentum vti ſolitus eſſet.* Ita Senatus Romanus Maſaniſſæ Regi munera mittit apud Liuium lib. XXX. *Sagula purpurea duo cum fibulis aureis ſingulis, & lato clauo tunicis.*

Vt ſagum pro paludamento, ita hoc pro illo vſurpatum inuenio. Liuius lib. I. de Horatij ſorore. *Cognitoque ſuper humeros fratris paludamento, quod ipſa confecerat.* At Curiatius miles manipularis erat. Lictores etiam paludati, ideſt cum ſagulis. Idem lib. XLI. *C. Claudius Coſ. veritus, ne forte ea res prouinciam, exercitumque ſibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, nocte profectus præceps in prouinciam abiit.* Et alibi. *At lictores cum ſagis.* Cicero in Piſonem. *Togulæ lictoribus ad portam præſto fuerunt, quibus illi acceptis ſagula reiecerunt.* Male tamen illud Appiani in Punicis huc do-

cti

ai trahunt de triumpho Scipionis: Αὐτοῦ δὲ ἡγοῦνται τῶν στρατηγῶν ῥαβδοῦχοι, φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες. Male inquam *Paludatos lictores* Interpretes vertunt. nam ibi lictores tunicas purpureas, non paludamenta induunt. Quemadmodum & illud Plutarchi in Marcello: Προυκεῖτο μὲν ὁ φοινικοῦς χιτὼν, ὅσπερ ἔνθεν μαχῆς ἐσομένης σύμβολον. Perperam *purpureum paludamentũ* interpretantur. Tunica enim ibi purpurea, non paludamentum in signum pugnæ proponitur.

Paludamentum Vestis Imperatoria. Cap: VI.

LIcet hæc a scriptoribus confundantur, cùm, vt diximus, forma idem vestimentum fuerit paludamentum, chlamys, & sagum: qui tamen proprie locuti sunt paludamentum Imperatoris chlamydem dixerunt, sagum militum. Varro de lingua Latina lib. VI. *Paludata a paludamentis; sunt hæc insignia, & ornamenta militaria. ideo ad bellum cum exit Imperator, ac lictores vestem mutant, & signa incinuerunt Paludatus dicitur proficisci; quæ propterea quòd conspiciuntur, & fiunt palam Paludamenta dicta.* De notatione videant docti, ac rideant. Cicero in Pisonem. *An cum proficiscebamini paludati in prouincias, vel emptas, vel ereptas.* Et epist. ad Cassium. *Pansa noster paludatus ad III. Kal. profectus est.* Liuius passim. lib. XXI. *Ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda paludatus inde in prouinciam iret.* Plinius in Panegyrico. *Gestus Consulatus non hoc Vrbis otio, & intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras gentes, vt illi solebant, quibus erat moris paludamenta mutare prætextam:* id est, deposita prætexta sumere paludamentum, & proficisci in hostes. Iuuenalis Sat. VI.

Cumque paludatis ducibus præsente marito
Ipsa loqui.

V. Interpres. *Euntibus ad militiam, chlamydatis scilicet.* Sallustius: *togam paludamento mutauit.*

Duces ergo, atque Imperatores paludati proficiscebantur in hostem, cum e bello reuerterentur, posito paludamento togati Vrbem ingrediebantur. Quare vt nouum, ac Ty-

ranni-

rannicum in Vitellio notauit Suetonius cap. XI. *Quod Vrbem ad classicum intreierit paludatus, ferroque succinctus inter signa, atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.* Xiphilinus lib. LXXIV. de Seuero ingrediente primo Vrbem cum Imperator factus esset narrat, *quum usque ad portas Vrbis in equo sedisset, καὶ ἐν ἐσθῆτι ἱππικῇ, ἐντεῦθεν δὲ τῷ τε πολιτικῷ ἀλλαξάμενος.* Vbi pro veste equestri & Vrbana rectius erit, *paludamentum*, & *togam* interpretari. Nunquam igitur intra vrbem Duces paludati. Atqui si Dionis Interpreti credimus inter reliquos honores Pompeio absenti decretos ille etiam fuit, vt diebus festis paludamentum laureatus gestaret, vestem triumphalem in equestribus certaminibus. Verba Dionis sunt: *Διαφοροῦν τε αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τῷ στολῇ, τῷ μὲν ἀρχικὴν ἐς πάσας αὐτὰς τῷ δὲ ἐπινικίῳ ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐσθοῦντα.* Atqui στολὴ ἀρχικὴ est vestis Consularis siue prætexta, non paludamentum. Dio autem paludamentum modo vertit ἱμάτιον purpureum, vt lib. XLI. de Cæsare, qui apud Aegyptum in mare deciderat, & cum grauaretur paludamento, cumque, quod esset purpureum, Aegyptiorum iaculis impeteretur, illud abiecit: quanquam Suetonius mordicus illud tenuisse dicit, ne spolio potiretur hostis. Partim χλαμύδα στρατιωτικὴν vocat, vt lib. II. de Poliæno, qui, vt in fuga lateret, χλαμύδα τῷ στρατιωτικῷ abiecit: partim simpliciter φοίνικα, vt lib. XLVI. de prodigijs, quæ Pansæ Cos. initio belli euenerunt: *Καὶ τις ἐν τούτῳ φοίνικα αὐτῷ προσφέρων, in effuso cruore lapsus, τὸν φοίνικα ἐμίανεν.* Vbi τὸν φοίνικα vertendum est *paludamentum*. Ergo στολὴ ἀρχικὴ non est paludamentum, quod olim credebamus, sed est vestis magistratuum, siue prætexta, qua S.C. vti poterat Pompeius, etiam si in magistratu non esset, sicut Triumphali in certaminibus equorum, hoc est Circensibus. Eum tamen, quæ fuit vim moderatio, semel tantum hoc honore vsum, idem Dio tradit.

De Sago. Cap. VII.

SAgum non tantum pro veſte militari, ſed pro quouis tegumento vſurpatum, notauit Caſaubonus ad Capitolinum de L. Veri equo Volucre, *quem ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad ſe adduci iubebat*. Vbi ex artis Veterinariæ magiſtris equos ſagis coopertos fuiſſe demonſtrat. Nos veſtem militarem exſequimur.

Quemadmodum ergo paludamentum proprie loquendo fuit veſtis Imperatoria in bello, ita ſagum, ſiue chlamys, veſtis militaris, qua tamen omnes milites, non tam gregales, & manipulares, quam ordinum duces, Centuriones, & Tribuni vtebantur. Suetonius Vitellio cap. XI: *Vrbem denique ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus inter ſigna, atque vexilla, ſagulatis comitibus*. Capitolinus in Marco Philoſopho: *Per Brunduſium veniens in Italiam togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit, nec vſquam fuerunt ſagati ſub eo milites*. De Centurionibus Suetonius Auguſto XXVI: *Cum quidem cunctante Senatu Cornelius Centurio princeps legationis, reiecto ſagulo oſtendens gladij capulum, non dubitaſſet in Curia dicere. Hic faciet, ſi vos non feceritis*. Liuius lib. VII. *Hæc omnia Tribunus ſagulo gregali amictus, Centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hoſtes notarent, perluſtrauit*. Vbi tamen apparet, fuiſſe aliquod diſcrimen inter ſaga Tribunorum, Centurionumque, & manipularium militum, quod infra expendemus.

Milites ergo in bello ſagati. Suetonius Iulio XLVIII. *Conuiuatum aſſidue per prouincias duobus triclinijs, vno quo ſagati, palliatiue, altero quo togati cum illuſtribus prouinciarum diſcumberent*. Torrentius cum Turnebo *Sagatos* Gallos interpretatur, quod Galli ſagum geſtarent: ſed ſimplicius fuerit, ſagatos milites dicere, qui in comitatu Cæſaris. Quod & Caſaubono placet, qui *palliatos* etiam interpretatur Græcos, qui in miniſterio & comitatu Cæſaris, vt medicos & eruditos. Sed cum Suetonius loquatur de prouincijs per

quas conuiuaretur Cæsar, pallium autem commune fere gentium gestamen, palliati fuerunt prouinciales, ad quos Cæsar diuertebat. Verè & Galli Sagati. Strabo de Belgis lib. IV. Σαγηφόροι δὲ καὶ κομωτρεφεῖσι. de quibus infra aliquid dicemus. Ceterum rebus turbidis, magnoque Reip. discrimine positis togis sumpta in vrbe saga, alias docuimus. Quibus adjice Liuij Epitomen LXXI. *Italico bello, saga populus sumpsit*. Sequenti libro: *Ob eam victoriam Romæ saga posita sunt*. De eadem re Paterculus lib. II: *Tam varia, atque atrox fortuna Italici belli fuit, vt ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur*.

Chlamydis, Sagi, Paludamenti forma. Valtrinij non vnus error in Re Vestiaria. Cap. VIII.

CHlamydem, Sagum, Paludamentum, idem vestimentum fuisse, aut non admodum dissimile, ex forma etiã apparebit, quam veteres statuæ repræsentant; & ratio ipsa confirmat, quod scilicet indumentum esset apertum, idque tunicæ superinduceretur, & fibula necteretur. Chlamys quidem duplicis generis fuit, Macedonica, & Vulgaris. Macedonicam in extrema parte clausam testatur Ammonius. Εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆπται. At vulgaris tota aperta. Macrobius: *Veteres omnem habitabilem terram extente chlamydi similem esse dixerunt*. Hinc facile fuit, in re subita chlamydem pro clypeo sinistro brachio inuoluere: quod fecisse Alcibiadem in rebus extremis diximus. In prima tabula Adrianus cum chlamyde. In altera diuersis nummis milites chlamydati, siue sagati, Imperator paludatus. Ita tamen, vt breuiores chlamydes; longius, ac fusius paludamentum.

Tabula. XXIII. & XXIV.

Tab. XXIII



R. Iffonius f.

Tab. XXIV.

Hadriani



Hadriani



Hadriani



Commodi



Et quia aperta erat, ideo in humeris, vel ad ceruicem fibula nectebatur, vt ex veterum monumentis apparet. Ouidius lib. XIV. Metamorph.

Phœniceam fuluo chlamydem comprensus ab auro.

Et paulo infra de eodem Pico in auem conuerso:

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem
Fibula, quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fuluo ceruix præcingitur auro.

Statius:

Emicat, & torto chlamydem diffibulat auro.

Codicis lib. XI. Tit. XI. lib. I: *Fibulis quoque in chlamydibus his vtantur, quæ solo auro, & arte pretiosæ sunt.*

Sagum item vestimentum apertum & infibulatum, quodque reliquis vestimentis superindueretur. Silius lib. XVII:

Humeris imponit honorem
Fulgentis saguli.

Cæsar lib. I: *Sinistras sagis inuoluunt.* Inde etiam patet, apertum fuisse, quod eo extenso homines per ludibrium in sublime iactabantur. quod a Nerone factitatum tradit Suetonius, & Martialis lib. I.

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Suetonius Othone cap. II. *Ferebatur, & vagari noctibus solitus, atque inualidum quemque obuiorum, vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime iactare.* Plinius lib. XVI. de Visco: *Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce demetit, candido id excipitur sago.* Quod autem fibulam haberet, Varro apud Nonium. *Quum neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret.*

At sagulum breuius sagum fuit. Tacitus de moribus Germanorum: *Nudi, aut sagulo leues.* Neque tamen audiendus Vualtrinius de re militari, qui contendit sagum fuisse vestimentum talare: quod Trebellius in Saturnino: *Huius* inquit *insigne est, quod in conuiuio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis iussit, hieme grauibus, æstate perlucidis.* Hoc enim solum indicat saga fuisse tunicis longiora, non autem talaria. Nam cum tunicæ militum breuiores


riores essent, & fere tantum ad genua pertinerent, cum paganorum ad medium crus descenderent, cum iacerent milites in lectulis tricliniaribus periculum erat ob breuitatem tunicarum, ne ea renudarentur, quæ melius est tegi: itaque iussit Saturninus discumbere cum sagis, quibus inferiora velarentur. Casaubonus existimat depositas a militibus in conuiuio braccas: sed mihi verisimilius videtur, eas nondum receptas in communem vsum, cur enim discubituri braccas ponerent, quasi illuc ituri quo saturi solent?

Sed non semel peccat in re Vestiaria idem Vualtrinius vir alioqui doctus. Scribit ab Imperatore ad sagum paludamentum addi solitum. quod cum idem vestimentum fuerit, duo paludamenta gestassent Imperatores. Subjicit talare fuisse, quod supra arguimus. Id dextro brachio exerto in siniſtro humero nodo alligari solitum. quod falsum veteres statuæ demonstrant. Hinc veluti solutis frenis in auia & absurda abripitur. Trabeam cum paludamento confundit, ideſt pallium cum toga: latos clauos, & angustos a Tribunis ad sagum additos fuisse, qui tamen soli tunicæ indebantur: milites frigoris causa sago pænulam superinduisse, & alia non docto solum viro, sed ipsis tyronibus, quique literas vix attigerunt, indigna.

Paludamentum etiam apertum fuisse, illud Liuij de Gracho demonstrat: *Paludamentum brachio inuoluens*. Etiam fibulatum veteres statuæ indicant: sicuti Imperatorium vulgari laxius fuisse, & fusius, tum supra allata numismata, tum Tabula proxime sequens.

Tabula XXV.

Tab. XXVI.



Sagochlamys. Chlamys Dardanica Mantuelis. *Cap. XI.*

SAgum, & chlamydem diuersa fuisse vestimenta merito quis arguerit, quod Trebellius inter dona dari iussa Claudio recenset sagochlamydes. *Sagochlamydes*, inquit *annuas duas*. Casaubonus interdum ex duplici genere vestium vnum confectum fuisse demonstrat, quod vtriusque figuram participaret. Sic *chlamydem mantuelem* idem auctor nominat: sic *tunicam palliolatam* Vopiscus in Bonoso recenset. Si ergo sagochlamys ex chlamyde & sago composita, quod discrimen inter vtramque vestem fuit? Quidam existimant inter sagum, & chlamydem eandem differentiam fuisse, quæ inter chlenam, & chlamydem, quas Grammatici Græci figura diuersas tradiderunt, quod chlæna quadratum pallium esset, chlamys autem in inferiori parte committeretur. Sed nonnisi chlamys Macedonica, vt ijdem tradunt clausa erat in infima ora; & Romanorum, & reliquarum gentium chlamydes totæ apertæ, vt vetera monumenta demonstrant. Sed esto fuerint chlamydes omnes in inferiori parte commissæ. Velim mihi dicerent, quæ forma sagochlamydis. Si tota clausa, nihil ex sago habuerit, quod apertum: si solum in parte inferiori, tantum chlamys fuerit. Ita res magis implicatur, & obscura fit.

Fortasse igitur sagochlamys ex vulgari chlamyde, & sago Gallico composita fuit, ita vt adinstar tunicæ, vt de Gallorum sago diximus, indueretur, & manicas haberet, ceterum ad latera hinc inde pendulas alas adinstar chlamydis haberet. Cui hæc coniectura non placet, is de suo meliorem expromat, & magnam gratiam inibit.

Eadem siue maior difficultas in verbis quæ sequuntur proxime apud Trebellium: *Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam.* Si enim mantuelis a manto, vt docti viri censent, mantum autem ἀπὸ τῆς μανδύης, & μανδύη eadem, ac lacerna, cum chlamys, & lacerna idem, aut non multum dissimile

mile vestimentum fuerit, quid diuersum inueniemus, ex quo noua hæc vestis conflata sit? Nisi dicamus Mandyan etiam pro pænula accipi solere: pænulam autem diuersam a chlamyde, & lacerna docuimus, ita vt hæc vestis mixta fuerit ex chlamyde, & pænula. Nec aliud in re tam antiqua, & obscura expedire in promptu est.

Sagi, Chlamydis, & Paludamenti Materia. Cap. XII.

SIcut forma, ita eadem materia fuit chlamydis, sagi, ac paludamenti, nempe lana; ex qua etiam Togæ & tunicæ, omnisque Quiritium vestitus conficiebatur. Nam cum sericum nondum in vsu vrbano esset, nedum militari, linum etiam aut incognitum, aut processu temporis solis interioribus tunicis adhibitum, vna vestimentorum materia lana fuit.

Sed sicuti togæ & Tunicæ ex lana aliæ alijs pretiosiores fuere ipsius lanæ pretio, eadem ratione & chlamydes sagaque, & paludamenta maioris minorisue pretij. Saga scilicet gregalium, & manipularium militum crassiora, ac viliora fuere ipsa lanæ ignobilitate: at Centurionum, ac Tribunorum maioris pretij, ac nobilioris texturæ. Liuius lib. VII. *Tribunus sagulo gregali, amictus centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustrauit.* Cum enim idem color vestimentorum militarium esset, præter Imperatorium paludamentũ, quod purpureum, non aliud videtur discrimen fuisse, quam quod Tribunorum, ac Centurionum sagula ex pretiosiore, gregalium ex viliori lana conficerentur: & illorum nobilior, horum vulgaris textura esset: illorum pexa, ac mollior lana, horum crassior, hirta, ac villosa, interdum longo vsu detrita. Ita apud Plutarchum Philopæmen tali indutus chlamyde pro seruo habitus est. Hinc sagum pro veste viliori, ac crassiori, quam Martialis opponit lacernis purpureis potentiorum lib. VI. Ep. XI.

Te

Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit
Vis te purpureum Marce sagatus amem?

Vbi pingue, crassumque sagum, quod ferme in Gallia confi-ciebatur, Tyriis lacernis opponitur. Idem lib. VIII. Ep. XVIII.

Cum tibi tam crassæ sint Artemidore lacernæ,
Possum te Sagarum iure vocare meo.

Seneca Epist. XVIII: *Grabbatus ille verus sit, & sagum, & panis durus, ac sordidus.* Paulo ante dixerat: *Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac vilissimo cibo dura atque horrida veste dicas tibi. Hoc est quod timebatur.* Insignis sed misere corruptus Strabonis locus est lib. IV. de Belgis, & eorum vestitu: ἡ δὲ ἐρέα, τραχεῖα μὲν, ἀκρόμαλλος δὲ, ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγας ἐξυφαίνουσιν, οὓς λαίνας καλοῦσιν. οἱ μέν τοι Ῥωμαῖοι, καὶ ἐντοῖς προσβορωτάτοις τοὺς ὑποδυφθέρας τρέφουσιν πόιμνας, ἰσανῶς ἀγείας ἐρέας. Quæ sic vertit Interpres: *Lana eorum aspera est, sed ipsam proximè pellem detonsa: ex ea densa Saga texunt, quas lænas vocant. Sane & Romani in maxime Septentrionalibus locis degentes, laneas infra diptheras gerunt vestes sive lænas satis elegantes.* Nec mirum infeliciter admodum in hoc loco versatum, quem summus vir Casaubonus difficilem fatetur, & de quo neutram in partem affirmare audet. Sed omnino vera est, atque optima eius interpunctio, quam hæsitanter ponit. Nimirũ, οὓς λαίνας καλοῦσιν οἱ Ῥωμαῖοι. οἱ μεντοι καί &c. Non alia enim sententia esse potest, quam apud Belgas lanam asperã esse, & breuem, ex qua saga conficiuntur, quas lænas Romani vocant. At eos (Belgas) qui ad septentriones magis vergunt habere lanam longiorem, & eximiam. Ἀκρόμαλλος dicitur Interpreti, ad cutem detonsa lana. sed omnes lanæ ita tondebantur. Ἀκρόμαλλος, est breuis, cui opponitur Βαθύμαλλος, & Δασύμαλλος longa, & densa. Omnia autem alia vidit hîc Interpres. Nam quis illa intelligat? Sane & Romani in maxime Septentrionalibus locis degentes laneas infra diphteras gerunt vestes, siue lænas prorsus elegantes. Prorsus ineptissime. Optime vir idem Incomparabilis ὑποδυφθέρας oues pellitas interpretatur,

quas

quas Belgæ alebant, vnde lanam bonam consequerentur. Eas enim oues pellitas, vel tectas Latini dicebant. Varro de re Rustica. lib. II. cap. II: *Pleraque similiter faciendum in ouibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, vt sunt Tarentinæ, & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur.* Horatius.

Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen.

Ita ἀσπίων appellari a Strabone, quod in suo genere eximium est. Totus igitur ille locus ex Casauboni interpretatione ita vertendus est: *Lana aspera, & breuis villi, ex qua crassa saga texunt, quas Lanas Romani vocant. Qui vero ad septentriones tendunt greges pellitos alunt valde eximia lana vestitos.* Lana aspera densis, ac vilioribus vestibus adhibita, qualia lænæ, saga, & huiusmodi. Idem Strabo lib. v. scribit lanam mollem, & omnium longe optimam prouenire in Italia circa Mutinã & flumen Scutanam. τὴν δὲ τραχεῖαν ἡ λιγυστικὴ, ἡ τῶν Ἰνσύβρων. ἐξ ἧς τὸ πλέον τῆς οἰκίας τῶν ἰταλιωτῶν ἀμπέχεται. *Asperam Ligures, & Insubres præbent, ex qua plerique Itali familiæ vestimenta conficiunt.* At serui in sagis, ac centonibus, vt ex Columella docuimus. Subjicit Strabo eodem lib. IV. Iisdem Belgis tam copiosos fuisse pecorum, & porcorum greges, vt sagorum, & salsamentorum copiam non Romæ tantum suppeditarent, sed et plerisque Italiæ partibus. Et paulo infra sagorum, & tunicarum Ligusticarum meminit. Saga igitur, vt dicebamus, Tribunorum, & Centurionum ex pretiosa lana fuerunt, eaque pexa, ac recentia: at gregalia ex densa, hirtaque, & ferme vsu detrita. Xiphilinus lib. LXVI: *attritum sagulum dat Vitellio in rebus extremis*, si Interpreti credimus. *Vitellius sordido, laceroque sagulo amictus, se abdit in obscurum locum.* Sed in Græco est. χιτωνίσκον τε ῥακώδη ῥύπαρον ἐνέδυ. *Lacera sordidaque tunicula amictus.*

Par error in eadem re eiusdem Interpretis. Nam libri LXXIV. initio, vbi de Prætorianis Pertinacis interfectoribus a Seuero exauctoratis loquitur: *Hi inniti abiectis armis, equisque dimissis, ac discinctis sagis dispersi sunt.* Græca sic habent.

habent. ἔντε τοῖς χιτῶσι ἄζωστοι. Ad verbum *tunicati, & discincti:* ideſt ſine ſagis, & baltheo. Saga enim non cingebantur baltheo. quî enim poterant? ſed tunicæ, cum ſacramentum dicerent: in exauctoratione, & baltheum illis, & veſtis militaris ignominiæ cauſa adimebatur. Chlamydes etiam, & Paludamenta ex lana pretioſiori, aut viliori fuerunt, pexa, aut hirta. Spartianus de Seuero: *Hic tam exiguis veſtibus vſus eſt, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret.* Quas Seueri chlamydes hirtas, & tunicas aſemas ab Alexandro in vſum reuocatas tradit Lampridius in eius Vita.

Communes igitur chlamydes, ſaga, & paludamenta ex lana conficiebantur. Dio lib. LIX. ſcribit Caium Cæſarem, quum per pontem triumphali pompa incederet, quem inter Baulos, & Puteolos ſtruxerat, indutum fuiſſe thorace Alexandri Magni, & chlamyde ſerica. Quod nouum ac notabile in monſtroſo, prodigo, atq; effæminato Principe fuit. Idem Commodum tunica, & chlamyde ſerica purpurea auro inſperſa vſum ſcribit.

Chlamys & Paludamentum auratum. Lacerna aurata. Habitus Citharoedorum. Cap. XIII.

FVere & chlamydes auratæ, maxime apud barbaros. Spartianus in Adriano: *Cum a Pharaſmane ingentia dona accepiſſet, atque inter hæc auratas quoque chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam miſit ad eius munera deridenda.* Porro noxios in tunicis auratis, & chlamydibus purpureis in Amphitheatrum inductos alijs obſeruatum eſt. Auratæ chlamydis meminit & Virgilius lib. IV.

Victori chlamydem auratam quam plurima circum
Purpura Meandro dupliei Melibœa cucurrit.

At Romæ Agrippina in Naumachiæ ſpectaculo auratam chlamydem induta, vt tradit Tacitus lib. XII: *Ipſe inſigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde.* Dio lib. LX Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Chlamis διάχρυ-

σος

σος est auro distincta, siue aurum distinctum habens: atque Plinius totam auream facit. *Nos vidimus Agrippinam Claudij Principis edente eo Naualis prælij spectaculum adsidentem ei indutam paludamento auro textili sine alia materia.* Quod profecto mirum. quomodo enim aurum sine alia materia texi potuerit difficile dictu est. Etiã Caligula teste Suetonio per pontem Baianum *aurea chlamyde incessit.* Eam Dio lib. LIX. chlamydem fuisse ait σηρικὴν ἁλουργῆ πολύ μὲν χρυσίον, πολλὰς δὲ καὶ λίθους Ἰνδικὰς ἔχουσαν. *Sericam purpuream, multo auro, multisque gemmis Indicis ornatam.* Etiam lacerna, quam non multum dissimilem chlamydi notauimus, lacerna inquam aurata citharædorum peculiaris fuit; quorum habitus cultusque notabilis. Iuuenalis Sat. x.

Et quibus aurata mos est fulgere lacerna.

Auctor librorum ad Herennium dat ijsdem pallam auratam & chlamydem purpuream: *Vti Citharœdus cum prodierit optimè vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus varijs intexta, cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata.* Pallam purpuream dat Ouidius Arioni Fastorum. II.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam.

Ita Citharœdorum habitus fuit tunica talaris, & chlamys. Quæ tunica etiam palla dicta videtur, licet pallam proprie fuisse fæminarũ pallium dixerimus in verbis paulo ante positis *palla inaurata indutus cum chlamyde.* Nam si palla ibi pallium esset, quomodo chlamys supra pallium sumeretur? Quod autem ea tunica talaris esset, ideo cum stola Orpheum inducit Varro de re rustica lib. III cap. XIII. *Quintus Orphea vocari iussit, qui cum eò veniisset cum stola, & cithara, & cantare esset iussus* Ea tunica talaris discincto, quam ὀρθοστάδιον Græci dixere. Dio lib. LXIII. de Neronis habitu Citharœdico. Nam cum statuisset ad citharam canere, non fastinuit a Corbulone videri τὸ ὀρθοστάδιον ἔχων. Aliqui hanc tunicam rectam credunt, qualem cum pura toga Tyroni nouæ nuptæ indui tradit Plinius lib. VIII. cap. LXIII. Sed rectas tunicas dici tradit Festus, quæ a stantibus fiunt

sum versus texerentur. Simplicior notatio est, quod cum non cingerentur starent rectæ, siue non interruptæ vinculo descenderent. Pollux: χιτὼν ὀρθοστάδιος ὁ ζωννύμενος. Discincta ea tunica, & fluens: vt mirũ sit Bathyllum Citharoedum ab Apuleio lib. 11. Florid. induci cum tunica cincta: *Eique prorsus Citharoedicus status, Deam conspiciens canenti similis, tunicam picturis variegatam ad pedes deiectus ipsos, Græcanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium adusque articulos palmarum.* Tunicam etiam talarem manicatam tribuit Tragœdis Lucianus in Ioue Tragœdo: καὶ τὰς ἐμβάτας, καὶ τὰς ποδήρεις χιτῶνας, καὶ χλαμύδας, καὶ χειρίδας Vbi Interpres χειρίδας *chirothecas* imperite vertit, cum *Manicas* vertendum sit. *Cothurnos, tunicas talares manuleatas, & chlamydes.* Idem Icaromenippo ijsdem dat τὴν χρυσόπαστον στολὴν *Stolam, siue simpliciter vestem auro sparsam, siue intextam.*

Præter tunicam talarem, & orthostadion fuit etiam Citharædis chlamys, siue lacerna purpura, auroque distincta. Lucianus aduersus Indoctum, tradit Euangelum Citharœdum venisse Delphos, vt in agone certaret: habuisse ἐσθῆτα χρυσόπαστον, & coronam auream gemmis distinctam. mox subiicit: καὶ ἡ πορφύρα δὲ ἐνεπρεπε τῆς ἐσθῆτος, ἣ μεταξὺ τοῦ χρυσοῦ διεφαίνετο. *Ipsa purpura quæ auro intexta visebatur, commendabat hunc cultum mirificè.* Nec tunica solum talaris fuit, sed & chlamys longum syrma trahens. Horatius:

Traxitque uagus per pulpita uestem.

Habes hic Neronis nummum habitu citharœdico.



Tunicæ militaris color. Tertullianus explicatus. Cap. XIV.

ANtequam chlamydis, ſagi, ac paludamenti colorem indagemus, præſtat colorem tunicæ militaris exquirere. Togas, tunicaſque Vrbanorum albas fuiſſe oſtendimus, natiuo ſcilicet lanæ colore, mox & fullonis arte. Ita militares tunicas pariter fuiſſe albas credendum eſt. Non enim eſt veriſimile Quirites ad bellum ituros tota veſtimenta mutaſſe, & pro alba ruſſam, aut alterius coloris induiſſe. Qui autem iſte color? Et quis veterum ſcriptorum eius mentionem fecit? Valerius Maximus lib. II. cap. I. tradit Lacedæmonios ad diſſimulandum, & occultandum vulnerum cruorem puniceis tunicis in prælio vſos. Aelianus lib. VI. cap. VI. φοινικίδα appellat. Quod ſi Romanis idem mos fuiſſet, non diſſimulaſſet Valerius, & a proximo exemplum petiſſet. Iſidorus lib. XIX. cap. XXII. ſcribit Romanos milites ſub Conſulibus tunica ruſſata vſos, vnde & ruſſatos vocatos eſſe. Verũ quantũ Grãmatico illi credendum ſit, toties in hoc opere præfati ſumus. Et nullus veterum tunicæ ruſſatæ meminit ſub Coſs. & ruſſati modo dicebantur

tur agitatores in Circo, nō milites, a colore factionis. Iuuen.

Præmium russati pone Lacertæ.

Subjicit melior ille vir, quam Criticus: *Solebat enim pridie quam dimicandum esset, ante principia poni, quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ.* Quod vt verum sit, num propterea illa milites vtebantur sub Consulibus? Quare miratus sum viros doctos sola Isidori auctoritate subnixos illud Martialis:

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

partim intellexisse de tunicis russis Canusinis, quæ seruis & militibus in vsu fuerint, partim de pænulis; quum nullo pacto de tunicis Martialis loquatur, sed tantum de pænulis, vt titulus indicat. Cum præterea discrimen fuerit inter colorem rufum, & russum: ibi autem Martialis de pænulis rufis loquitur.

Tunicarum etiam punicearum in Salijs sacerdotibus tanquam rei nouæ, & notabilis meminit Plutarchus in Numa.

Atqui *tunicæ russæ militaris* mentionem fecit Trebellius in Claudio. Verum id extremis Romani Imperij temporibus contigit, cum in reliquis etiam vestimentis magna mutatio facta est. Quanquam neque id satis probare potest, tunicas militum promiscuas fuisse russas; sed tantum Tribunorum & Ducum. Nam inter dona, quæ Claudio Tribuno Martiæ V. legionis dari iubet Valerianus, sunt etiam tunicæ militares russæ, duæ tantum, in eius scilicet vsum. Apud Vopiscum etiam Valerianus iubet dari Probo electo Tribuno *tunicas russulas duas*. Idemque apud eundem iubet dari Aureliano *tunicas ducales russas quatuor*. Sane sub Seuero, non longo tempore ante Valerianum, milites in tunica communi, hoc est alba. Quod patet ex Tertulliani verbis de Corona militis, quibus vir summus, qui nuper eum edidit, vsus est, vt contrarium ostenderet. Loquitur ibi Africanus de milite, qui quod laureatus vt ceteri congiarium capere recusasset prius exauctoratus supplicio destinatus est. Adempta autem illi est, dum exauctoratur, pænula, &

cum gladio caliga speculatoria: *Grauissimas pænulas posuit relevari auspicatus: speculatoriam morosissimam pedibus absoluit terræ Sanctæ insistere cupiens.* Subjicit: *Et nunc rubsatus sanguine suo, spe calceatus.* Ex his & Pamelius, & vir ille doctissimus, hoc in loco, in quo ab eo dissentimus, non nominandus, contendit tunicas militum russatas fuisse. Sed quis non videt verba hæc; *nunc russatus sanguine suo*; respondere, atque opponi illis, *grauissimas pænulas posuit*, vt & sequentia primis: *speculatoriam pedibus absoluit, spe calceatus; gladium reddidit succinctus acutiore* (gladio) *Verbo Dei: Laurea de manu claruit, martyrij candida laurea melius coronatur.* Certe illi tunica relicta est, quæ si fuisset russata, non subiecisset Tertullianus, *nunc russatus sanguine suo*. nam & tunica russatus fuisset. Sed pænula rusa ad empta illi: non alia re russatus erat, quam sanguine suo. Rusa inquam pænula fuit, non tunica. Neque tamen ijs assentior, qui russatas illas militares apud Trebellium pænulas interpretantur, & tunicas cum pænulis confundunt. Ceterum viri eiusdem doctissimi, & cui plurimum Tertullianus debet, optima videtur correctio ex veteribus libris: *Nunc rusatus sanguinis sui spe.* nondum enim miles russatus erat, sed tantum martyrii spe, calceatus autem de Euangelii paratura. Quid enim *spe calceatus? Succinctus acutiore Dei*, scilicet gladio. Ita totus ille locus interpungendus est. Quemadmodum quod in vulgatis extat. *Grauissimas pænulas posuit reuelari auspicatus*, recte idem posuit *relevari*. quod ad grauissimas pœnulas referendum est. Sed hæc non sunt huius loci.

Chlamydis, Sagi, & Paludamenti color. *Cap. XV.*

VT tunica militaris alba fuit, ita chlamydes & saga nullo adscititio, sed natiuo lanæ colore fuisse credimus. Quum Imperatores, Ducesque hoc vno a militibus distinguerentur, quod paludamentum purpureum, siue coccinum gestarent.

Et

Et communes quidem Græcorum chlamydes albas fuisse tradit Pollux lib. VII. cap. XIII. licet Plutarchus in Philopœmene eius exercitus ornatum militarem describens ait chlamydes fuisse floridas: στρατιωτικῶν χλαμύδων διηνθισμένων. *Chlamydum militarium varijs coloribus pictarum*. At Romanorum natiuo lanæ colore. Porro chlamys siue paludamentum Imperatorium purpureum, siue ex cocco. Plinius lib. XXII. cap. I: *Atque vt sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ coccigranum Imperatorijs dicatum paludamentis*. Dio lib. XLII. de Cæsare, qui in Aegypto subita hostium eruptione prægrauante scapha in mare desilierat: ait ipsum magnum vitæ periculum adiisse, cum & veste grauaretur, & iaculis hostium vnus impeteretur, quod eum ex purpura (nempe paludamento) Imperatorem esse cognoscerent. Quod narrans Appianus lib. II. ciuil. ait τὸν πορφύραν ἀπέρρηξε. hoc est, purpureum paludamentum.

Ipse Cæsar de se Comment. VII. *Accelerat Cæsar, vt prælio interfit, eius aduentu ex colore vestis cognito*. Horatius de Antonio fugiente, ac victo.

Terra marique victus hostis Punico
Lugubre mutauit sagum:

Idem Dio lib. XLVI. paludamentum simpliciter Φοίνικα appellat, de ostentis quæ Pansæ Cos. oblata sunt ante prælium, quod illi supremum fuit: *Cum quis illi paludamentum attulisset in effuso cruore* (sacrificij) *lapsus vestem maculauit*. Καὶ τις ἐν τούτῳ φοίνικα αὐτῷ προσφέρων. Ita Appianus de bello Punico narrat Senatum Romanum Phameæ, ob strenuam operam bello Punico nauatam, donasse purpurã, & auream fibulam. Φαμαίαν δὲ ἐτίμησαν ἀλουργῖδι, καὶ ἐπιπορπήματι χρυσῷ. *Purpureo paludamento, quod fibula aurea nectebatur*. Nõ *purpura, & bulla aurea*, quod docto Interpreti visũ est.

Idem in Parthicis memorans prodigia, quæ Crassi necem præcessere, illud primo posuit, atratum eum, non purpuratum ad milites processisse: οὐκ ἐν φοινικίδι, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι. Quæ omnino verba etiam apud Plutarchum in Crasso habentur. Idem Appianus alibi de M. Antonio, qui eodem

Par-

Parthico bello Romanis ducibus fatali allocuturus milites pullum paludamentum petierat, quo esset miserabilior, sed dissuadentibus amicis ἐντῇ στρατηγίδι φοινικίδι processit. Valerius Maximus idem narrans de Crasso ait Imperatorium paludamentum aut purpureum fuisse aut album. lib. I. cap. VI: *Pullum etiam traditum est paludamentum, cum in prælium exeuntibus album, aut purpureum dari soleret.* Hirtius de bello Africano: *Cum Scipio sagulo purpureo ante tubæ Regis aduentum uti solitus esset, dicitur tuba cum eo egisse, non oportere illum uti uestitu, atque ipse uteretur. Itaque factum est, ut Scipio ad album se se uestimentum transferret.* Appianus de bellis Hispanis: *Mandatumque erat, si quid tumultus ab hostibus oriretur, signum extollerent: interdiu* φοινικίδα ἐπὶ δόρατος *paludamentum ex hasta suspensum*, non pannum rubrum, vt reddit Interpres. Et V. ciuilium narrat Sextum Pompeij filiũ belli successibus inflatum τῷ σωθῆναι τοῖς αὐτοκράτορσιν χλαμύδα ἐκ φοινικῆς ἐς κυανῆν μεταλλάξαι. *Imperatorium paludamentum purpureum in cæruleum mutasse: quasi a Neptuno adoptatus esset.*

Hinc paludamentum chlamydem purpuream Græci scriptores verterunt. Dio lib. LXV. narrans Vitellii æstum atque agitationem animi sub aduentum Flauiani exercitus: *Interdum*, ait, τῷ χλαμύδα τῷ πορφυρᾶν ἐφόρει, *gladioque cingebatur, interdum uestem pullam sumebat.* Regiam chlamydem appellat Herodianus lib. II. de Seuero, quem scribit in prælio aduersus Albinum, & fugisse, ἀποῤῥίψαντα δὲ τὴν χλαμύδα τὴν Βασιλικήν. Nam Regum chlamydes purpureæ. Seneca Ep. LXXVI: *Felix est non magis, quam ex illis, quibus sceptrũ, & chlamydẽ in scena fabulæ assignant.* Alibi Herodianus Ρωμαϊκὴν χλαμύδα de Caracalla, qui ea deposita Germanorum cultu incedebat, præcipue sagulis argento variegatis. Nec multo post tradit eundem aperto Alexandri Magni conditorio χλαμύδα ἣν ἔφερεν ἀλουργῆ corpori ipsius imposuisse.

Si ergo Imperatorum Romanorũ chlamys purpurea fuit, cur Dio Commodi habitum notans ait ipsum ingressum esse theatrum purpurea tunica indutum auro inspersa, accepta simili chlamyde more Græco? εἰσιὼν χιτῶνα ὁλοπόρφυρον χρυ-

σῶν

σῷ καταπάσον χλαμύδα τε ὁμοιαν τὸν Ελληνικὸν τρόπον λαμβάνων. Herodianus lib. I. idem narrans: ἀμφίεννιτό τε ἀλυργεῖ, καὶ χρυσοϋφεῖς ἐσθῆτας: *Depositio Romano, ac Principali cultu.* Non ergo chlamys purpurea, sed tunica, chlamysque serica purpurea auro inspersa, siue variegata probro data est. Cum Romana e lana esset, cocco, siue purpura infecta sine auri mixtura. Hæ chlamydes Græcanicæ dictæ. Capitolinus in Pertinace recensens auctionem vestimentorum Commodi enumerat *purpureas chlamydes Græcanicas, atque castrenses.* Græcanicæ scilicet auro distinctæ, castrenses purpureæ. Talis Neronis e Græcia reuertentis triumphantis more, *In veste purpurea*, ait Suetonius, *distinctaque stellis aureis chlamyde.*

Gallici Sagi color. Cap. XVI.

SIcut Romanum sagum natiuo lanæ colore, Imperatorium purpureum, vel cocco infectum, ita Gallicum intexta purpura distinctum, Virgilius lib. VIII. de Gallis:

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Vbi Seruius *auream vestem barbam* interpretatur, *& sagula virgata, quæ habebant in virgarum morem deductas vias. Et bene*, inquit, *adlusit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo, ac si diceret purpuratis, quæ sagula virgata, etiam trabeata dicta sunt.* Trebellius in Gallieno: *Perdita Gallia arrisisse, & dixisse perhibetur. Non sine trabeatis sagis tuta Resp. est?* Malumus enim cum Casaubono *trabeata saga* ex Diodoro ῥαβδωτὰς σάγας interpretari, quam *Atrebatica* substituere. Vt enim togæ a transuersis purpuræ discurrentis lineis, siue trabibus trabeæ dictæ sunt, sic a virgis purpureis trabeata Gallorum sagula. Turnebus tamen lib. II. cap. XIV. simpliciter virgatum ῥαβδωτὸν intelligit, quod virgas quasdam in longum, aut latum varia serie, ac colore porrectas haberet, vt in concharum genere sunt

VII-

virgulatæ, ideſt, ῥαβδωτὰι. Val. Flaccus II. Argon. Thracum mulieribus virgatas veſtes tribuit, nec purpureas, inquit ille, intellexit, ſed barbarorum ritu diſcolores, & veluti virgatis ſegmentis contextas.

Iam veniet durata gelu, ſed me quoque pulſam
Fama viro, noſtroſque thoros virgata tenebit.

Eadem ſaga ſcutulata notauit Scaliger dicta, macularum inſtar cancellatim, & reticulatim diſtincta. Scutulas enim eſſe τὰ πλίνθια, nimirũ quadra ſimilia retium maculis, quas Græci vocant τὰς ῥόμβους. Gallos enim Diodorus ait ſaga geſtaſſe, ῥαβδωτὰ πλινθίοις πολυάνθεσι, καὶ πυκνοῖς διαλήμμασι. *Scutulata, & reticulatim diſtincta.* Etiam colorata Saracenorum ſagula fuiſſe tradit Ammianus lib. XIV.

De Subarmali. Cap. XVII.

INter veſtimenta militaria fuere ſubarmales, ſiue ſubarmalia, quorum mentio apud Spartianum in Seuero: *Quum Romam Seuerus veniſſet Prætorianos cum ſubarmalibus inermes ſibi iuſſit occurrere.* Trebellius in Claudio: *Subarmale vnum cum purpura Maura.* Demum Vopiſcus in Aureliano: *Togam pictam, ſubarmale profundum, ſellam eboratam.* Sed quænam eæ veſtes fuerint, & in quem vſum, non ita compertum eſt. Turnebus lib. XVIII. cap. XIX. exiſtimat fuiſſe craſſum ſagulum, quod ſub armis induebatur, vt eorum durities minus corpus offenderet, ſed profundo excepta tegumento mollius corpori inſideret, & tolerabilius. Atque ita ab armis ſubarmale dictum, quod ſcilicet ſub armis geſtaretur.

Hæc opinio diſplicuit Caſaubono ad Spartianum, quod ſcilicet pacis, & pomparum hæ veſtes eſſent. Nam Herodianus eandem rem narrans de Seuero lib. II. ſcribit ab eo edictum propoſitum, vt Prætoriani relictis apud caſtra armis exirent pacis habitu, eoque cultu, quo procedere in pompam conſueuiſſent ſacrificante, aut diem feſtum celebrante Imperatore. Mox ſubjicit, eos relictis armis proceſſiſſe

cessisse ἐν μοναῖς ταῖς πομπικαῖς ἐσθῆσιν, *in pomparum habitu*. Atque ita existimat Casaubonus non ab armis quibus pugnamus sed ἀπὸ τῶν ὠμοπλατῶν subarmale dictum, quod scilicet sub armis fibula necteretur, vel sub armos rejiceretur. Fuisse autem togas militares, vel saga.

Mihi tamen Turnebi notatio non displicet. Scilicet ab armis, quibus pugnamus, subarmale dictum, quod armis ipsis subjiceretur. Nec obstat, eandem vestem fuisse etiam pomparum propriam. Nam cum Prætoriani in comitatu Imperatoris armati incederent, in pompa per dies festos ac ludos inermes procedebant; vt tamen a reliquis ciuibus discernerentur, subarmale tanquam vestem militarem retinebant. Fuisse enim id militare indumentum ex Herodiano fatetur Casaubonus. Nam Seuerus in oratione, qua ipsos exauctorauit ait: *Iubeo vos discinctos, ac vestimentis militaribus exutos inermes discedere*. Nec aliud subarmale fuisse crediderim, quam sagum: quod tamen more tunicæ indueretur, vt scilicet commodè subjici armis posset. nam chlamys, quæ fibula nectebatur, cum brachia velaret armis subjici non poterat. Atqui, inquit summus vir, subarmali purpura interdum addebatur. Hoc tamen non in omnibus Prætorianis, sed in ducibus vsurpatum, quos etiam subarmalia habuisse, & ad manipularium distinctionem purpura distincta credi par est: quæ minime obstant, cur armis non subjicerentur, & ijs depositis gestarentur in pompa. Ita & commodior interpretatio erit, subarmale profundum fuisse crassum sagulum, ac densiori lana confectum, quo scilicet melius arma corpori insiderent, quam πτόδηρες, & infra genua dimissum. Cui tamen altera opinio magis arriserit, is eam per me sequatur licet.

Ceterum non ita rectè Politianus, quod supra tetigimus, illud Herodiani lib. VII. ἐν λιταῖς ἐσθῆσι, καὶ ἐφεστρίσιν, vertit, *subarmalibus, & sagis induti*. Nam milites illi in veste vulgari, tunica scilicet & lacerna, siue chlamyde fuerunt. Quod si subarmale sagum fuit, aut quid simile, duplici sago, aut sago, & chlamyde induti fuissent.

Finis Libri Tertij.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

PARS SECVNDA.

LIBER QVARTVS

QVI EST DE PALLIO.

Pallium Græcorum indumentum. Comœdiæ palliatæ, togatæ, prætextatæ. Prolegomena in Terentium expenduntur. Cap. I.

VT Toga Romanorum, ita Pallium Græcorum geſtamen fuiſſe, certum eſt. Et cum tunica vtrique genti communis eſſet, cui aut toga, aut pallium ſuperinduebatur, diuerſa indumenti exterioris forma Romanum, Græcumque habitum diſtinctum fuiſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Hinc Comœdiæ palliatæ, & togatæ. In prolegomenis ad Terentium, ſiue ea Donati, ſiue Cornuti, ſiue Aſperi fuere, *Comœdiæ formæ ſunt tres. Palliatæ Græcum habitum ferentes. Togatæ iuxta formam perſonarum habitum togatum deſiderantes.* Poſt pauca ſubjicitur. *Hinc Vlyſſem palliatum ſemper inducunt.* Cauſa porro non vna ſatis friuola adducitur, ſiue quod cum inſaniam ſimulauit, tectus eſſe voluit, ſiue ob ſingularem ſapientiam, demum *quod Ithacæ habitatores, ſicut Locri palliati eſſent.* Quaſi vero ſolus Vlyſſes, ſoliq; Ithacenſes, & non Græci omnes, palliati.

Sed nimirum illa prolegomena, vt non vnius ſcriptoris eſſe apparet, ſed ex variis auctoribus adinſtar centonis cõſarcinata, ita quædam bona habent, quædam ſecus, vt facile obſeruabit, cui otium fuerit ea contendere. Nam quę de Achille, & Neoptolemo, qui cum diademate induce-

rentur,

rentur, quis non videt eas non fuisse Comœdiæ personas, sed Tragœdiæ? Item quæ de personarum Comicarum amictu, quam sunt suspectæ fidei! Cur enim senes tantum in candido vestitu, cum is promiscuus habitus esset? Cur purpureus color diuiti, pauperi phœniceus, quasi non & hic magno pretio staret? Quis puellarum habitus peregrinus? Cur leno pallio versicolore inducitur? Meretrici ob auaritiam pallium luteum datur, cum in Togatis comoedijs communi scortorum habitu ideſt togatę essent? quid autem luteus color ad auaritiam? Hæc sunt posterioris æui Grammaticorum insomnia. Præterea quis syrmati locus in comœdia, quod ab scenica luxuria *institutum* ibi dicitur, cum fuerit Tragœdorum proprium. His adjice, quæ proximè sequuntur. *Aulæa in scena in terra sterni solita, quod pictus ornatus erat ex Attalica Regia Romam vsque perlatus, pro quibus siparia ætas posterior acceperit.* Atqui nec aulæa humistrata, nec siparia certum est, sed scenæ obtendi solita. Quæ satis declarant multa a sciolis, atque ineptis hominibus in ea prolegomena fuisse intrusa.

Sed vt a diuerticulo res repetatur Græcæ Comœdię palliatæ, Latinæ togatæ dictæ sunt. Vetus Interpres Iuuenalis ad illud: *Recitauerit ille togatas. Togatæ sunt Comœdiæ Latinæ, palliatæ Græcæ, quales Afranius fecit.* Verum Afranium dedisse togatas notum est. Itaque verba illa, *quales Afranius fecit*, retrahenda sunt, & *togatis* subiicienda. Togatarum aliæ nobiliores, quæ prætextatæ, in quibus scilicet Magistratus inducti, qui in prætextis, fortasse etiam pueri, & puellæ prætextatæ. Minus nobiles, in quibus censet Scaliger lib. 1. Poetices cap. VII. Senatores priuatos cum togis introductos. Sed cur soli Senatores togati, cum gens vniuersa togata esset? Subiicit idem. Vltimum genus fuisse, quod capiebat humilem fortunam negotiorum popularium cum tunicis tantum, eas autem non tunicatas dictas, sed ab habitaculis Tabernarias appellatas, quod cum tabernis scenæ disponerentur. Sed si nullus in illis togæ vsus, cur inter togatas recensentur? Auctor prolegome-

non Terentii Tabernarias fuisse palliatas tradit. *Palliatæ Græcum habitum ferentes, quas nonnulli Tabernarias vocant.* Sed paulo ante, si tamen vnus auctor est, *Tabernarias* ab humilitate argumenti, & styli dictas putat. Quod palliatæ fuerint, non minus falsum est, quam notatio *Planipedum*, quę ibidem adducitur: *Quod non ea negotia contineat, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano, & humili loco.* Quis enim ignorat infimam plebem, ac minutum populũ in cœnaculis habitasse? Duplicis ergo tantum generis fuisse videntur Comœdiæ Latinæ, Prætextatæ, in queis Magistratus, Togatæ in quibus viliores personæ inductæ. Harum solum meminit Horatius: *Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.* Vbi *prætextæ* sunt *prætextatæ*. Neque tamen audiendi sunt, qui apud Acronem Prætextatam Tragœdiam dixerunt, Comœdiam togatam: multo minus, qui ibidem Togatas fuisse, in quibus Græca argumenta, Prætextas, in quibus Latina. Nam, vt diximus, cum Latinæ essent, omnes erant togatæ, sed hæ viliorum, Prætextatæ nobiliorum, & Magistratuum. Sed vix videtur potuisse dari Comędiã, in qua soli magistratus introducerentur. Vt probabilius sit, dictas prætextatas ab argumenti grauitate, atque honestate, nulla iocorum licentia, atque obscœnitate, quæ Magistratuum, & pueritiæ sanctitatem dedeceret. Quamquam contra a verborum prætextatorum licentia quis dictas suspicari possit. Sed tales togatæ omnes, viliorum scilicet personarum, lenonũ, meretricum, nepotum, quibus vitæ licentię congruens lasciuior oratio. At Prætextatas serias totas, ac graues, omnique turpitudine vacuas fuisse credere par est. Hisce affines fuisse videntur Trabeatæ, quod nouum genus Togatarum edidisse dicitur a Suetonio *de claris Grammaticis* Melissus, qui fuit ab Augusto Præfectus bibliothecæ in porticu Octauiæ. Sed vndenam Trabeatæ haud facile dixerim. Cum enim Trabeæ olim Regum fuerint, ijs pulsis penes Equites in solemni transuectione remanserint, inde a triumphantibus vsurpatæ, nescio quis earum vsus in Comœdiis esse potuerit?

Dio-

Diomedes lib. III. Togatas nomen genericum facit ad *prætextatas*. & *tabernarias*: Nihilominus *togatas* pro *tabernarijs* vsurpari non communi tantum errore, sed poetarum auctoritate. Nam Horatius: *Vel qui prætextas, vel qui docere togatas*. *Prætextatas* in quibus Imperatorum negotia agebantur & publica, & Reges Romani, vel duces personarum dignitate, & sublimitate Tragœdijs persimiles, quod eæ personæ prætexta vtantur. Secundam speciem *tabernarias* fuisse, in quibus non magistratus, Regesque sed humiles homines, & priuatæ domus inducuntur, & quod olim tabulis tegerentur *tabernariæ* dicebantur. Vbi videtur indicare *tabernarias* dictas, quod in ijs introducerentur homines in tabernis habitantes, ita enim domos vocatas, quæ tabulis tegerentur. Verisimilius est *tabernarias* dictas, quod opifices, institores, ac sellularii, qui in tabernis degerent, inducerentur.

Ceterum togatarum auctores ab Acrone hi recensentur: Aelius Lamia, Antonius Rufus, Melissus, Afranius, Pomponius. Qui omnes magno literarum damno præter Afranii fragmenta interciderunt. Primum autem Stephanionem togatas saltare instituisse, auctor est Plinius lib. VII. cap. XLVIII. *Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit*. Sed legendum est *togatas*, vt & Sabellicus monuit, & de pantomimo intelligendum.

Pallium. Græcè ἱμάτιον, Φᾶρος. Cap. III.

VT igitur *ad pallium* propius accedamus, cuius contemplationi extremam operis huius curam dicauimus, id vestimenti genus, quod tunicæ injiciebatur, totumque corpus circumiectu suo inuoluebat, Græci variis nominibus extulerunt. Præcipuè tamen *ἱμάτιον* Attice *ἱματίον*, & *φᾶρος* dixere. Quanquam vtraque vox largè accepta omne vestimenti genus significet, quod Budęo adnotatum. Neque tamen vt pro tegmine capitis accipiatur, vt Hen: Stephano visum; Quod Plutarchus in Pompeio tradat Sil-

lam

Iam aduenienti Pompeio honoris causa assurgere solitum, καὶ ἀπάγοντος τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. Et alibi de Demetrio Pompeii liberto, cuius tanta importunitas, vt ante herum discumberet, ἔχων δ' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. Nam & hic, & alibi non de capitis tegmine, pileo, aut palliolo intelligendum, sed de togæ extrema parte, siue latinia, quam capiti iniectam interdum arcendo soli, aut imbri, item in re subita, ac calamitosa, alias docuimus. Ita quod tradit Plutarchus in Apopthegmatis Scipionem minorem, cum in Aegyptum veniisset, nauique egressus ἐβάδιζε κατὰ τῆς κεφαλῆς ἔχων τὸ ἱμάτιον ἀξίως ἀποκαλύψασθαι. Quod toga caput tectum haberet, intelligendum est, non pænula: quod vertit Interpres.

Ἱμάτιον etiam pro stragula veste sumi Budæus obseruat ex Athenæo lib. XII. Κατεσκεύασο ὁ οἶκος πολυτελῶς, καὶ μεγαλοπρεπῶς ἱματίοις τε καὶ ὁ θοινίοις πολυτελέσιν. Sed quod etiam apud Matthæum pro stragula veste ἱμάτιον sumatur, non facile persuaserit. Nam cap. IX. οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ. Ibi ἱμάτιον non pro stragula, sed pro qualibet veste accipiendum est, quemadmodum Lucæ V. & Marci II. accipitur. Subiicit idem vir doctissimus, ἱμάτιον alias significare palliũ, hoc est tribonium, quod supra tunicam induitur. Quod neque ex toto verum est. non enim quodcunque tunicæ induebatur tribonium erat; Sed pallium detritum, ac vile, pauperum ferme, ac Philosophorum, vt infra dicturi sumus.

Licet ergo ἱμάτιον quodlibet vestis genus etiam stragulæ significaret, proprie tamen id modo indumentum, quod tunicæ superinduebatur. Demosthenes: Ὥστε μὲ θοιμάτιον προέσθαι, καὶ μιχρᾶ γυμνοὶ ἐν χιτωνίσκῳ γενέσθαι φεύγοντα. Plutarchus in Lycurgo de disciplina adolescentium: Γενόμενοι δὲ δωδεκαετεῖς, ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες. *Emenso autem duodecimo ætatis anno sine tunica iam degebant, vnum pallium in annum accipientes.* Idem in præcepris connubialibus XI. de Borea, & Sole ex certamine hominem despoliantibus. *Flante Borea viator ἱμάτιον cor-*

pori

pori vehementius adpressit: at sole ardente καὶ τὸν χιτῶνα τῷ ἱματίῳ προσαπεδύσατο. *Vna cum pallio etiam tunicam exuit.* Aelianus Variæ lib. I. cap. XVI. de Apollodoro, qui Socrati morituro *attulit tunicam pretiosa lana, pulchreque contextam, simile item pallium, & rogauit* ἐνδῦνα αὐτὸν τὸν χιτῶνα, καὶ ἱματίον περιβαλλόμενον *bibere cicutam.*

Quanquam ἱμάτιον etiam pro pallio muliebri idem Plutarchus posuit eodem libro Præceptorum connubialium. XXXII. θεάνω παρέφηνε τὴν χεῖρα περιβαλλομένη τὸ ἱμάτιον. *Theano dum pallium imponit manum, & cubiti partem renudauerat.* Non recte Interpres. *Vestem induens.* Quare idem in Lycurgo ad distinctionē pallium virile appellat, quo de more Lacænæ cum nuberent amiciebantur: ἱματίῳ δὲ ἀνδρείῳ, καὶ ὑποδήμασιν ἐνδυσαμένας. Immo & pro tunica ab eodem ponitur de Claris mulieribus. Laudans enim mulieres Chias narrat Chios a Coronensibus bello victos deditionē fecisse ea conditione, vt vrbe egrederentur, χλαῖναν μίαν ἕκαστον καὶ ἱμάτιον Chlænam modo & tunicam habentes, reprehensos a mulieribus, quæ dicerent, ὅτι χλαῖνα μὲν ἐστὶ τὸ ξυστὸν, χιτὼν δὲ ἡ ἀσπὶς, quod hasta pro chlamyde, clypeus pro tunica viris fortibus esset.

Φᾶρος etiam appellarunt Græci indumentum exterius quod tunicæ imponebatur, tam virile, quam muliebre. Homerus Od. o: Χιτῶνα δῦνεν, καὶ μέγα φᾶρος ἐπὶ σφυρῷς βάλετ' ὤμοις. *Tunicam induit, & magnum pallium humeris iniecit.* Vbi notat Eustathius proprie de tunica dici indui, quæ vestis interior, at de pallio, quod exterius, injici, siue imponi. Ἔοικε γὰρ μανδοειδὲς τι νεῦν τὸ φᾶρος εἶναι, καὶ ὃ δύτον ἀλλὰ ἀναστόν. *Quod non indueretur, sed imponeretur, siue circumponeretur.* Pro pallio fœmineo Od. ε. ἀργύρεον φᾶρος μέγα εἵσατο νύμφη. *Argenteum siue candidum pallium magnum induit Dea.* Interpres *stolam* vertit, sed stola tunica fuit, non pallium. Quāquam fuisse eam tunicam ex ijs, quę sequuntur conijcere licet. Quod scilicet auream zonam lumbis circumposuit. Quomodo enim pallium zona cingi potuit? Sed fuisse pallium, siue peplum muliebre apparet Od. θ. de Penelope

περ-

πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλών χερσὶ στιβαρῇσι κακκεκεφαλῆς ἔρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα. *Purpureū magnum pallium prehensum manibus grauibus In caput traxit, obtexitque pulchram faciem.* Quomodo enim tunica trahi in caput, oſque obnubere poterat? Quare credere licet φᾶρος generice pro quauis veſte vſurpatum. Pro pallio virili paſſim Homerus. Od. δ. de filia Neſtoris poſtquam Telemachum hoſpitem lauacro fouerat. Ἀμφὶ δὲ μιν φᾶρος καλὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα. *Circumpoſuit autem pallium pulchrum, & tunicam.* Philippus in Anthologia lib. 1. cap. 1. de Xerxe, qui cum Leonidæ corpus mortuū aſpexiſſet honoris cauſa, ἐχλαίνε φάρεϊ πορφυρέῳ. *Inuoluit pallio purpureo.* Hæc tamen vox nonniſi apud poetas reperitur, & inter poetica vocabula a Polluce recenſetur lib. VII. cap. XII. λώπη δὲ, καὶ ῥάκη, καὶ φάρος, καὶ ἱμάτια, καὶ λῶπος ποιητικά. Heſychius φᾶρος, ἱμάτιον, περιβόλαιον interpretatur. Omne enim veſtimenti genus exterius quod tunicæ impoſitum corpus circumiret, atque inuolueret Græcis περιβόλαιον, περιβολὴ, περίβλημα: item ἀναβολὴ, ἀναβόλαιον, ἐπίβλημα dicebatur. Quod Latini Amictum, quod *Am*, ſiue ἀμφὶ, circa corpus iniiceretur. Plutarchus Præceptis connubialibus XI. veſtem, quæ tunicæ ſuperinduitur, modo ἱμάτιον, modo περιβολὴν appellat.

Pallium. Eius notatio. Veſtis ſtragula Romanorum. Amictus Græcorum. Pallium Proconſulare. Cap. III.

QVod Græci ἱμάτιον, & φᾶρος Latini Pallium dixere, à pellibus deducit Iſidorus, quod *ſuper indumenta*, inquit, *pellicia veteres inducbantur*. Satis ineptè. Nam commune pallium ex lana fuit, ſicut reliqua veſtimenta. Illud etiam ineptius, pallium eſſe, quo adminiſtrantium ſcapulæ conteguntur, vt dum miniſtrant expeditius diſcurrant. Haud vidi magis. Cur enim non expediores in tunica, in qua ſola olim miniſtros fuiſſe docuimus? Locus Plauti nihil ad rem. *Si quid facturus es, appende in humeri*

pallium

pallium, & pergat quantum valet tuorum pedum pernicitas: de quo infra. Rectius ergo idem pallium a palla deriuari ait. Quæ inde dicta, teste Varrone, quod *palam, & foris esset*. Alibi *ab irrugatione, & mobilitate, quæ circa finem huiusmodi vestium*, ἀπὸ τῦ πάλλειν. Nam vere in Romano cultu, non alius pallij vsus, quam in fæminis, quarum habitus exterior palla dicebatur: quæ nihil aliud fuit quam pallium, apertum scilicet, quodque corpori circumiectum illud vestiret. Pallam præterea citharœdorum, & tragœdorũ fuisse alias demonstrauimus: item vestimentum virile, sed peregrinum, quæ heic non reponam. Latinam tamen *Pallij* vocem inferiores Græci suam fecerunt. Hesychius Τριβώνιον πάλλιον, & alibi. ῥήγεα πάλλια βαπτὰ. Glossæ. Pallium, πάλλιον, Gausapa πάλλια βαρβαρικὰ.

Ceterum quemadmodum ἱμάτιον pro veste stragula Græcis vsurpatum notauimus, ita & *pallium* apud Latinos. Ouidius Amorum 1. El. 11.

Hæc tamen aspiciam, sed quæ bene pallia celant:
Illa mihi cæci causa timoris erunt.

Et paulo infra.

Sæpè mihi, dominæque meæ properata voluptas
Veste sub iniecta dulce peregit opus.
Hoc tu non facies, sed ne feciße puteris
Conscia de tergo pallia deme tuo.

Propertius lib. IV. Eleg. III.

At mihi cum noctes induxit vesper amaras
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aues.

Et Iuuenalis Sat. VI.

Tunc corpore sano
Aduocat Archigenem, onerosaque pallia iactat.

Vbi vetus Interpres. *Simulat ægritudinem socrus, vt habeat facultatem ad se filia veniendi, causa adulterij*. Item Martialis lib. 1. de catella Publij.

Et desiderio coacta ventris

Gutta pallia non fefellit vlla.
Sed blando pede ſuſcitat toroque
Deponi rogat, & monet leuari.

Proprie tamen *Pallium* nonniſi Græcanicũ indumentum fuit, vt toga Romanorum. Suetonius Auguſto cap. xcv III. *Sed ceteros continuos dies inter varia munuſcula togas inſuper, ac pallia diſtribuit, lege propoſita, vt Romani Græco, Græci Romani habitu vterentur.* Ideſt Græci cum toga, Romani cum pallio incederent. Idem Claudio. xv. *Peregrinitatis reum orta inter aduocatos contentione, togatumne, an palliatum dicere cauſam oporteret, mutare habitum ſæpius iuſſit.* Quod ſcilicet nullus geſtandi togam ius haberet, niſi ciuis Romanus. Val. Maximus lib. II. cap. II. Inter cetera Romanæ grauitatis indicia illud ponit, quod Græcis numquam niſi Latinè reſponſa darent: immo eoſdem etiam in ipſa Græcia per interpretem loqui cogerent. Quo ſcilicet Latinę vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. *Necillis*, inquit, *deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla non in re pallium togæ ſubĳci debere arbitrabantur.* Plinius lib. IV. Epiſt. XI. De Liciniano qui exul in Sicilia profitebatur. *Idem cum Graco pallio amictus intraſſet (carent enim togæ iure, quibus aqua, & igni interdictum eſt) poſtquam ſe compoſuit, circumſpexitque habitum ſuum, Latine, inquit, declamaturus ſum.* Plautus licet in Comœdia palliata ſeculi ſui morẽ reſpexerit, cum in Curculione Philoſophos perſtringit, qui in Græco pallio.

Tum iſti Graci palliati, capite operto, qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis.
Conſtant, conferunt ſermones inter ſe, ſe drapetæ
Obſtant, obſtitunt, incedunt cum ſuis ſententĳs.

Quare Appianus lib. v. ciuil. pallium appellat σολοικικὸν ἱμάτιον: *veſtem Græcanicam.* Ceterum licet Vlpianus *pallium* inter communia veſtimenta recenſeat (quo loco fallitur Bayfius, qui communia veſtimenta interpretatur, quę promiſcuę veſtes Tacito dicuntur, nam Tacitus ibi promiſcuas veſtes ſericas appellat, quę cum proprię fœminarum etiam a viris vſurparentur) licet inquam Iuriſconſultus *pallium*

inter

inter communia vestimenta connumeret, nullus tamen Romę pallij vsus in viris, etiam postquam togę depositæ sunt. Vt propterea veteres illi duces notati sint, quod aliquando in prouinciis deposita toga pallium induerint, Scipio in Sicilia, Germanicus in Aegypto. Ita Rabirio obiectum est, *quod homo Consularis soccos habuerit, & pallium*. At inferioriębus aliquis pallii vsus ipsis Imperatoribus fuisse videtur. Nam apud Vopiscum iubet Valerianus dari Aureliano inter reliqua, *tunicas ducales russas quatuor, pallia Proconsularia duo*. Ibidem iubet idem Probo dari *pallia Gallica fibulata duo*. Et in Epistola Commodi ad Albinum: *Sane vt tibi insigne aliquod Imperialis maiestatis accedat, habebis vtendi coccinei pallij facultatem me præsente*. Sed quodnam fuerit hoc pallium non ita certum est. Nam Procos. domi in prętexta, in exercitu paludamentum habuere. quod cum esset, aut album, aut coccineum, nihil noui largitus est Albino Commodus, qui & anteaius paludamenti coccinei habebat. Nisi dicere velimus sub Imperatoribus priuatis ducibus, Legatis nempe, & Proconsulibus ademptum ius coccinei paludamenti, solisque Imperatoribus seruatum.

Pallium commune. Eius figura. Cap. IV.

QVi de re Vestiaria scripserunt, pallium Græcum gestamen esse, sed & Philosophorum habitum fuisse obseruant, ex Gellio lib. IX. *Video*, inquit Herodes, *barbam, & pallium, philosophum nondum video*. Sed si omnes Romę Greci, & quicumque ius togę non habebebant palliati erant, illud sequitur, aut omnes Romę peregrinos pro philosophis habitos, aut aliquod discrimen inter vulgare pallium, & philosophicum fuisse. Videndum ergo prius, quale fuerit commune pallium, vt inde philosophorum habitus, cultusque noscatur.

Et pallium quidem fuisse vestimentum apertum, quod tunicæ imponeretur, laxū, atq; ad pedes fusum, nullus dubitat. Tota difficultas in eo vertitur, num etiam omne pal-

lium, immo veſtimenta omnia aperta quadrata fuerint, ſiue quadrangula, quod doctis viris viſum eſt. Quia ſcilicet Athenæus tradit Romanos in Aſia, vt Mithridatis iram effugerent, depoſitis togis quadrata veſtimenta ſumpſiſſe. Et Appianus lib. v. ciuil. narrat Antonium in Aegypto pallium Græcanicum quadratum ſumpſiſſe. Sed, vt in ſuperioribus libris adnotauimus, quo minus huic opinioni aſſentiamur, non vna ratione ducimur. Nam ſi omnia veſtimenta aperta eadem & quadrata fuere, cur quædam quadrata a ſcriptoribus peculiariter notantur? Vetula apud Petronium *quadrato pallio incincta*, hoc eſt pallio in nodum coacto ſuccincta vt toga Gabino ritu cingebatur. Feſtus *ricinium, & ricam quadratum pallium famineum fuiſſe* dicit, cum tamen omne pallium apertum eſſet. Quid autem proprie ricinium eſſet, ne ipſe quidem Feſtus intellexit, qui modo pallium fuiſſe, modo togam dicit: ſed qui fieri potuit vt idē pallium rotundum ſit, & quadratum, non intelligo. Verba Feſti ſunt: *Ricinium omne veſtimentum quadratum ÿ, qui duodecim interpretati ſunt, eſſe dixerunt: vel togam qua mulieres vtebantur.* Toga rotunda, pallium quadratum. Neque audiendi ſunt, qui flāmeum cū ricinio cōfundunt. Nam *flammeum* velum fuit amiciendo capiti, quod perpetuo a Flaminia geſtatum, boni ominis cauſa ad nuptias translatum eſt, vt idem teſtatur. Hoc pallium, illud palliolum, quæ diſtincta fuere.

Præterea omne ſagum iſtorum ſententia apertum, ergo & quadratum. Atqui Iſidorus Sagum Gallicum quadratum fuiſſe tradit. Non igitur cōmune ſagum tale fuit. Sed, quod miror viros doctiſſimos effugiſſe, Tertullianus vetus Carthaginenſium pallium fuiſſe dicit quadrangulum, quod ipſius ætate tantum a ſacerdotibus Aeſculapii geſtabatur: non ergo quod Tertullianus, & reliqui ſanctiorem philoſophiam profeſſi gerebant tale fuit. *Tamen & vobis habitus aliter olim: tunicæ fuerunt & quidem in fama de ſubtemnis ſtudio:* & quæ ſequuntur. mox ſubjicit: *Pallium extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab vtroque laterum regeſtus,*

& cer-

& cernicibus circumſtrictus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat. Inſtar eius hodie Aeſculapio Sacerdotium eſt. Quid opus erat vetus pallium ad illud ſacerdotum Aeſculapij exigere, ſi illud, quod togę prætulerat Africanus, quadrangulum, & antiquo ſimile fuit? Quæ manifeſto vincunt, diuerſum ab antiquo pallium Tertulliani fuiſſe: vt illud quadrangulum fuerit, hoc nequaquam. Illud ergo deſcribit, quod in vſu eſſe deſierat, non quod in oculos incurrebat.

Alias exiſtimauimus, pallium quadratum fuiſſe, quod duabus plagulis diuiſum, quatuor in inferiori parte angulos haberet, quodque fibula in humeris nectebatur: idque commune Græcorum, at philoſophorum non fuiſſe quadratum, ſed ſemirotundum noſtriſque pallijs haud abſimile, quod non infibularetur, ſed dextra pars in humerum ſiniſtrum iniiceretur. Sed mutare ſententiam nos cogunt veteres ſtatuę palliatę, in quibus nec duę iſtę plagulę nec fibula vſquam apparet: ſed pallium omnino noſtri ſimile eſt, fuſum ſcilicet & ſemirotundum, quale prorſus pallium Romanarum mulierum, ſiue palla, cuius formam ex antiquis monumentis antè reddidimus. Ex ijs etiam quæ mox de modo geſtandi pallium apud veteres dicturi ſumus, neque fuiſſe duas plagulas, neque fibulę morſu nexum fuiſſe apparebit. Si eſt igitur aliquis in re difficillima coniecturę locus, crediderim pallium quadratum non fuiſſe Græcorum, ſed Aſiaticorum, & reliquarum gentium ad Orientem colentium, & ideo Romanos, qui in Aſia negotiabantur, vt Mithridatis crudelitatem euaderent, poſitis togis, quadrata veſtimenta gentis illius propria ſumpſiſſe: Antonium etiam in Aegypto ſtolam quadrangulam induiſſe, vt Cleopatræ gratificaretur. Id autem pallium tantum poſteriorem corporis partem operuiſſe, & vere quadrangulum fuiſſe, cuius anguli duo ſuperiores fibula ceruicibus adſtringerentur, duo ad latera, & infra caderent. Nihil tamen certi affirmare aufim, quia Appianus lib. v. ciuilium ſtolam illam ſiue pallium quadrangulum Antonii Græcanicum appellat. Καὶ στολὴν ἔχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ

ἀντὶ τῆς πατρίου; Eodemque habitu Athenis versatum cum Octauia, quem Alexandriæ cum Cleopatra habuerat: vbi credibile est Græcum pallium more gentis induisse. Itaque amplius cogitandum censeo.

Modus gestandi pallium. Brachium cohibere. Manum chlamyde inuoluere. Cap. V.

QVemadmodum non vnus gestandi togam modus fuit apud Romanos, cum antiquissimo tempore ita vtrumque humerum, & brachium operiret, vt sola manus extaret, posteriori æuo dexter cum brachio humerus exereretur. Ita apud Græcos non eodem modo ab omnibus gestatum pallium videtur. Cum enim vestimentum apertum esset, potuit, quemadmodum nunc fieri videmus, ita gestari, vt pars vtraque ad pedes fusa caderet, vel vna pars siue ala, dextra scilicet siniſtro brachio imponeretur, aut eidem subiiceretur, aut demum siniſtro humero iniiceretur. Communis tamen ratio præcipue honestiorum vestiendi pallii vltima fuit, nempe vt pars pallij dextra ita siniſtro humero imponeretur, vt totum corpus atque vtrumque humerum inuolueret, solaq; fere dextra ad pectus extaret inuoluto brachio, interdum ipsa quoque operiretur. Quintilianus lib. XI. cap. III. ait veteribus Romanis nullos sinus in toga, mox perquam breues fuisse: *Itaque* inquit *etiam gestu necesse est vsos esse in principijs eos alio, quorum brachium, sicut Græcorum veste continebatur.* Græci igitur brachium veste, hoc est pallio continebant. Ita vt aliquando ipsa manus pallio inuolueretur. Plutarchus in Politicis narrat Periclem incessu tardo, atque oratione leni vsum, compositũ os solitum præferre, postremo manu intra pallium cohibita vnam omnino vsurpasse viam, quæ ad forum, & Curiam perduceret. Καὶ τὴν χεῖρα σωέχειν ἐντὸς τῆς περιβολῆς. Xenophon de Rep. Lacedæmoniorum tradit Lycurgum, quum in Græcia qui ex ephebis excesserant soluti, ac liberi a præceptoribus essent, instituisse vt Lacones iuuenes facti ἐντὸς τοῦ ἱματίου τὴν χεῖρα ἔχειν.

Manum

Manum pallio cohiberent. Ephebi omnes in Græcia in chlamyde erant, ijdemq; anno tyrocinii manum chlamyde inuoluebant, vt Romę tyrones brachium toga cohibebant. Vbi ex ephebis excesserāt, sumpto pallio more virorū cohibito brachio dextra exerebant: Lycurgus quo modestior suorum incessus esset decreuit, vt etiam dextram pallio continerent. Artemidorus lib. I. cap. LVI. *Epheborum, siue tyronum habitum gestare si seruus sibi videatur, liber erit, quandoquidem solis ingenuis id lege permissum. Artificibus autem sellularijs, ac Rhetoribus otium, ac cessationem in annum indicat.* χρῆ γὰρ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημένην ἔχειν. *oportet enim ephebum dextram chlamyde inuolutam habere.* Rationem addit. Διὰ τὸ ἀργὴν μὴ εἶναι καὶ πρὸς ἔργα, καὶ πρὸς λόγες τὴν χεῖρα. *Quod scilicet manus otiosa sit, & ad opera, & ad gestum oratorium.* Quare nemo non videt particulam μὴ delendam esse quod monuit præstantissimus Rigaltius, tum propter sententiam, tum quia eadem verba sine negatione apud Suidam leguntur. Et tamen non desunt, qui in commentarijs Orationum Ciceronis retinendam esse contendant, & Suidam ex Artemidoro corrigendum. Nimis profecto imperite. Nam hoc pacto tota sententia perit. Ideo enim manus intra chlamydem cohibita cessationem ab opere, & ab orando indicabat, quia ita inuoluta, neque operifaciundo, neque actioni oratoriæ apta erat. Quod si Græci per annum tyrocinii feriabantur, nō tamen sequitur etiā Romanos eodem anno cessasse licet brachium veste continerent, sed de manu loquitur Artemidorus, quæ apud Romanos exerebatur, & ideo in opere, ac gestu minime otiosa erat, vt Græcorum epheborum.

Reliqui omnes palliati, saltem honestiores vt dicebamus pallio brachium continebant, vt sola manus extaret. Val. Maximus lib. VI. cap. XI. de Polemone Athenienſi, qui e conuiuio temulentus in Xenocratis scholam petulanter irruperat: *Orta vt par erat omnium indignatione, Xenocrates vultum vt par erat in eodem habitu continuit, omissaque re, quam disserebat, de modestia, ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate*

tate sermonis resipiscere coactus Polemon, primum coronam capite detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit. Quintilianus lib. XII. *Quapropter falli mihi multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, lucidos, & significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes.* Hoc habitu statuam M. Aurelij palliatam videre est in atrio Palatij Veneti, quam beneficio Andreæ Moreti Mathematicorum hac ætate clarissimi hic damus. Altera extabat in hac vrbe in domo Quirinorum inde Venetias translata.

Tabula XXVII. & XXVIII.

Tab. XXVII.



Gio Georg. sculps.

Tab. XXVIII.



Iac. Ruphonius sculp.

Magna Veterum cura in pallio decorè, & ciuiliter componendo. Ἀναβάλλεσθαι ἐπιδέξια. *Cap. VI.*

QVanta veterum Græcorum fuerit cura in vestitu decoro palliique modesto atque ingenuo circumiectu, vel vnus Athenæus docuerit lib. 1. Magnopere enim veteres adlaborasse tradit κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὸ ἱμάτιον, *ornatè, ac decenter pallium componere*: vt eos irriderent, quibus id negligeretur. Adducit Platonis locum in Theæteto, qui cōparans inter se hominē liberaliter educandum, & eum qui ingenua educatione caruerit, notas, quibus dignosci queant, profert. Ait enim inter alia liberaliter institutum, si ad seruilia ministeria adhibeatur, ineptum & nihil futurum: alterius autem, qui liberali cultu caruerit, mores esse, qui talia quidem prompte, ac celeriter obire nouerit ministeria, ἀναβάλλεσθαι δὲ οὐκ ἐπισταμένου ἐπιδέξια ἐλευθέρως, *ceterum qui dextrè, & vt liberum decet componere pallium nesciat*. Ita recte hunc locum magnus Casaubonus contra interpretum oscitantiam constituit, atque explicauit, cap. VIII. Ἐπιδέξια enim, vt Pindari scholiastes docet, esse δεξιῶς, idest *dextrè, & vt liberum hominem decet*: contrarium ἐπαρίστερα περιβεβλῆσθαι, *sinistre, & indecenter vestem gestare* apud Artemidorum, & Aristophanem. Itaque idem esse ἀναβάλλεσθαι, quod apud alios περιβάλλεσθαι, nempe palliū componere, vt Lucianus de componenda Historia, notam hominis minime ingenui ab indumentis, & cultu ponit. ὃ ὅτε τὸ ἱμάτιον οἶδεν ὡς χρὴ περιβαλλεσθαι, *qui nescit pallium, vt oportet, componere*. Idem de sectis veteres Stoicos discribens: *Videas ipsos ornatè incedentes* ἀναβεβλημένους εὐσχαλῶς, *pallio decenter composito*. Et in Timone de Philosophi cultu modestiam præferente: τὸ σχῆμα εὐσχὰλὴς καὶ κόσμιος, τὸ βάδισμα, καὶ σωφρονικὸς τὴν ἀναβολήν. *Cultu decorus, atque ornatus, incessu, ac pallio modestè composito*.

Ceterum pallium fuisse vestimentum fusum, & ad pedes vsque fluens, non solum ex statuis, & auctoritate Quinti-

liani constat lib. xi. *Togam veteres ad calceos vsque dimittebant, vt Græci pallium*. Sed etiam ex eo colligitur, quod qui illud in amictu supra genua subducerent, negligentiæ ac rusticitatis arguebantur. Aelianus lib. x. cap. xi. Variæ, Zoili habitum describens. *Barbam promissam alebat, radebat caput ad cutem, καὶ ἱμάτιον ὑπερ τὸ γόνυ ἑῶ. Pallium supra genua cadebat*. Athenæus ibidem affert verba Philæteri, siue Amphis veteris poetæ, quæ ex emendatione Casauboni sic lege. Ἀμφέβαλε στέρνοις φᾶρος, ὑ καθήσις τάλαι; μήδ' ἀγροίκως ἄνω γόνατος ἀμφέξῃ. Iubet pectori injici pallium, vetatque rusticorum more supra genua aduolui. De quo more plura idem Casaubonus notauit ad Theophrasti Characteres περὶ ἀγραικίας. Καὶ ἀναβεβλημένος ἄνω τῦ γόνατος καθιζάνειν ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτῦ φαίνεσθαι. *Sæpe etiã pallio ita supra genua contracto sedet, vt denudatæ corporis partes appareant*. Casaubonus genericè, *subducta veste*, qua voce etiam tunica significatur. Sed de pallio intelligendum est. nam proprie ἀναβεβλημένος de pallio dicitur, quod injicitur, siue circumponitur. Vbi non est præter rem apud vtrumque scriptorem fieri mentionem sedendi. nam, cum tunicæ viriles tam apud Græcos, quam apud Romanos paulo infra genua caderent, eueniebat vt in sedendo contraherentur, fierentq; breuiores, cumque nullus fæminalium, aut braccarum vsus esset poterant illa renudari, quæ melius teguntur, nisi vel obducta toga, vel demisso decenter pallio velarentur. Huc pertinet apophthegma Philippi Macedonum Regis apud Plutarchum. Cum sub corona captiuos venderet, ἀναλαμβάνῳ τῶ χιτῶνι, καθήμενος δυκ εὐσχημόνως, *tunica contracta indecore sedens*, vnus ex ijs qui vendendebantur accessit, & ad aurem Μικρὸν, inquit, κατωτέρω τὸν χλαμύδα ποίησον. ἀχημονεῖς γὰρ ἔτω καθήμενος. *Paulo inferius chlamydem dimitte, sic enim sedens indecore te habes*. Qui ergo ita sedebant, vt supra genua pallium, vel chlamydem contraherent, indecore atque illiberaliter facere dicebantur.

Pallium in humeros reiicere. Casauboni opinio expensa. Aristophanes non uno in loco explicatus. Notatus eius Interpres. Cap. VII.

DEcorus igitur, atque ingenuus pallii amictus erat, cum eius pars dextra ad pedes cadens attollebatur, atque ita sinistro humero imponebatur, siue injiciebatur, vt latente brachio sola dextra extaret. quod proprie ἀναβάλλεσθαι Græci dixerunt, & pallium ἀναβολὴ, quod scilicet de inferiori corporis parte attolleretur, siue subduceretur, ac sinistro humero imponeretur siue iniiceretur. Casaubonus tamen ad Theophrastum obseruat, si Græcis aliquid diligentius esset faciendum, aut pallium deponere solitos, aut in humeros retrorsum reiicere. Quod nostram de modo gestandi pallium opinionem euertere videtur. Si enim actuosi, & festinantes pallium in humeros reiiciebant, non ergo communis ille pallii amictus fuit. Sed subiicit ille, ab expeditis solum, atque iter aggredientibus in humeros retrorsum reiici solitum. Aliud igitur erat, vnam tantum pallii partem, siue alam, nempe dextram sinistro humero imponere, qui habitus ferme honestiorum, aliud totum pallium, idest vtramq; partẽ, dextram in sinistrum, sinistram in dextrum humerum retrorsum reiicere, vt nempe ita subducto, atque in collum coniecto pallio vtrumque brachium exererent, minimeque pallium festinantes impediret, quod cum ad pedes funderetur, cruribus inuolutum cursuræ moram objiciebat.

Ceterum quod subjicit vir ille incomparabilis, hoc etiam Athenis factum, quando in publicum, aut in concionem prodibant homines, qui naui, & actuosi haberi volebant, lõge eum fugit ratio, neque id vllo modo ex Aristophanis Concionantibus colligi potest, vt mirum sit summum virum nimis secure, ne dicam oscitanter, in eo loco versatum esse. Ibi enim mulieres persuasuræ viris, vt sibi Reip. regimen traderetur, prodituræ in concionem, quo fallerent viros,

viri-

virilem habitum mentiuntur, seque ad omnia componunt, atque instruunt, vt cultu, gestuque esse viri viderentur. Inter reliqua Praxagora sycophantiæ huius magistra hortatur mulieres, vt tunicas virorum more succingant. Verba eius sunt.

Ἄγε νυὶ ἀναστέλλεθ' ἄνω τὰ χιτώνια
Ὑποδεῖσθε δὲ ὡς τάχιστα τὰς Λακωνικάς
Ὥσπερ τὸν ἄνδρα θεᾶσθ', ὅτ' εἰς ἐκκλησίαν
Μέλλοι βαδίζειν ἢ θύραζ' ἐκάστοτε,

Perperam Interpres. *Age nunc trahite suprà vestes.* Vertendum fuit. *Agite nunc subducite tuniculas, subligate quam citissime Laconicas, quemadmodum virum videtis, quando in concionem vultire, vel foras procedere.* Nulla hic mentio reiiciendi in humeros pallii, ac ne pallij quidem. Nam de iectu pallij paulo post sequitur.

Καὶ θοιμάτια τὰ ἀνδρεῖα τάπερ κλέψατε
Ἐπαναβάλλεσθε.

Et pallia virilia, quæ furatæ estis superiniicite, siae componite. Tam viri, quam fæminæ vbique terrarum tunicas gestabant, sed tunicæ sequioris sexus longæ, ac talares erant, vt Romanarum stolæ, virorum ad medium ferè crus pertinebant. Iubet igitur, dum mimum instruit, Praxagora mulieris χιτώνια, tunicas subducere ad instar virorum, tum Laconicas virile calceamentum subligare, vt viri faciebant, cum in publicum, atque in concionem prodirent: tum pallium virorum superinjicere, vt viri esse crederentur. Paulo ante eadem veteratrix interrogat mulieres, an habeant barbam adscititiam, baculos, laconicas, pallia virilia, quæ virorum insignia: nihil de tunicis, quæ communes fuere, quasque infra monet more virorum subducendas.

Cum autem vt diximus breues admodum virorum tunicæ essent, atque ita periculum esset vt mulieres, quæ suas tunicas vt viri subduxerant, ne dum tribunal ascenderent nisi rectè pallium componerent in sedendo sexum detegerent, præstigiatrix monet illas occupare sedes antequam veniant in concionem viri, ne scilicet subductis altius tuni-

cis

cis in actu sedendi mulieres apparerent. *κἄπειδ' ὑπερβαίνεσα τὰς*

Ἀναβαλλομένη δείξει τὸν φορμίσιον.

Ἀναβαλλομένη non est *reiiciens pallium*, vt Interpres credit, sed, dum pallium inijcit in actu sedendi, & componit, præ insciția ostendat id, quî mulier est. Quare subiicit. *Si autem sedebimus, latebimus: Ξυσκλαμένα ἱμάτια, componentes pallia*, non *contrahentes vestes*, vt Interpreti placuit.

Frustra ergo Aristophanis locum de more coniiciendi in humeros pallii magnus vir aduocauit: neque hic habitus ciuium, atque honestiorum hominum fuit, sed ferme seruorum, cum se ad versuram expedirent in Comœdiis palliatis. Plautus Captiuis:

Nunc certa res est, eodem pacto vt Comici serui solent
Conjiciam in collum pallium, primo ex me banc rem vt audiat.

Et Epidico:

Age nunc orna te Epidice, & palliolum in collum conjce,
Atque dissimulato, quasi per vrbem totam hominem quæsieris.

Quod & colligere pallium dicebatur. Idem alibi:

Collecto quidem est pallio, quidnam acturus est?

Sic Geta apud Terentium Phormione, vt Ctesiphontem properet inuenire; *humerum sibi onerant pallio*. Quod fiebat, quia cum pallium ad pedes flueret festinanti moram obiiciebat. Quare in venatione aut depositum aut in humeros coniectum esse pallium, ex Oppiano Casaubonus obseruat. Quod sane mirum est. quis enim pallio locus in venando? Certe nullus eius vsus in bello, propter eandem causam, sed eius vicem chlamys sumpta, quæ breuior, ac fibula adstricta, nec defluere, nec morari prælìantes poterat. Fuisse autem pallium pacis habitum vel vnus Herodotus docuerit lib. 1. Nam cum Cyrus Lydorum gentem toties rebellem exitio daturus esset, consulto Cræso eius monitu, ne iterum defectionem molirentur, iussit arma tradere, & tunicis pallium imponere, & cothurnos induere. *κέλευε δὲ σφέας χιτῶνάς τε ὑποδύειν τοῖς ἔμασι*. Quod non minus mirum videri debet. Satis enim erat iis armorum vsum interdicere

dicere. Sequebatur enim vt in pallio, & tunica communae tunc veſtitu verſarentur. Sed, quod initio primi libri notauit Thucydides, ea tempeſtate Græcia fere omnis propter frequentia latrocinia, & crebras incurſiones etiam in pace armata degebat, itaque tunicæ ac pallii communis vſus ferme exoleuerat, cum lineas tunicas ſiue loricas paſſim geſtarent, & propallio chlamydes. Quem locum Thucydidis infra, cum de pallij materia agemus, examinabimus. Iuſſit igitur Cyrus Lydos depoſito terrore chlamydum, & loricarum pacis habitu, id eſt cum tunica pallium, vſurpare.

Quando brachium pallio exerebatur. Επιδέξια. ἐπαρίστερα. *Ariſtophanes explicatus.* *Cap. VIII.*

SEd vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, magnam curam veteres adhibuerunt, vt pallio decenter compoſito incederent. Zeno Stoicus apud Laertium lib. VII. conuenire maxime iuuenibus dicebat in omnibus vti ornato decenter cultu, καὶ πορείᾳ, καὶ ἱματισμῷ, καὶ περιβολῇ. Athenæus loco laudato. *Hermippus ſcribit Theophraſtum ad horam conditam in Peripaton ſcholam ſuam ire ſolitum* λαμπρὸν καὶ ἐξησκημένον, *nitido & bene compoſito corporis cultu. Idem Hermippus ſcribit a Theocrito Chio reprehenſam fuiſſe,* ὡς ἀπαίδευτον *Anaximenis* περιβολὴν, *tanquam illiberalem pallij compoſitionem. Calliſtratus Ariſtophaneus maledictis inceſſit Ariſtarchum* ἐπὶ τὸ μὴ εὐρύθμως ἀμπέχεσθαι. *Quod non decore, ac concinne pallium aptaret.* Totus autem compoſiti pallii decor in eo erat, vt dextra parte, quemadmodũ dicebamus, ſiniſtro humero impoſita contineretur brachium, aliquando etiam ipſa manus. Αὐτὸς πάνυ κοσμίως προσῆλθεν ὑπὸ τὸ ἱμάτιον τὴν χεῖρα ὑποσείλας. Dio Chryſoſtomus in Boriſthenica de Calliſtrato adoleſcente: *Ipſe modeſte admodum acceſſit, manum pallio inuoluens.* Sed fuerit iſte ciuium habitus, cum otioſe per Vrbem incederent: quid actum in concione dicemus, cum in ſuffragijs ferendis manus porrigi, & extendi ſoleret? Quid cum oratores ad populum verba facerent? num ſine geſtu bra-

brachio ita inuoluto perorarunt? Tunc non manum modo, sed totum quandoque brachium exertum fuisse credere par est. Apud Aristophanem Concionantibus facete admodum quærunt mulieres, quomodo in concione aptè manus mouere, ac tollere possent, quæ nonnisi tollere crura didicissent. Respondet Praxagora difficile negotium esse, ceterum χειροτονητέον, *consentiendum* inepte vertit Interpres, sed χειροτονητέον est *manum tollendam esse* siue *eleuandam*, vt fiebat in concione, cum aliquid decerneretur. Sequitur. Ἐξωμισάσαις τὸν ἕτερον βραχίονα. *Exercentibus alterum brachium.* Ita vetus Scholiastes: ἄχρι τῶν ὤμων γυμνωθείσαις, *exerto, siue renudato vsque ad humerum brachio.*

Aeschines tamen in Timarchum clare ostendit, morem exerendi brachium non esse antiquum. *Quod nunc*, inquit, *omnes in more habemus*, τὸν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, *exerto brachio verba facere, hoc tunc temporis audax videbatur, summamque, cum id facerent, cautionem adhibebant.* Subjicit in foro Salaminorum positam Solonis imaginem, quæ ἐντὸς τοῦ χεῖρα ἔχων, *manum pallio continebat*, idque monumentum, ac simulachrum Solonis esse eo habitu, & compositione corporis, qua ad populum perorabat. Quod falsè eludere conatus est Demosthenes de falsa legatione, *Non oportere* dicens *in orando, sed in legationibus manum cohibere.* Hunc autem morem continendi brachium inter orandum primum a Cleone mutatum fuisse viri docti obseruant, & ideo a Thucydide, atque Aristophane non semel reprehensum. Plutarchus tradit primum C. Gracchum, cum oraret, ex humero togam deiecisse, quemadmodū de Cleone traditur περιστράσαι τοῦ περιβολοῦ, quod non est, pallium *ex humeris reiecisse*, hoc enim pacto decidisset, sed ita detraxisse, vt brachium exereretur. Quare credibile est Aristophanem loco adducto notare Cleonem, atque arguere voluisse.

Eadem ratione tanquam inepti, & illiberales vulgo notabantur, qui pallium non eo modo componerent, qui est a nobis hactenus explicatus. Apud Athenæum eodem lib. 1. Hermippus scribit, Theocrito Chio Anaximenis περιβολοῦ

tanquam illiberaliter educati reprehendi. Et Calliſtratus Ariſtarchum inceſſit ἐπὶ τῷ εὐρύθμως ἀμπέχεσθαι, *quod indecore amiciretur*. Qualis autem eſſet iſta indecens, atque illiberalis palliicompoſitio, docet Ariſtophanes in Auibus loco maxime inſigni. Neptunus enim ad Deum Triballum, qui legatus cum eo venerat, ait:

Οὗτος τὶ δρᾷς ἐπ' ἀριστέρ' ἀμπέχη,
Οὐ μεταβαλεῖς σοιμάτιον ὡς ἐπιδέξια.

In quo infeliciter Interpretes verſati ſunt.

Hic quid facis, in ſiniſtras ſic indueris?
Non mutas pallium tanquam in dexteras?

Sed ad intelligendum Interpretem, interprete opus eſt. Nec minus ineptit Cælianæ nuperus enarrator. *Iſte quid agis? pallio lænam obtegis: Ad dextram tu pallium non transferes?* Subjicit ex hoc ſequi: ne dextrum brachium apud Athenienſes fuiſſe expeditum. Quomodo id ſequatur, ipſe viderit: affert deinde veteris Scholiaſtæ verba, quæ de vera loco huius ſententia dubitare non ſinunt. *Hic*, inquit, *Neptunus barbaro dicit, qui ipſi aderat ad legationem* ὡς ἐπὶ τὴν δέως στελλομένῳ τὴν ἐσθῆτα, ἀλλ' ἐπ' ἀριστερᾷ περιβαλλομένῳ, *quod inepte, & indecore pallium iniiceret, & a ſiniſtra illud circumponeret more Thracum*. Quid planius? Athenienſes, vt dicebamus, & Græci omnes ita pallium componebant, vt ab dextro in ſiniſtrum induerent, ſiue eius partem dextram in humerum ſiniſtrum conjicerent; Barbarus iſte contra morem ab ſiniſtro in dextrum humerũ pallium mittebat; quod Thraces faciebant. Ait ergo Neptunus ad eum:

Tu quid agis? ab ſiniſtra ſic pallium imponis?
Non illud dextrè, ac decore compones?

Ἐπιδέξια, vt diximus, recte Caſaubonus obſeruat eſſe dextre, & decore, vtque liberum hominem decet pallium induere: ἐπαριστερὰ, contrario modo. Sed vocis huius notatio ab hoc more petenda erat.

Poſtremo qui pallium non apte ſubducerent, ſed illud traherent, partim tanquam ſoluti, & effœminati, partim vt negligentes notabantur. Plutarchus in Alcibiade affert

vera

verba Archippi de Alcibiadis filio. Βαδίζει φησὶ διαχλιδῶς ἱματίου ἕλκων. *Incedit*, inquit, *diffluens pallium trahendo.* Apud Terentium Eunucho ait Thais Chremeti: *Attolle pallium*. Vbi Donatus. *Vel quia Simplex est, vel quia ebrius pallium trahit Chremes.*

An pallium fibula necteretur. Tertullianus de pallio explicatus. Cap. IX.

ISta cum ad hunc modum se habeant, viris doctis in mentem veniisse demiror, vt crederent ipsi atque alijs persuaderent, in communi pallio fuisse aliquem fibulæ locum. Siccine ipsos nullam vnquam statuam palliatam vidisse, cuius aspectu erroris arguerentur? Nullum ibi fibulæ vestigium, nullus fibulæ in communi pallio vsus fuit. Quippe si, vt diximus, magna olim cura in pallio decore componendo veteribus fuit, totaque illa ciuilis habitus confirmatio in eo posita erat, vt pars dextra pallii siniſtro humero imponeretur, & velato brachio dextera exereretur, vt quoties defluere ea pars reponeretur, ac decenter infra genua caderet; vt a dextro in siniſtrum conjiceretur; vt non subduceretur altius, aut fluens traheretur. Nihil horum effici potuit si pallium fibula nixum fuisset, hoc est, si vtraque pars pallii in humeris fibulæ morsu acquieuisset. Quomodo enim pars dextra ab imo subducta in læuæ humero collocaretur, si cum altera ad ceruicem adstricta erat? Eadem fuisset in omnibus pallii compositio, nullus in cultu negligentiæ notatus, quando pallium semel fibula nexum, nec cadere, nec reponi poterat, non ἐπιδέξια, non ἐπαριστερὰ injici, non labens fulciri, ac suo loco reddi.

Atqui Tertullianus horum sententia in pallio fibulam agnoscit. *Pallium extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab vtroque laterum regestus, & ceruicibus circumstrictus in fibulæ morsu humeris ac quiescebat.* Quibus verbis inducti docent de vulgari pallio Græcanico loqui Africanum, quod in humeris fibula nexum sedebat, & vtrumque humerum ad-

uelabat, quod scilicet elegantiores circa ceruices studiose & cum cura in rugas dispositum stringerent, ac morose ordinarent. Sed de communi pallio non esse locutum Tertullianum illa indicant. *Tamen & vobis habitus aliter olim*. Nempe pallium quale describit. Id a communi, quod tunc gestabatur, & paulo ante Tertullianus induerat, diuersum fuisse, quæ sequuntur manifesto cõprobant. *Instar eius hodie Aesculapio sacerdotium est*. Si de communi pallio, quod ipse gerebat, verba habuisset, quid opus erat illud morose describere, quod in oculos incurrebat? Pallium ergo describit, quod olim Carthaginienses ferebant, antequam togam induerent, cuius forma tunc obsoleuerat, & tantum apud Aesculapii sacerdotes remanebat. Si idem pallium fuisset cum vulgari, dixisset Rhetor: sed vos etiam olim tale pallium gestastis, quale in me denotatis. Diuersum ergo fuit, hocq; illius proprium, vt fibula necteretur, quam commune non habebat. Id eo confirmatur, quod Cap. IV. hoc pallium sacerdotum Aesculapii morosius ordinatum arguit, ideſt, est constrictum ceruicibus, & in rugas formatum: quod non fecisset, si tale etiam vulgare fuisset.

Alter Tertulliani locus paulo infra mirifice ad rem nostram facit male a Criticis acceptus. *At enim pallio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur: quippe tota molitio eius operire est solutim, ideſt, vno circumiectu, licet equidem, nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit: humerum velans exponit, vel induit, cetero, qua in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facile sese regit, facile reficit: etiam cum reponitur nulli cippo in crastinum dimandatur*. Ita extat in veteribus editionibus. Quomodo Interpretes totum locum interpolauerint, quam multa inuerterint, nihil attinet dicere. Quod ad rem præsentem pertinet, verba illa, *nihil circumfulcit, nihil circumstringit*, commune pallium fibula caruisse indicant. Sed aiunt nonnisi de pallio Cynico loqui Tertullianum, in quo nullus fibulæ locus. De Cynicorum indumento verba facit, sed non de eo

tan

tantum. Communis pallii illa defensio est, quam ille aduersus noui habitus obtrectatores instruit. Nisi quis existimat Tertullianum, & reliquos seuerioris disciplinæ Christianos in pallio Cynico incessisse. Sed pallium vulgare, ac Cynicum idem forma fuisse, materia, colore ac gestandi modo diuersum, infra ostendam. De communi ergo pallio ibi verba facit. Nam cum in superioribus togæ vestiendæ, ac componendæ tædium, atque incommodum exaggerasset, tabulasque, & tilias, vmbonis figmentum, custodes forcipes, totamque illam moram, ac sarcinam facunde executus esset subjicit, nihil pallio esse expeditius, hoc est communi. Addit enim, *etiam si duplex*, nempe Cynicum. non enim verisimile videbatur, quod est duplex esse simplici expeditius. Sequitur. *Quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur.* Explicat quale fuerit hoc pallium duplex Cynicorum. Commune pallium componebatur eo modo, quem supra attulimus, dextra eius parte siniſtro humero iniecta. Cynicum alia ratione induebatur; excluso brachio atque humero dextro totum hominem inuoluebat. Redit ad pallium commune. *Quippe tota molitio eius est operire solutim.* Togæ mora, atque incommodum erat, quod contrahebatur in rugas, contabulabatur in vmbonem: at pallium nullis plicis, nulla contabulatione, sed fluens, ac solutum hominem velabat. hoc est *operire solutim*. Adjicit, quo res clarior fit, *ideſt vno circumiectu*. Quibus verbis aiunt Interpretes designare pallium Cynicum, cuius proprium fuerit circumjici, καὶ περιβάλλεσθαι. Sed hoc etiam de communi dicebatur: vnde περιβόλαιον, & περίβλημα pallium dictum supra notauimus. Immo hoc magis vulgaris peculiare fuit, quam Cynici. Hoc enim vnum tantum humerũvelabat, illud vtrumque. Hoc indicant verba, quæ sequuntur: *licet equidem nusquam in humano, ita omnia hominis simul contegit*. In prioribus latere mendum, nullus non vidit. Quare enim circumiectus nusquam inhumanus dicitur? Aliqui nusquam inelegantem interpretantur. Sed quæ hæc elegantia: deinde quæ ratio est elegans, quia omnia hominis contegit.

Lati-

Latinius *licente quidem, ſed nuſquam inurbano*: quod non diſpliceret, ſi librorum MSS auctoritate niteretur. Fortaſſe ad togæ molitionem reſpexit, quæ cum potius oneraret, quam veſtiret, incommoda ac veluti inhumana videbatur: ſecus pallij circumiectus nihil habuit inhumani. *Ita omnia ſimul contegit*, cum toga non totũ corpus velaret, dextro humero brachioq; exertis. Hæc porro de Cynico pallio capi non poſſunt: quod omnia ſimul non contegebat, ſed humerum cum brachio excludebat. Ergo de pallio generatim: *humerum velans exponit, vel includit*. Quomodo veſtimentum corpus velando exponere poſſit, niſi ſerica veſtis, quæ tegendo renudabat, non video. Recte corrigunt Interpretes *humerum vel includit:* non recte tamen explicant, ideſt, exponit, & includit; quod ſcilicet alter humerus exereretur, alter includeretur. Sed de pallio generice intelligendum eſt. Nam pallium commune humerum vtrumque includebat, ac velabat: Cynicum alterum excludebat; ergo humerum quandoque exponit, quandoque includit. *Ceteri qua in humerum adhæret nihil circumfulcit, nihil circumſtringit.* Toga ita ſiniſtro humero hærebat, vt rugarum congeſtu humerum premeret, & fulciendo ſinu, atque vmbone brachium laboraret: pallium, qua parte humero imponebatur, nullis plicis, nulla contabulatione grãue erat; nullo artificio nodo, aut fibula circum ſtringebatur. *Facile ſe regit, facile reficit*, non fibula infrenatur, & cum deciderit facile reponitur. Demum, *Si quid interulæ ſubter eſt, vacat zonæ tormentum.* Sub communi pallio tunica geſtabatur, quæ hic interula, quod intus ſiue intra pallium eſſet dicitur. Sub cynico pallio nulla erat. Quæ etiam indicant, de pallio in genere loqui Tertullianum. Quandocumque igitur tunica geſtaretur, illam vacaſſe zonæ tormento, quod Afri diſcincti eſſent, vt alias dictum. Non igitur tantum de Cynico pallio loquitur ibi Tertullianus: alioquin merito illi quis reponere poterat. Eſto Cratetis pallium fuerit expeditum; vulgare non item. Nam & fibula conſtringebatur, & ad ceruices moſole in rugas ordinabatur, quæ operoſa molitio non multum

tum togæ contabulationi dissimilis erat. Solum vetus Carthaginiensium pallium tale fuit, quod penes Aesculapii mystas eo tempore remanserat. Quod Tertullianus, & reliqui tunc gestabant: nec fibula stringebatur, nec ita gerebatur, vt duæ laciniæ ab vtroque latere retrorsum rejicerentur: neque hoc ἀναβάλλεσθαι fuit; hoc enim significat attollere, & de inferiori parte subductam laciniam humero sinistro injicere, vt dicebamus: neque qui pallium eodem modo regestum vtrinque habebant, ἀναβεβλημένοι τὸ ἱμάτιον dicebantur, sed qui communi Græciæ more illud componebant. Immo si commune pallium fibula nexum fuisset, etiam, quod ait Tertullianus, ab vtroque laterum regerebatur. Frustra ergo veteres laboraſſent in illo decoro habitu componendi pallii, vt dextre scilicet aptaretur: frustra eos negligentiæ, & inurbanitatis notassent, qui in sinistrum illud vestiebant. Nam sic neutro modo componi poterat, neque in dextram, neque in sinistram: sed tantum vtrinque in latera rejici poterat.

Præterea cedo mihi veterem scriptorem, qui fibulæ in cõmuni pallio meminerit. Isidorum nihil moror. *Pallii fibulati Gallici* mentio extat apud Vopiscum in Probo, cui Valerianus inter cetera iubet dari *pallia Gallica fibulata duo.* vbi viri doctissimi, qui ad Tertullianum commune Græcorum pallium fibulatum fuisse docent, illa Gallica pallia fibulata sagochlamydes fuisse obseruant, causamque addunt, cur Valerianus pallium non simpliciter dixerit, sed pallium fibulatum, quod pallia vulgo non essent fibulata, vt nec saga. Persicum etiam pallium fibulatum apud Suidam: Φιβλατώριον περιβόλαιον Περσικὸν. Quod si commune Græcorum fibulam habuisset, non hæc tanquam diuersa scriptores notassent. Chlænæ igitur, & chlamydes fibulam habuerunt: & ideo Homerus in chlæna voce περόνησατο vsus est, *infibulauit*, nusquam in pallio. Aliqua in hanc rem adjiciemus cum de Tribonio disputabimus.

Pal-

Pallium cum crepidis sumptum. Tertullianus de Pallio explicatus. Cap. X.

CAlceos togæ proprios fuisse alias adnotauimus. Sic crepidæ pallii peculiares fuere, nec vnquam sine illis pallium sumebatur. Liuius lib. xxix. de Scipione in Sicilia otiante: *Ipsius etiam Imperatoris, non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus iactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in Gymnasio.* Quod imitatus Germanicus in Aegypto, vt Tacitus loquitur, *pedibus intectis* incessit, *& pari cum Græcis amictu.* Dio Cassius lib. lx. tradit Claudium Neapoli tanquam priuatum egisse, atque in ludis Musicis ἱμάτιον καὶ κρηπίδας gestasse, *pallium & crepidas.* Interpres inepte, *togam, & soleas.*

Tertullianus de Pallio: *Nisi quod & philosophi puto ipsi aliquid eiusmodi adfectant. audio enim, & in purpura philosophatum: si philosophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calciare? nisi aurum minime Græcatos decet: atquin alius & sericatus, & crepidam auratus incessit.* Heic antiquum Critici obtinent, totumque locum turbant, atque inuertunt, cum tamen nulla mutatione opus sit. *Si Aristippus in purpura, cur non etiam in Tyria baxa siue baxea?* Baxeam non fuisse calceum muliebrem pretiosum, sed virilē, immo philosophicum, quod cum pallio sumeretur idem ac crepida, notum est. Apuleius lib. xi: *Nec deerat, qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret.* Alibi de sacerdote Aegyptio: *Inducit iuuenem quendam palmeis baxeis indutum.* Si ergo, inquit, Aristippus vestem purpuream sumpsit, cur non & calceamentum, siue baxeā philosophicam purpura infecit, vt esset æqualis habitus? *Cur non & baxea Tyria calciare?* ideſt, cur non Aristippe etiam baxeam purpuream induis? Quæ olim Turnebi, & Merceri opinio fuit. Sed non videntur cohærere, quæ sequuntur. *Nisi aurum minime Græcatos decet. Cur non sumis & crepidas purpureas? Quia aurum Philosopho indecorum.* Sed quicumque sciet calceos purpureos

reos, eosdem & auro distinctos fuisse, constare optime sententiam intelliget. Clare Epictetus in Enchiridio cap. LXI. *Vt & in calceo, si vltra pedem progressus fuerit,* γίγνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν: *Fit auratus,* siue auro distinctus *calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus.* Vbi Simplicius, *Tanta autē,* inquit, *fuisse videtur apud Romanos in conficiendis calceis purpureis, & interpunctis curiositas, vt auratis etiam præferrentur.* Calcei alij auro inducebantur, alij inficiebantur, purpura alij compungebantur, siue aureis notis distinguebantur. Ideo occurrit obiectioni Tertullianus. *Cur non & baxea Tyria calciaris.* Respondere poterat Aristippus. *Quia aurum Græcatos, ideſt palliatos non decet.* Atqui inquit Tertullianus, alter nempe Empedocles, *si non auratus,* saltem *aeratus crepidam* incessit. Quicumque hæc cum doctorum virorum emendationibus conferet, is profecto intelliget, non semper Interpretes de Tertulliano bene mereri.

Quod ad crepidam attinet, idem paulo post de Sacerdotibus Aesculapij, quos palliū retinuisse inter togatos Chartaginienses initio dixerat: *Cum hoc ipsum pallium morosius ordinatum & crepidæ Græcatim Aesculapio adulantur.* Vbi *Græcatim* est, quod notauit Mercerus, more Græco, siue Græco habitu, vt paulo ante dixerat *Græcatos decet.* Sed de crepidis, & toto veterum calceatu in tertia parte huius Operis, si vita suppeditabit, disputabimus.

De Pallij materia. Vestimenta lanea. An lineæ vestes in vsu. Thucydides explicatus. Lineæ loricæ. Cap. XI.

NOn pallia modo, sed tunicas, chlamydes, chlænas, & reliqua vestimenta tam virorum, quam fœminarū lanea fuisse, non est dubitandum, licet aliquis in mulieribus interdum lineæ vestis vlus reperiatur, de quo infra. Nec alia apud Græcos, atque Romanos quam lanæ textura, licet ex ipso lanæ pretio plus minusue æstimaretur. Aelianus lib. I. Varię cap. XVI. tradit Apollodorum Socrati in

carcere morituro attulisse χιτῶνα ἐρίων πολυτελῆ, καὶ ἐυήτριον, καὶ ἱμάτιον τοιοῦτο. *Tunicam ex pretiosa lana, pulchreque textam, simile item pallium.* Plutarchus de audiendo. *Neque pallium induere hieme,* εἰ μὴ προβάτων Αττικῶν εἴη τὸ ἔριον, *nisi ex lana ouium Atticarum.* Plautus Milite Glor. Act. III. Sc. I.

Eme mi vir lanam, vnde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bona,
Ne algeas hac hieme.

Nec aliud olim muliebre, opus quam lanificium fuit. Aristophanes Concionantibus de muliere, quæ in concionem prodibat. *Hæc attuli* (lanam) *vt completo concilio* ξαίνοιμι, *carpam, siue pectam.* Vetus Scholiastes: *Mulier venit ferens lanam, eamque pectens: siue carminans* (non recte Latinus Interpres *diuidens*) subjicitque se id facere, *quod filij sibi nudi essent.*

Rarus apud Græcos serici, rarus admodum lineæ vestis vsus fuit. Sanè apud Homerum lineæ vestis mentio. Sed etiam cubicularem fuisse, quæ nempe dormientibus substerneretur, veteres critici obseruant. τὸ ὑποστρωννύμενον τοῖς καιμωμένοις, ait Hesychius. Odysseæ. N. ait Phæaces strauisse in naui Vlyssi dormituro ῥῆγός τε λίνοντε. Ἵνα νήγρετα εὕδοι. Paulo post subjicit, sublatum eundem dormientem ex naui ἀΐσσῳ σιώτε λίνῳ, καὶ ῥήγεϊ. Apud eundem Il. B. inducitur Aiax Oilæus λινοθώρηξ, hoc est, vt interpretatur Hesychius, lineo thorace vtens: de quo infra. Alias non ita facile occurrit apud Græcos lineæ vestis mentio in communi vestitu.

Thucydides tamē ipso operis initio indicare videtur veteres Athenienses lineas tunicas gestasse. οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνας τε λινοῦς ἐπαύσαντο φορεῖντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐν ἔρσει κρωβύλον. *Nec multum tempus est, quo apud eos* (Athenienses) *qui ex senioribus locupletiores erant ferre desierunt lineas tunicas, cicadasque in seriem aureas.* Verum tunicæ illæ non aliud fuerunt, quam loricæ, siue thoraces linei, quibus pro armatura in bello vtebantur. Narrans enim antiquissimos Græcorum rapto viuere assuetos perpetuo, veluti con-

cesso

cesso latrocinio vitam egisse, subjicit. *Quin etiam arma ferre apud hos ex vetere latrocinio permansit. Omnis enim Græcia arma gestabat, quod videlicet, nec penates munitionibus cincti, nec tuto commeare vltro citroque possent: vitamque assidue sub armis agebant more barbarorum. Indicio autem sunt hæ regiones Græciæ, quæ vsque adhuc illoritu habitantur, similem cultum, similiaque vitæ instituta aliquando apud omnes fuisse. Primi autem inter hos Athenienses ferrum deposuerunt, & pacato cultu vtentes ad lautius quoddam, & mollius vitæ genus transierunt.* Athenienses vt ceteri Græci militari cultu perpetuo incedebant: nō multo ante Thucydides tempora ad pacis habitum transierunt, & cum reliqua armatura lineas quoque tunicas deposuerunt. Quod si illæ fuissent interulæ, vt subuculæ lineæ, potius illas induissent, cum ad mitius, magisque lautum vitæ genus transire in animum induxissent.

Nemo autem lineas tunicas siue thoraces pro armatura gestatas mirabitur, nisi qui in veterum scriptis plane peregrinatur. Talis Aiacis thorax apud Homerum lineus, vt paulo ante diximus. θώρακες λινοῖ, *thoraces linei* dicuntur Pausaniæ in Atticis, qui ait has lineas loricas, siue thoraces non æque esse vtiles prægnantibus, quod ferro vehementius immisso lædantur, ac venatoribus. In illis enim leonum, ac pantherarum dentium impetum eludi, ac debilitari. Nepos in Iphicrate: *Idem genus loricarum mutauit, & pro ferreis, atque aneis lineas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit: nam pondere detracto, vt aeque corpus tegerent, & leues essent, curauit.* Suetonius Galba XIX: *Loricam tamen induit lineam, quamquam haud dissimulans, parum aduersus tot mucrones profuturam.* Sed quomodo lineæ loricæ, siue thoraces conficiebantur, vt ferro resisterent? Titius in Controuersiis existimat lineas chlamydes bombyce, spongia, lanaque minutatim dissecta ad instar culcitæ fartas. Sed eum merito magnus Antagonista ficto nomine reprehendit, primo quod chlamydes cum tunicis confundit: deinde quod puerili errore bombycem, quod erat sericum, pro gossipio, quod Itali vulgo *bambaggio* appellant, posuerit,

quod Italiæ ignotum per multa ſecula. Negat ipſe ex goſſipio, aut lana, aliaue materia minute conſecta fartum thoracem fuiſſe. nam quare potius lineum diceretur, quod ex alia materia confectum erat? Itaque thoracem lineum a loricis non niſi materia diuerſum fuiſſe, quod illæ eſſent annulis, & catenulis æneis conſertæ, hic autem ex torulis trilicibus, quadrilicibus, aut bilicibus. Toros appellat funiculos ex multis filis tortos, qui propterea a numero dicebantur bilices, & trilices: qui deinde tori inter ſe filis conſerebantur, & firmiſſimum opus præſtabant. Talis Amaſis Aegypti Regis filis contexta, quorum ſingula trecentis ſexaginta quinque filis conſtarent. Quin idem in caſſium deſcriptione, ſtamina ſingula centenis quinquagenis filis conſtare ait, vocatque ſtamina, quæ alii toros, Græci βρόχες in reſtibus. Fila autem, ex quibus ſtamina illa ſiue tori conſtabant, licia etiam vocata docere loricas bilices, ac trilices apud Virgilium. Hæc Scaliger de loricis lineis.

At Caſaubonus ad Suetonium diuerſa ratione huiuſmodi linteos thoraces factos credit. Nempe opera, atque artificio coactiliariorum, & πιλοποιῶν, qui linum aceto, vel auſtero vino, cui ſal eſſet adiectum, probe macerabant, deinde ita cogebant, vt ſoliditatem, ac craſſitiem lintei octies, decies, aut ſæpius in ſe complicati haberent. Adducit ad hoc comprobandum locum Niceræ Aconinati lib. 1. rerum Iſaaci Angeli: *Ipſe Conradus ſine ſcuto tunc dimicabat: ſed pro lorica textum quoddam geſtabat e lino factum, vino auſtero probe ſalito maceratum, ſæpius replicatum: quod quidem ſale & vino coactum adeo firmum aduerſus ictus erat, vt penetrari a nullo telo poſſet. Erant autem huius texti pagellæ octodecim, & eo plures.* Veriſimilior tamen Scaligeri opinio eſt, propter loricas bilices, & trilices, quæ in coactilibus locum haberi non poterant.

Lineus

Lineus Apollonij Thianei veſtitus. Byſſus. Ὀθόνη. Pollux notatus. Cap. XII.

NVllus igitur lineæ veſtis vſus in communi Græcorum veſtitu fuit. Nam Apollonii Thianæi id peculiare fuiſſe dicendum eſt, vt tunica linea vteretur, quemadmodum Pythagoræ, quam ille imitatus eſt. Quæ veſtitus a vulgato diuerſitas cum illi apud Domitianum obiecta fuiſſet, hac defenſione vſus eſt, vt narrat Philoſtratus lib. VIII. cap. III. quæ etiam Pythagoræorum, atque Aegyptiorum ratio fuit. Quod ſcilicet veſtes ex pellibus, aut animantium lana confectæ impuræ eſſent, contra puræ, quæ ex lino texerentur. Mox ſubjicit: *Si quis animati, aut inanimati rationem auferat, ob quæ purus quis, aut impurus videri poteſt, quid in ſe præclarius habeat lintea, quam lanea veſtis? τὶ βελτίον ἢ ὀθόνη τῆς ἐρίου; Lanam ſi quidem ex animali manſuetiſſimo natam, quam curæ Dijs fuiſſe, illud indicat, quod eorum quidam paſtores fuerunt. Vnde & aureum vellus poetarum carminibus nobilitatum? Linum vero* inquit *ferituꝛ, vtcumque euenit, auri vero circa illud nullus eſt ſermo: ſed quoniam ab inanimato decerpitur, purum quidem Indis, purum etiam Aegyptijs eſſe videtur: & propterea Pythagoræ prius, deinde etiam mihi hoc etiam in veſtem aſſumptum eſt, quam conuenire nobis putauimus tam diſputantibus, quam orantibus & ſacrificantibus.* Idem Philoſtratus lib. II. cap. IX. narrat quaſdam in India linteis veſtibus vti, nobiliores vero Byſſo, quæ lini ſpecies fuit: cumque Apollonius vidiſſet Byſſum, gauiſum fuiſſe, quod fuſco amictui, quem geſtabat, non diſſimilis eſſet: quæ verba infra examinabimus. Alibi Brachmanum in India veſtitum deſcribit: Καὶ τὸν ἐσθῆτα ἐσχηματίζοντο παραπλησίως ταῖς ἐξωμίσιν. *Veſtem in exomidis formam compoſitam eſſe, ipſius materiam eſſe linum, quod ſponte ſua in illis locis naſcitur, album quidem, vt Pamphylium, mollius autem propter pinguedinem, quæ ab ipſo inſtar olei ſtillat, ex eo ſacram veſtem confici; idque linum ſi in alia parte ſeratur, non prouenire.* Ad quem locum doctiſſimus Interpres notat, *Exomides fuiſſe*

laneas

laneas ſeruorum lacernas, anguſtas, & breues, circa humerum deſinentes. Verum non fuerunt exomides lacernæ, ſed tunicæ, neque illæ ſeruorum tantum, & iſtæ Indorum tunicæ, ſiue tuniculæ erant, ſtrictæ ſcilicet, nec vltra humeros velatus brachium, quales exomides fuerunt.

Adjicit Philoſtratus, Apollonium, cum in India eſſet, audiſſe Byſſum in Aegyptum ex India deferri, quod illa in pleriſque ſacris vtuntur Aegyptij. Lineam enim ſiue byſſinam veſtem Aegyptiorum peculiarem fuiſſe, quis neſcit? Hinc *turba linigera, grexque liniger* de Sacerdotibus Iſidis poetis dicitur. Et Apuleius lib. xi. in pompa Iſidis deſcribit viros fęminaſque *lineæ veſtis candore luminoſas*. Et paulo infra: *Antiſtites ſacrorum proceres candido linteamine cinctum pectorale adusque veſtigia ſtrictim iniecti*. Ideo Anubis a Luciano Deorum concilio inducitur *ſindone amictus*. Seneca item de breuitate vitę: *Cum linteatus ſenex laurũ, & medio lucernam die proferens*. Quare & linteæ veſtes ex Aegypto Romam delatæ. Cicero pro Rabirio: *Auditæ, viſæque merces fallaces quidem, & fucoſæ, chartis & linteis, & vitro delatæ*. Non tota tamen Aegyptiorum veſtimenta linea fuerunt, ſed tunicæ tantum. Nam pallia ex lana. Herodotus lib. ii. ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέους περὶ τὰ σκέλεα δυσσανώτους, οὓς καλασίρις καλέουσι· ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβλήδην φορέουσι. *Induunt tunicas circa crura fimbriatas, quas Calaſiris appellant, quibus circumiecta lanam pallia alba geſtant*. Addit tamen lanea veſtimenta neque in templa inferri, neque vna cum mortuis ſepeliri: hoc enim prophanum eſſe. Similemque morem ſeruari in ſacris Orphicis, ac Bacchicis, in quibus nefas eſſe, ijs initiatos in veſtibus laneis humari.

At Byſſus lini ſpecies pretioſiſſima, quæ indidem proueniebat, ex qua veſtes molliſſimæ, ac tenuiſſimæ conficiebantur. Vnde dictum Paryſatis Reginæ, in Regum alloquio vtendum eſſe verbis Βυσσίνοις, ideſt *molliſſimis, ac leniſſimis*, quidquid aliter viri docti interpretentur, qui *ſublimia, grauia, & ornata* reddunt, & neſcio quæ εὑρήματα comminiſcuntur. Apud Theocritum Idil. xi. Simætha inducitur Βύσσινα καλὸν

καλὸν σύρουσα χιτῶνα, *trahens pulchram ex byſſo tunicam*. Quoniam autem hæ veſtes byſſinæ eſſent pretioſiſſimæ, & vt ait Plinius, *mulierum luxui deſtinatæ*, ideo ferme purpura tegebantur. quæ res veteres Grammaticos in errorem impulit, vt byſſinum, colorem purpureum interpretarentur: quem errorem ſatis iam viri docti redarguerunt. Talis fortaſſe Tyria ſindon Martiali lib. IV. quę etiam in vſum virorum ea ætate tranſiſſe videtur. De Endromide.

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non ſic in Tyria ſindone tectus eris.

Byſſi frequens mentio in ſacris literis, pręcipuè in apparatu veſtis ſacrificalis, veliſque, & aulæis tabernaculi. *Byſſina Ioſephi ſtola* Geneſis cap. XLI. Dives etiam epulo *purpura, & byſſo indutus* dicitur, quod a purpura diſtinctam fuiſſe veſtem byſſinam ſatis declarat.

Ceterum linea veſtis Ὀθόνη & Ὀθόνιον Græcis dicitur, quę quoniam interdum muliebris erat, ab Homero in XI. Iliados inducitur Helene ἀργεννῆσι καδυφαμένη ὀθονῇσιν. Heſychius: Ὀθόνη Συνδών. Ὀθόνια λινᾶ ἱμάτια. Idem Homerus lib XVIII. Il. puellis tripudiantibus dat λεπτὰς ὀθόνας, adoleſcentulis autem χιτῶνας εὐνήτας. Quamquam Heſychius ὀθόνιον πᾶν τὸ ἰσχυὸν καὶ μὴ λινοῦν ἢ interpretatur. Ariſtophanes etiam Lyſiſtrata lineas tunicas mulieribus adſcribit.

Καὶ τοῖς χιτωνίοισι ἀμοργίνοις.

Vbi lineas tunicas interpretantur, quod amorgina veſtimenta ad inſtar byſſi, ſiue carbaſi tenuiſſima eſſent. Veteres tamen critici Amorginum coloris genus dixere, nempe purpureum ſecundum gloſſam, vt ait Euſtachius: vt non ſatis conſtet, vtrum ea vox lini ſpeciem, an colorem, an vtrumque ſignificet.

Pueri etiam meritorii in linea tunicula. Lucianus Nauigio: *Quando opinor formoſus ille adoleſcens ex interiore parte nauis progrediebatur,* τλῶ καθαρὰν ὀθόνην ἐνδεδυκὼς *puram lineam tuniculam indutus*. Qualem fuiſſe miniſtrantium in conuiuio habitum ante diximus.

Ceterum Pollucem falli neceſſe eſt, qui lib. VII. cap. XVI.

tradit Athenienſes *linea tunica talari vſos eſſe*. Omnia enim virilia veſtimenta lanea fuiſſe oſtendimus: tunicæque talares nonniſi mulierum fuerunt, vt ex Ariſtophane docuimus, & aperte declarat Pauſanias lib. 1. qui narrat Theſeum cunctis incognitum Athenas veniſſe indutum χιτῶνα ποδήρη *tunicam talarem*, non pallam, vt vult Interpres: & *plexa eleganter coma, ac per contumeliam interrogatum, quid ita nubilis virgo ſola oberraret?* Eadem prorſus ratione, qua apud Plautum in Comædia palliata dicitur *genus mulieroſum, cum dimiſſitijs tunicis*. Hallucinatur igitur Grammaticus ille, quemadmodum cum ὀθόνην apud Homerum interpretatur album veſtitum, ac tenuem e lana, non lino confectum, contra veterum Criticorum ſententiam. Suntque alia non pauca his ſimilia doctis viris caſtigata.

De Pallij colore. Alba Græcorum veſtimenta. Artemidorus, & Lucianus explicati. Aelianus notatus. Cap. XIII.

ROmanæ togæ, tunicæque colorem album fuiſſe expoſuimus: talem & Græci veſtitus præcipue apud honeſtiores colorem fuiſſe credimus. Nam & ſimplicior hic cultus, ac naturæ ipſi proprior, immo & ciuilior videtur, cum pullus in luctu ſumeretur. Inſignis locus eſt Artemidori lib. 11. cap. 11. *Alba veſtimenta ſolis ſacrificis conferunt, & ſeruis Græcorum: reliquis turbationes ſignificant, propterea quod hi, qui in turba verſantur, albo veſtitu vtantur. Opificibus autem manuarijs ceſſationem, & otium portendunt: & quanto pretioſora fuerint veſtimenta, tanto plus otij prædicunt. Neque enim operarij, maxime qui mechanicas artes exercent, albis veſtibus vtuntur. Seruis autem Romanorum, ſolis bis qui recte agunt, conferunt: reliquis mala ſunt. Manifeſtos enim faciunt male agentes, & propterea quod eundē cum dominis veſtitū vt plurimum habent, ob hoc ſomnium liberi non ſiunt, ſicut ſerui Græcorum. Viro ægrotanti alba veſtimenta habere, mortem prædicit, propterea quod mortui in albis efferantur: Niger veſtitus ſalutem prænuntiat. Non*

enim

enim mortui, sed mortuos lugentes huiusmodi vtuntur. Noui autem ego multos, & pauperes, & seruos, & vinctos aegrotantes, qui etiam cum viderentur sibi nigra habere vestimenta, mortui sunt: verisimile enim erat, his non in albis propter inopiam efferendos esse: Est autem alias niger vestitus omnibus malus, exceptis his qui clancularia operantur.

Ex his discere licet Græcos ingenuos vulgo albis vestimentis vsos: quod declarat illud, *eos qui in turba, siue foro versantur, albis vestibus indutos*, id est omnes vulgo liberos homines. Illam autem perturbationem, quam talia vestimenta indicabant, ad Comitia candidatorum, ac prensantium molestias retulit doctissimus Rigaltius. Ceterum alba vestimenta in somnis visa Græcorum seruis fausta erant: quia scilicet illis libertatem portendebant, quod ingenui in ea veste conspicerentur. Sed honestiores tantum: nam opifices, ac sellularij, populique fæx, vt apud Romanos, ferme in sordida, nigraque veste erant. Et ideo his hominibus cessationem ab opere portendi ait, quod albis vestibus non vterentur. Subjicit, Romanorum seruis alba vestimenta per quietem visa solis illis qui recte agerent auspicata fuisse, seruis autem nequam improspera. Futurum enim vt occulta delicta manifestarentur, quod scilicet album in tenebris latere non potest. Infra ait, purpuream, & variam vestem occulta reuelare, quia scilicet conspicua est, quemadmodum alba: vbi eadem voce vsus est: *τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει, occulta manifestat*, vt supra de veste alba ἐλέγχει τοὺς κακῶς πράσσοντας, *male agentes arguit*. Idcirco autem Romanis seruis vestem albam nihil boni prædicere docet, quod eundem cū dominis vt plurimum vestitum haberent. quod de tempore intelligendum est, cum depositis togis, sumptisque lacernis, nullum fuisse inter ingenuos ac seruos in habitu discrimen supra memorauimus. Cum igitur albis vestimentis ingenui Romæ vti desiissent, ea in somnis visa Romanis mancipijs libertatem non prædicebant, quum color cum ipsa libertate publica excesserat: contra cum in Græcia perseueraret, is color in ingenuis visus in somnis seruo libertatē prædice-

dicebat. Quoniam autem mortui viuentium veste efferebantur, Romani toga, Græci pallio: ideo ægrotanti alba vestimenta visa mortem prænuntiabant. Contra niger vestitus salutem, quod is in luctu à viuentibus vsurpatus. Addit multos, & pauperes, & seruos, vinctosque, quibus nigræ vestes per quietem obuersatę erant, nihilominus mortuos esse, quod scilicet id genus hominum, cum ob paupertatem alba vestimenta non gestarent, in pullis etiam efferrentur.

Porrò ita alba vestimenta in Græcia vulgo vsurpata, vt vestis infectę vsus in populi conuentu, ac in spectaculis legibus esset interdictus. Lucianus Nigrino Veterum Atheniensium continentiam, ac paupertatem commendat: adeo enim non puduisse eos paupertatem fateri, vt vulgata vox sit in Panathenaicis ab omnibus emissa. Deprehensum enim quendam ex ciuibus fuisse, & ad præsidem Ludorum adductum eo quod Βαπτὸν ἔχων ἱμάτιον, *pallium colore infectum gestans* ad spectaculum venerat. Vniuersos autem misertos illius, ac veniam precatos esse. Atque vbi præco iam proclamaret, quod in leges commisisset quia tali veste ludos spectaret, omnes vna voce, quasi antea super hoc deliberassent, exclamare cœpisse, vt venia daretur talibus induto: nec enim aliam vestem habere illum. Quod sane mirum est, cum pauperi facilius esset vestem natiuo colore, quam tinctam, atque infectam comparare. Sed pallium illud nuptiale erat, quod *βαπτὸν* siue tinctum sponsis modo gestare licebat. Aristophanes Pluto Act. 11. Scena v. Disputat ibi Paupertas, si omnes diuites essent, fore vt artes e vita tollerentur: nemo domos strueret: nemo vestimenta pretio luaret: & post cetera futurũ, vt nullus venderet vnguenta, quibus madescerent, qui nouam nuptam ducerent, οὐδ' ἱματίων βαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων, *neque sumptuosis vestibus infectis, ac versicoloribus ornandos*. Vet. Interpres. Βαπτὰ γὰρ ἱμάτια φορεῦσιν οἱ νυμφίοι. *Tincta enim vestimenta ferunt sponsi*. Ille ergo pallio tincto in spectaculis deprehensus non aliud amiculum habebat, quam nuptiale: quod magnæ paupertatis indicium, quod ipso spectaculorum commise-

miserationem commouit.

Præterea vestes vulgo albas fuisse crebra fullonum mentio declarat, qui vestimenta eluebant, interpolabant, poliebant. de quibus Pollux lib. VII. cap. XI. Vbi eadem ratio in lauandis vestibus, ac Romæ fuisse apparet. nam & pedum insultu pressas, & coactas, & adhibitam cretam præcipue Cymoliam, sulphurque ijsdem dealbandis, demum carduorum spinis pexas, ac politas legimus, vnde proprie γναφεὺς, γναφεῖον, γναφικοὶ, γνάψαι. Apud Homerum Od. II. Nausicaa ad fluuium pergit ἕιμαΤα πλυνέουσα, *vestes lotura.* Et Alcinous discessuro in patriam Vlyssi inter munera hospitalia dat φᾶρος ἐυπλυνὲς, ἠδὲ χιτῶνα *pallium bene lotum, & tunicam.* Aristophanes etiam loco paulo ante laudato ait, si omnes diuites essent, futurum vt artes e vita tollerentur, nemo domos strueret, ἢ πλυνεῖν, neque *vestimenta lauaret.* Idem Vespis. Απέδωκ' ὀφείλαν τῷ γναφεῖ περιῴβολον. *Triobolum impendi in operam fullonicam.* Vetus Scholiastes. *Nam cum piscículos ediſſem, & pallium iure perfusum esset, triobolum fulloni dedi pro mercede.* γναφεῖ τῷ πλυνοντι τὰ ἱμάτια. Artemidorus lib. II. cap. II. *Præstat autem semper habere vestimenta* καθαρὰ, καὶ λαμπρὰ, καὶ πεπλυμένα καλῶς, *munda, & splendida, itemque probe lota, quam sordida, & illota, exceptis his qui sordida opificia exercent.* Apud Athenæũ Aeschines Socraticus in Dialogo objicit Telaugi ἱματίον μὲν φορήσεως καθ' ἡμέραν ἡμιωβόλιον γναφεῖ τελοῦντα μισθόν. *Quod pallio carens a fullone vtendum sumeret pactus pro diurna mercede semiobolum.* Diogenes Laertius Socratem ferme tribonium gestasse ait, *cumque hoc vitæ instituto ageret, interdum tamen tempori seruiens* λαμπρὰ ἠμπίσχετο, *vt in Platonis Symposio ad Agathonem profectus, splendidam vestem induebat,* nempe commune pallium albo colore. Lucianus in vita sua tradit Pædiam sibi in somnis obuersatam, vt ad sui cultum pelliceret, inter reliqua dixisse. *Ac vestitum quidem talem indues (demonstrans suum:* παυὸ δὲ λαμπρὰν ἐφόρει *gerebat autem admodum splendidum.)* Subjicit post paulo: si statuariæ adhæresceret, fore vt χιτώνιόντε πιναρὸν ἐνδύσῃ *tuniculam sordidam indueret,* qualis nem-

pe operariorum, atque sellulariorum, vt ex Artemidoro dicebamus.

Quare mirum est Aelianum lib. IV. cap. XXII. prodere veteres Athenienses pallia purpurea, tunicasque variegatas gestare solitos, ἀλουργῆ μὲν ἠμπέχοντο ἱμάτια, ποικίλας δὲ ἐνδύσεων χιτῶνας. Quod mihi verisimile non videtur. Nam cum purpura in magno pretio esset, idque Regium insigne, quis credat priuatos homines vulgo purpuratos incessisse? Præterea tunicæ variegatæ non nisi muliebres fuere. Purpuream autem Regium fuisse gestamen quid attinet dicere? Certe tantũ abest purpurea vestimenta Athenis in vsu fuisse, vt Alcibiadem reprehensum tradat Plutarchus, *quod delitijs diffluens purpureis, ac pretiosis vestibus interdum vteretur.* Immo nimii, ac peregrini luxus notarentur, quicumque improbum colorem vestibus adhibuissent. Lucianus Negrino narrat graues fuisse ciuium oculis, qui cultum luxu notabilem importassent. Subjicit, cum quidam diuitijs affluens Athenas venisset turba seruorum stipatus, auroque, & varia veste excultus, quoties ciues purpuram, cultusque mollitiem, ac varios vestis colores inspicerent, hæc in eum scommata iacere solitos. *Iam ver adest. Vnde nobis hic pauo?* Et. *Fortassis matris ipsius est.* Quo loco crediderim Romanos designari, quorum lacernas variis coloribus, interdum purpura infectas diximus. Ait enim, τῷ δὲ ἐνδύτῃ τῷ ποικίλῳ, καὶ τοῖς πορφυρίδα, *tunicam variam, & lacernas, siue chlamydes purpureas.* Alibi de paupere, qui repente diues factus fuerat, ἀλουργῆ καὶ ὑσγινοβαφῆ ἀμπεχόμενος. Idem ait diuites ostentare τὰς πορφυρίδας, & annulos, vbi Romanorum mores perstringit. Purpureus ergo color semper luxus, & superbiæ notatus. Mitto Aristippum, quem saltasse in purpura nota Regiæ seruitutis fuit. Polæmonem & corollas collo detraxisse, & erubuisse ob purpuram, *postquam est impransi correptus voce magistri*, notum est. Lucianus Hermotimo De eo qui philosophiæ cultum eiuraturus erat. *Fortasse neque purpuram induere grauabor, vt omnibus fiat perspicuum, mihi priores nugas non amplius curæ esse.*

Basilius

Basilius minor Orationum Gregorij Nazianzeni Interpres indicare videtur Rhetores olim in purpura incessisse. Ait enim *Tribones fuisse indumenta siue pallia, Rhetorum quidem rubra, & purpurea, nigra autem philosophorum*. Sed Tribones, siue Tribonia, non nisi Philosophorum, & quidem seuerioris notæ infra ostendemus, & fortasse ætatem suam Interpres ille respexit. Subjicit enim illud fuisse insigne, sicut magistratibus σκαραμάγγιον. Sane quomodo vestis detrita, ac lacera purpura infici posset aut decens esset, non video. Sed de Tribonio paulo post agemus.

Pallium Philosophicum. Tribonium. Philostratus, & Laertius explicati. ῥάκος, Pannus.
Cap. XIV.

PAllium philosophantium amictum, ac peculiare sapientiæ tegmen fuisse, in confesso est. Nec vnquam ferme Philosophi a scriptoribus inducuntur, quin hac veluti nota atque insigni à reliquis distinguantur. Lucianus Timone. ὁ δὲ τρίβων οὗτος πορφυρίδος ἀμείνων. *Pallium hoc quauis purpura potius*. Et Dialogis mortuorum, Diogenem describens ait senem esse caluum, gerentem pallium lacerum, & pertusum. Alibi, mala multa sub Philosophi palliolo latere scribit. Item multos philosophiæ studium professos solo habitu, atque incessu meros philosophos videri. Idem in Mercede conductis, de eo, qui pro Philosopho, ac Græculo indiuitis familiam adscitus erat. *Num te pudet*, inquit, *cum in tanta Romanorum turba solus* ξενίζων τῷ τρίβωνι, *in peregrino pallio versaris?* Et infra: καὶ ἱμάτιον Ἑλληνικὸν εὐσταλῶς περιβεβλησαι, *Pallium Græcanicum decenter circumponere*. Eodem Libro veluti in scena producitur Catella Milesia in Philosophi pallio cubans, immo & pariens. Et alibi passim, quæ putidum esset persequi.

Ita & Latini scriptores. Plautus Curculione:

Tum isti Græci palliati capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,

Con-

Constant, conferunt sermones inter se se drapetæ,
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententijs
Quos semper videas lubentes esse in Thermopoli.

Vbi haud dubie licet Græca Comœdia Philosophos exagitat siue sub Philosophi habitu latentes homines nequam, qui pallio inscitiam, & vitia velarent, fugitiui, flagitijs operti & vulgo inuisi. Alioqui mirum esset, si Comœdia palliata Græcos, & palliatos traduceret. Gellius lib. IX. *Video* inquit *Herodes barbam, & pallium, philosophum nondum video.* Capitolinus tradit M. Antonium Philosophiæ operam vehementer dedisse, & quidem adhuc puerum. *Nam duodecimum annum ingressus habitum Philosophi assumpsit, & deinceps tolerantiam, cum studeret in pallio, & humi cubaret.* Ammianus etiam lib. XV. scribit Iulianũ a Constantio patruele ab Achaia, vbi studiis operam dabat, euocatum, etiam tum palliatum atque in societatem Imperii adscitum.

Sed si pallium philosophi habitus, ac nota fuit, cum omnes in Græcia palliati, vt diximus, nullum inter philosophos, & reliquos vulgo in cultu discrimen fuisse videtur. Romæ autem Græci omnes cum in patria veste versarentur, pro philosophis habiti fuissent. Casaubonus ad Capitolinum philosophi habitum interpretatur pallium Græcanicum, sine tunica, cum totius corporis illuuie. Huncque communem habitum omnium philosophantium fuisse, quo separabantur a ceteris. Fuisse præterea proprias singularum sectarum notas, & propria gestamina. Sed cum soli Cynici, vt dicemus, sine tunica incederent palliati, merito doctis viris Causabonus reprehenditur, qui tamen, qualis philosophorum habitus esset, quo a ceteris discernerentur, non prodiderunt.

Ergo soli seueriorem, ac sanctiorem philosophiam professi, vt Pythagorei, Stoici, ac Cynici, tam in Græcia, quam Romæ, pallio a ceteris discreti, quod peculiare eorum hominum fuit. Nempe cum commune pallium Græcorum laneum esset, & album, philosophantium tegmen pallium detritum fuit, obsoletum, sordidum, ac pullum, quodque

a Cy-

a Cynicis solis diuersa ratione gestabatur, ac sine tunica, vt infra explicabimus. Id τρίβων, & τριβώνιον Græcis dicebatur, nec alia ferme voce, cum pallij philosophici mentionem faciunt, scriptores vtuntur, præcipe Lucianus. Hesychius: τριβώνιον, πάλλιον, περιβόλαιον. Idem: τρίβακον, ἱμάτιον. Cicero *palliolum* appellat Tusculana III. *Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia*. Apuleius *palliastrum*. *Ecce Socratem contubernalem meum conspicio: sedebat seruili palliastro semiamictus.* Festus: *Adtritum & tritum, vestis trita*, τριβώνιον. Pallium scilicet longo vsu detritum, quodque, vt loquitur Euripides apud Athenæum lib. x., villosam lanuginem amiserat. Τρίβωνες ἐκβαλόντες ὄγκον τε κρόκας. *Tribonia euadunt, quæ pilos, siue lanuginem amiserunt*. Loquitur de athletis, cum senes facti sunt. Ad quem locum fallitur vir doctissimus, qui existimat Persium in eadem sententia contrarium dicere Euripidi ijs verbis.

Mihi trama figuræ
Sit reliqua: astilli tremat omento popa ventre.

Non enim cõtraria sunt (etsi id ad Persium adstruere conetur) κρόκας ἐκβαλεῖν, & tramam solam habere reliquam. Immo cum vestimenta κρόκας, siue pilos, ac lanuginem longo vsu amiserunt, trama reliqua apparet: nam villosa lanugine connexio staminis & tramæ siue subteminis occultatur, qua dilapsa lanugine reliqua trama apparet.

Porro vestis detrita amissis longo vsu pilis, floccisque tenuuior fiebat, & leuior: & ideo Glossæ Vet. τριβώνιον *velum* interpretantur, vestem scilicet attritu tenuem leuemque factam, & ideo arcendo frigori minus aptam. In quo veteres philosophi tolerantiam, siue patientiæ imaginem ostentarunt, cum in ea etiam hieme incederent, Cynici ea sola velarentur. Philostratus de vita Apollonij lib. II. cap IX. narrat eum cum apud Indos versaretur, videretq; illos vestibus byssinis indutos lætatum esse eo habitu, ἐπειδὴ ἔοικε φαιῷ τρίβωνι. Vertunt: *quod fusco amictui, quem gestabat similis esset*. Quod prorsus admirandum est. Quę enim similitudo bysso, quod erat linum candidum & pretiosum, cum

fusco

fusco vestimento esse poterat? Gaudebat Apollonius quod ea vestis Tribonio suo similis esset, non propter colorem, sed propter tenuitatem. Ex byssо enim vestes tenuissimæ conficiebantur: Apollonii pallium ex lana, sed longo attritu attenuata, & per hoc lino haud dissimili. Non alium huius interpretationis auctorem dare possum, quam Philostratum ipsum eodem libro, capite vltimo. Nam cum Apollonio Rex dari in discessu pro xeniis iussisset aurum, καὶ ὀθόνας, hoc est vestes lineas, siue byssinas, aurum quidem respuit, se autem othonia perlibenter accepturum dixit, quod ἐοίκασι τρίβωνι, *quod essent similia Tribonio veterum Atheniensium*: scilicet ob tenuitatem, nō ob colorem, qui omnino diuersus, vt infra ostendemus. Quia ergo Tribonium sordidum erat, ac pullum, ait Philostratus lætatum Apollonium vestitu byssino Indorum, *quod ob tenuitatem similis pullo tribonius esset*. Ita enim verti debuit.

Propter eandem causam Artemidorus lib. II. cap. III. Ὀθόνια, καὶ τρίβακα ἱμάτια coniunxit, id est *vestes lineas, & tribonia*. Ait enim *lintea vestimenta, & lanea detrita aestate gestare videri in somnis, bonum esse, & sanitatis signum: hyeme vero ἐρινὰ, καὶ τἄυτα καινά*. Vbi apte lineis lanea opponit, detritis autem καινὰ, id est noua siue pexa. Tribonio enim opponitur pallium καινὸν, nouum, pexum, quod attritu pilos non amisit. Quo perfacete alluſit Stilpon Megarensis apud Laertium lib. II. Qui cum vidisset Cratem χειμῶνος συγκεκαυμένον, *hieme frigore adustum* (scilicet tribonio male opertum tenui, & ventis peruio.) Videris mihi, inquit χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ, *indigere pallio nouo*. Acumen est in voce καινῷ, quæ diuisa καὶ νῷ alium sensum reddit, nempe, videri mihi indigere & pallio, & mente, quasi demens esset, qui sponte talia pateretur. Sequitur ὅπερ λῷον νοῦ, καὶ ἱματίου, *quasi diceret, & pallio, & mente*.

Tribonium igitur pallium detritum, ac ferme lacerum, præcipuè Cynicorum. Egregie illud describit Lucianus in Dialog. mortuorum, de Menippo. Senex caluaster τρίβωνιον ἔχων πολύθυρον ἅπανθεν ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον, καὶ ταῖς ἰσχύσι-

χαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον. *Palliastrum gestans lacerum, & vetito peruium, ac diuersorum pannorum assumentis variegatum.* In quo veteres illi philosophi seueriores delitias faciebant, præsertim Cynici. Apud Laertium in Socrate Στρέψαντος Ἀνθισθένους τὸ διερρωγὸς τοῦ τρίβωνος εἰς τοὔμφανὲς, ὁρῶ σου, ἔφη, διὰ τοῦ τρίβωνος τὴν κενοδοξίαν. *Cum Anthisthenes laceram tribonij partem ostentasset: Video*, inquit *per Tribonium tuam vanitatem.* Quod narrans Aelianus ait lib. IX. cap. XXXV. *Socrates cum videret Antisthenem* τὸ διερρωγὸς ἱματίου, ἀεὶ τοιοῦτο φανερὸν, *laceram tribonij partem in conspectum dare. Quin desinis*, inquit, *apud nos te ostentare?* Sic ipse Socrates ab Amipsia in tribonio productus vanitatis arguitur, vt paulo post dicam

Quod igitur Tribonium vestis detrita esset, & ferme lacera, etiam simpliciter ῥάκος dicebatur. Laertius de Aristippo, quod modo luxuria diffflueret, modo continentiam sectaretur, dictum prodit, ipsi soli datum esse χλαμύδα φορεῖν, καὶ ῥάκος: *chlamydem ferre, & Tribonum*, siue pannum. Vbi ῥάκος siue pannus chlamydi opponitur: sicut Aristophanes Pluto ἀντ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος. *Pro pallio pannum.* Panni enim pro vestimentis laceris Latinis scriptoribus accipiuntur. Seneca de Ira lib. III. cap. XIX. *Cum spongiæ non inuenientur scindi vestimenta miserorum, & in os farciri pannos imperauit.* Et Epist. XX. *Magnificentior, mihi credere sermo tuus in grabato videbitur, & in panno.* Et paulo infra. *Nemo nascitur diues: quisquis exit in lucem iussus est lacte & panno esse contentus.* ῥάκος igitur lacerum pallium, siue pannus. Hesychius: ῥάκος διερρωγὸς ἱματίου. Male ergo Pollucis Interpres lib. VII. cap. XII. ῥάκη *saga* interpretatur, *cum vestem lacceram* siue *Tribonum* vertere debuisset. Quanquam Eustathius ῥάκος distinguit à τρίβων, quod illud vestis lacera sit, hoc ἱμάτιον ἀποβεβλημένος τὰς τριχίδας εἴτεν τρῖχας. *Pallium quod pilos, siue lanuginem amisit.* Sed huiusmodi pallia defloccata ferme etiam erant lacera, & ideo τρίβων, & ῥάκος a scriptoribus confunduntur. Poeta de Vlysse sub mendici specie: εἵματος κακὸν ῥάκος, ἠὲ δὲ χιτῶνα ῥωγαλέα. *Indutus pallium laceram, tunicamque discissam.* Alibi idem Nausicaam rogat δὸς δὲ

ῥάκος ἀμφιβαλέσθαι. Aristophanes Pluto. ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος. Et Ranis objicit Euripidi, quod Reges ῥάκει ἀμπίσχων *in pannis, ac tribonio induxerit, quo essent miserabiliores.* Quod tangit Acharnanensibus, vbi hæc mendicorum vestimenta appellat ῥάκια, τρίχη, λαχίδας πέπλων, δυσπινῆ πεπλώματα, σπάργανα, ῥακώματα.

Tribonium non modo pauperiorum gestamen, sed priscis temporibus vestis forensis, ac iudicialis. Aristophanes explicatur. Cap. XV.

CEterum priscis Græciæ temporibus Tribonium communis pauperiorum habitus fuit. Apud Aristophanem in Pluto Carrio ab hera interrogatus, quomodo ea, quæ in templo Aesculapii euenerant, vidisset, cum capite inuoluto fuisset, respondet, διὰ τοῦ τριβωνίου, ὅπας γὰρ εἶχεν ἐκ ὀλίγας, *per tribonium, quod plures rimas habebat.* Vbi vetus Scholiastes notat *pallium vetus, ac detritum ab Atticis tribonium appellari.* ὅπας autem τρώγλας, ideſt *foramina ex erosione facta.* Nuperus autem fallo credit tribonium eandem esse vestem, quam Latini lacernam a laceranda dixere. Ac ne quis tantum vestem seruilem fuisse credat, paulo infra Iustus diues factus affert τὸ τριβώνιον ad Aesculapium, vt ei illud confecret, rogaturque a seruo, num illa vestis sit, inqua initiatus fuerit: quod illæ tamdiu gestarentur, donec attritæ penitus, ac laceræ essent, ait, *eam esse vestem, in qua totos tredecim annos riguerit.* Nec multo post sycophanta Iustum eundem diuitem factum interrogat πόθεν δουμάτιον εἴληφας τοδί; ἐχθὲς δ' ἔχοντ' εἶδόν σ'ἐγὼ τριβώνιον. *Vnde tibi hoc pallium. nam heri te tribonio amictum vidi?* Mox idem sycophanta rigens inducitur, quod tribonio amictus sit. Idem Acharn. *At neque ἐν τοῖς τρίβωσι lateant lapides reliqui.* Nec pauperes modo, sed vulgus omne Athenienſium in Tribonio. Idem Vespis: *Mihi visa primum est per quietem in Pnyce pecudum sedentium frequens conuentio* ἑαυτηρίας ἔχοντα, καὶ τριβώνια *cum scipione tribonium gerentium.* Vbi Scholiastes. *Erat autem pri-*

sca

sci moris, vt honorati senes cum tribono, & scipione populum conuocarent. Paulo infra de eo qui domi attinebatur, ne forum, ac iudicia frequentaret: *Itaque custodimus hunc ferriſque vinctum claudimus, ne huc exeat. Primum ergo dictis allocutus mollibus, suadebat μὴ φορεῖν τριβώνιον, ne ferret tribonium.* Philostratus lib. II. cap. vltimo cum Apollonio Indorum Rex aurum in discessu, & vestes lineas dari iussisset, aurum reiecit, vestes perlibenter accepit, quod τρίβωνι veterum Atheniensium similes essent, scilicet obtenuitatem, vt diximus. Idē lib. VII. cap. XI. *Dicas namque velim, nunquid Aristides ille sit, quem cum ex Græcia venientes ad insulas dicitis nauigasse tributorum componendorum causa? quæ cum ille æqua ratione constituisset, ξυὸ αὐτῷ ἐπανιλθεῖν τρίβωνι, tribonio amictus redyit.*

Quare successu temporum postquam pexæ vestes ac peregrinæ in vsum venerunt, boni illi senes grauate admodum vt tribonum deponerent animum inducebant. Eadem fabula prope finem suadebat patri Bdelycleon, vt tribonium exueret, & gaunacum inducrat. At senex negat se viuo ac vidente nunquam depositurum tribonium, quo se olim in prælio flante Borea inuoluerat. At filius parenti. τὸν τρίβων' ἄφες. Τἰωδὶ δὲ χλαῖναν ἀναλαβὲ τριβωνικῶς. Interpres. *exue decotem, istamque vestem sume commodam seni.* Sequutus nempe veteris Scholiastæ interpretationem. Τριβωνικῶς. *vel vicem*, inquit, *pallij tui detriti, & decotis, vel vt senem detritum decet.* Neutra explicatio Aristophani conuenit. Duplex discrimen erat inter tribonium, et chlænam, siue gaunacum. Illud detritum, ac tenue; hoc pexum, ac villosum. Tribonium ita induebatur, vt pars dextra sinistro humero imponeretur, quemadmodum supra diximus; at chlæna siue gaunacum fibula ad ceruicem nectebatur. Natus ergo quo facilius persuaderet patri vt chlænam indueret, iubet eum more tribonii induere, hoc est nō fibula stringere, vt moris erat, hoc est τριβωνικῶς. Ex duplici ergo causa senex recusat gaunacum, quod esset villosum, & quod fibula necteretur. Vetus Schol. *Gaunacum, chlæna Persica. Palamedes ait Persicum pallium ex altera parte villosum, siue genus pallij quod & Persi-*

de vocant. Ex eo autem quod villos haberet, sequebatur non esse ita facile sordes fullonis opera eluere, vt fiebat in tribonio. Proinde ait: *Prius cum piscículis saturatus essem, & aliquid iurulenti condimenti super tribonium effusum esset, ad eluendas maculas tres obolos fulloni persolui*. Sed maius incommodum putabat senex, quod veste vellis densa plus nimio incalescere deberent, quo pertinent illa.

PH. *Quid istud esse per Deos dicam mali?*
BD. *Quod Persida isti nominant, hi Gaunacum.*
PH. *Ego arbitrabar Sisyram Thymetidæ.*

Subjicit sibi illud videri simile Morychi σάγμα τι, id est *sago villoso*. Morychus enim, vt notat Scholiastes, Tragicus erat poeta, vir delitijs fluens, & ad arcendum frigus villosis, ac crassis vestibus vtens. Subdit Bdelycleon eam vestes Ecbatanii confici, cui parens perfacete. Ergo Ecbatanis γίγνεται κρόκης χέλυξ, vbi *villos siue floccos in panno extantes comparat bouis intestino, quod crispum est, & velut pellitum*. Sequitur.

BD. *Bona verba, at ista, (vt scias) cum maximo*
Sumptu, & labore barbari texunt, & hæc
Vestis talentum in lanam facile absumpsit.
PH. *Iure ergo fas est laniperdam dicere.*
Et instius, quam gaunacum. BD. *Tene, ò bone,*
Et indue illam. PH. *Me miserum, vah quid est*
Quod hæc scelesta eructat in me feruidum.
Sed si necesse est clibanum oro inducite.

Quæ omnia declarant vestem villosum fuisse, qua sumpta metuebat, ne plus satis incalesceret. Alterum inde commodum verebatur, quod cum chlæna, vt diximus, fibula ceruicibus stringeretur, metuebat ne ab ea suffocaretur.

PH. *Quo procreamus liberos & tollimus,*
Quando iste suffocare me nunc postulat?

Iubet ergo filius eam induere τριβωνικῶς more tribonii, solutim scilicet, nulloque fibulę morsu. Nec alius eorum verborum sensus esse potest.

Nec Athenis modo, sed alibi in Græcia honoratiores quique

que in Tribonio. Aelianus Variæ lib. v. cap. v. de Epaminondæ paupertate: Ἐπαμινώνδας ἕνα εἶχε τρίβωνα, καὶ αὐτὸν ῥυπῶντα. *Epaminondas vnum modo Tribonium habebat, illudque sordidum. Quando vero illud ad fullonem mittebat, necesse habebat se domi continere, quod alterum non haberet.* Idem lib. VII. cap. XIII. narrat Agesilaum Lacedæmoniorum Regem iam senem sæpe sine calceis, & tunica prodire solitum in publicum, τὸν τρίβωνα περιβαλλόμενον, *tribonio inuolutum*. idque per hiemem matutino tempore. Postquam vero pexa pallia, & recentia, tum gaunaca, & peregrinæ vestes incessere, tribonium penes solos pauperiores remansit. Lucianus Somnio, siue Gallo, cum Mycillus diuitem salutasset, illico se subduxisse ait, ne forte pudori illi esset, quod ἐν πενιχρῷ τῷ τρίβωνι eum assectatus esset. Et Cataplo ait τὸ τριβώνιον, quod antea fidum videbatur, apud Inferos æque precioſum esse, ac ipsius Regis purpuram. Idem de amicitia, vbi narrat fidem Demetrij in amicum carcere detentum: καὶ διελὼν τὸ τριβώνιον, τὸ μὲν ἥμισυ αὐτὸς ἀναβάλλεται, τὸ λοιπὸν δὲ ἐκείνῳ δίδωσιν. *Tum dissecto Tribonio, dimidato induitur ipse, reliquum autem ipsi donat.*

Tribonium non Cynicorum modo, sed Philosophorum seuerioris notæ pallium fuit. Item Sophistarum. Laertius explicatur. Cap. XVI.

POstquam Tribonium penes solos pauperes remansit, seuerioris sapientiæ cultores hoc veluti ipsius sapientiæ velamen, atque insigne arripuerunt, & coluerunt. Plutarchus de Iside, & Osiride: οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφία, καὶ τριβωνοφορίας ποιεῖσιν. *Neque enim philosophoum densa barba, & tribonij gestatio facit.* Valde enim falluntur, quicumque Tribonium solius Cynicæ sectæ gestamen fuisse tradiderunt. Nam & Socrates, & Pythagorei, Stoici item, & reliqui seuere philosophantes hanc vestem peplis omnibus Regumque indumentis prætulerunt.

Et reliqui sane philosophi præter memoratos in communi

ni habitu inceſſere, nulluſq; quodſciam Platona, Ariſtotelē, eorumque ſectatores cultu à vulgo diſtinctos prodidit. Immo Aelianus lib. III. cap. XIX. Variæ Ariſtotelis veſtitum operoſiorem Platoni diſplicuiſſe tradit, hocque initium diſſidii inter eos fuiſſe, quod Ariſtoteles ἐσθῆτι ἐχρῆτο περίεργῳ καὶ ὑποδήσει, *veſtitu, & calceatu pretioſore vteretur, tonſura etiam, quam Plato improbaret plureſque annulos geſtaret.* Laertius de eodem: ἐσθῆτι δὲ ἐπισήμῳ χρώμενος, καὶ δακτυλίοις καὶ κειρᾷ. *Veſte inſigni, & annulis, & tonſura vtens.*

Idem de Lycone lib. V. ὧν δὲ καθαρώτατος τὴν σολὴν, ὡς ἂν ὑπερβλήτῳ χρῆσθαι μαλακότητι ἱματίων. *Erat vero mundiſſimus cultu, adeo vt veſtium incredibili mollitie, ac nitore vteretur.* Et de Heraclide. οὗτος ἐσθῆτι τῇ μαλακῇ ἐχρῆτο. *Molli veſte vtebatur.*

Primus ſanctioris diſciplinæ parens Socrates Tribonium ſapientiæ aptauit. Quapropter ab Amipſia hac etiam parte Ariſtophanis æmulo in Tribonio traducitur, atque irridetur apud Laertium: Ἀμειψίας δὲ ἐν τρίβωνι παράγων αὐτὸν. *Amipſias ipſum in Tribonio producens ait, Socrates paucorum optime virorum multorum verò vaniſſime, & ipſe, ad nos tandem venis, toleranſque es.* πόθεν ἄν σοι χλαῖνα γένοιτο. Nec verba, nec ſententiam Interpres aſſecutus eſt. *Eum* inquit *palliatum inducens.* Atqui omnes tunc palliati. Mox. *Vnde tibi pallium hibernum?* Tota vis eſt in voce τρίβωνι, & χλαῖνα, quæ opponuntur. Tribonium enim, vt diximus, veſtis detrita, ac tenuis: contra Chlæna craſſa, ac villoſa, ad arcendum frigus. Ironice igitur Socratem tenui palliolo amictum interrogat, vnde chlænam habeat, & ob id eum vanitatis inſimulat: nam quod id hominum genus ob tolerantiam faciebat, vulgo ad vanitatem, atque oſtentationem trahebant.

Quod ſequitur apud Laertium, neque ipſe ſatis capio, neque alium intellecturum puto. τοῦτὶ τὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγέννηται. *Hoc illi incommodum euenit per ſutorum malignitatem.* Sed aut omnia me fallunt, aut locus iſte mutilus eſt. Quid enim ſutoribus, ſiue coriariis cum chlæna, & Tribonio? Nunquid veſtimenta lanea illi conficiebant,

aut

aut lacero reficiebant? Deinde quæ sententia? Hoc illi incommodum per coriarij malignitatem contigit. Suspicor ergo vocem desiderari ἀνυπόδητος, hoc est discalceatus, quę paulo post sequitur in verbis Aristophanis, quæ adducit Laertius: καὶ ἀνυπόδητος κακὰ πολλ' ἀνέχη. *Et discalceatus mala multa tolerat*. Nam qui in tribonio, ferme etiam sine calceis, & nudipedes incedebant, vt ex Aristophane apparet, qui talem Socratem inducit. Ita apud eundem Phidippides interrogat patrem, qui Socrati in disciplinam traditus fuerat, & ideo nudipes erat, vbi calceos reliquerit? Perstringit igitur Amipsias Socratis cultum, quod pro communi pallio tribonium gerat, quod Ironicè chlænã appellat: deinde quod discalceatus incedat: eum autem morem secum ferre ait sutorum damnum, nam ἐπήρεια id significat. Quod enim Socratis, & eius sectatores sine calcei incederent, id vero in detrimentum sutorum ac coriariorum cedebat. Vt Iuuenalis ait ephebos castrari damno tonsoris Heliodori. Hoc si non est, quid esse possit ignoramus.

Socratem tamen nõ semper in Tribonio incessisse declarat paulo post Laertius, cum ait: *Cumque hoc vitæ instituto degeret, interdum tamen tempori seruiens* λαμπρὰ ἠμπίσχετο, *vt in Platonis Symposio ad Agathonem profectus*. quod nõ est, *venustiore habitu vtebatur*, sed *communi*, quem album fuisse diximus, nisi quis conuiuij causa candidum sumptum existimet. Sanè nulla vestis pretiosæ mentio in conuiuio Platonis, vt notauit Aldobrandinus, sed Socratem accessisse, λελουμένον τὲ, καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, ὃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίει, non calceis ornatum, vt vertit Interpres, *sed lotum & calceatum, quod ille raro faciebat*. Scilicet Socrates ferme in Tribonio, & discalceatus, ita & raro balneis vtebatur. Iturus ad conuiuium lauacro sordes pellit, tum commune pallium, & calceos de more induit, siue, vt Laertius loquitur, λαμπρὰ ἠμπίσχετο, cãdidum vestitum induit: nulla pretiosa vestis, quam frustra in Platone quærit Aldobrandinus. Ita in commune vestitu, & lotus, καλὸς γεγενημένος videbatur, qui ferme in tribonio nudipes sordebat: & ideo bonus ille senex se id fecisse ait, ἵνα

καλὸς

καλὸς παρὰ καλὸν ἰόι: *vt pulcher ad pulchrum iret.* Quo loco apparet Socratem, quod dicebamus, fere in tribonio nudipedem inceſſiſſe, ſicut ibidem inducitur quidam Ariſtodemus ἀνυποδήτος ἀεὶ, *qui ſemper nudipes erat.* Philoſtratus etiam lib. VI. cap. VI. *nuditatem pedum cum tribonio coniungit.* ἀνυποδησία δὲ, καὶ τρίβων.

Nec Socrates modo in Tribonio, ſed & reliqui ſeuerius philoſophantes. Nam licet Pythagoras veſte alba, puraq; ſemper vteretur, vt Laertius atque Aelianus teſtantur, Pythagorei tamen in tribonio, & ſordibus. De ijs Antiphanes apud Athenæum lib. IV:

Sordes paululum oportuit ferre, ieiunium,
Cæli rigorem, ſilentium, trtſtitiam, illuuiem.

Et Ariſtophanes ibidem:

Quid per deos cenſemus, eos, qui olim
Pythagorici fuere ſponte reuera.
ῥυπᾶν ἐκόντας, ἢ φορεῖν τρίβωνας ἡδέως;
Sordibus ſqualuiſſe, & tribonia geſtaſſe libenter?

Mneſimachus apud Laertium: *Comedunt olera, & aquam potant, pediculos vero,* καὶ τρίβωνα, *atque ſqualorem nemo ex alijs perferre poſſet.* Horum princeps fuit Diodorus Aſpendius, cuius meminit Archeſtratus apud eundem Athenæum poſt paulo, qui cum Pythagoreus eſſet Cynicis moribus vſus, κομῶν, καὶ ῥυπῶν, καὶ ἀνυποδήτων, *capellatus, ſordidus, & diſcalceatus; vnde & Pythagoreorum, qui comam alunt, familia originem duxiſſe creditur.* Soſicrates ibidem de philoſophorum ſucceſſione refert Diodorum hunc βαθεῖ πώγωνι χρήσασθαι, καὶ τρίβωνα ἀναλαβεῖν, κόμην τε φορῆσαι, *profundam barbam aluiſſe, tribonium geſtaſſe, nec communi comæ tonſura vſum: Pythagoricis qui præceſſerant ſolitis* λαμπρῷ ἐσθῆτι, *amiciri,* ideſt, *alba ſiue candida,* ad exemplum præceptoris, quod idem eſt ac Laertius de Socrate λαμπρὰ ἠμπέχετο, vt diximus.

Stoici etiam in tribonio, quos a Cynicis ſola tunica diſtinctos tradit Iuuenalis. ergo idem pallium vtriuſque ſectæ, hoc eſt Tribonium. Immo Lucianus nunquam philoſophiæ mentionem facit, quin & Tribonium nominet. Nam Acui-

uiſcen-

uiscentibus ait se, cum Philosophiam sedulo quæreret, incidisse in homines τριβώνια περιβεβλημένους, *tribonijs circumamictos*. Et paulo post: *Si quis vero*, inquit, *alicui, quemadmodum multi sunt, viro execrando, qui philosophum mentitur, obviam factus fuerit*, τὸ τριβώνιον περιστράσας, *Tribonium dilacerans*. Item de mercede conductis, vbi describit eum, qui in alicuius diuitis familiam pro philosopho, vel Græculo adscriptus esset, ait, *quoniam Græcanico pallio decenter amictus sit, eum ab omnibus existimari Grammaticum, siue Rhetorem, siue philosophum, & propterea anteambulonum turbæ immixtum herum comitari, ac deducere, qui ex hoc eruditi opinionem affectaret, vt facile quis suspicaretur Græcum illum non tam ob sapientiam, quam ob barbam*, καὶ τὸν τρίβωνα *conductum esse*. Ille autem conductus Cynicam non profitebatur. Ex quibus colligitur Grammaticos etiam, & Rhetores aliosque literalium disciplinarum professores Romæ tribonium gestasse, quod indicat Tertullianus de pallio: *Viderit nunc philosophia quid profit: nec enim sola mecum est, habeo & alias artes in publicum vtiles: de meo vestiuntur, & primus informator literarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophista, & Medicus, & Poeta, & qui Musicã pulsat, & qui stellarem coniectat, & qui volaticam spectat: omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur*. Lucianus eodem dialogo Thesmopolidis Stoici factum memorat, cui hera catellam custodiendam dederat, quam ἐπὶ τῷ τρίβωνι peperisse ait, & paulo post de pseudophilosophis τρίβωνας ἀμπεχόμενοι.

Quis porrò Apollonium Thianæum Cynicum fuisse dixit? Ille autem in Tribonio. Philostratus lib. II. cap. IX. supra laudatus. *Cum byssum in India vidisset, gauisus est, quod non dissimilis admodum esset* φαιῷ τρίβωνι, *quod ipse gestabat*. Eodem lib. cap. vltimo. *Cum Rex Inderum dari ipsi in discessu aurum, & lineas vestes iussisset, illud respuit, has libenter accepit, quod similes essent* τρίβωνι *veterum Atheniensium, quale ipse gestabat*. Ita lib. IV. cap. VI. de adolescente a quo Apollonius dæmonem deiecerat: *Tum versicoloribus, ac mollibus vestimentis, cæteriscque delitijs depositis, parcitatem victus*, καὶ τρίβωνος *com-*

plexus est, seque ad Apollonij vitam moresque contulit. Et cap. XII. eiusdem libri, de Nerone qui philosophos insectabatur, quod ignaua philosophorum opera ipsi videretur, quodque philosophia quædam esset artis diuinatoriæ species: *καὶ ἦχθη ποτὲ ὁ τρίβων ἐς δικαστήριον, ὡς μαντικῆς σχῆμα. Tribonium in iudicium vocatum est, vt artis diuinatoriæ prætextus.* Et lib. V. cap. XIV. *Lasthenes vna mecum philosophatus chlamydem postea, & militarem vitam adamauit. Hunc quoniam tribonium rursus cupere aiunt, militia missum facias rogo.* Et lib. VII. cap. VIII. Apollonius iturus Romam iubet Damim sumere habitū popularem, ac tribonium deponere (vbi perperam doctus Interpres lacernā vertit, quæ tunc Romę vestis popularis erat) ne philosophus videretur, hocque illi periculum arcesseret apud Neronem; ille autem philosophicum habitum, ideſt tribonium retinuit. Et lib. VIII. cap. VII. Trophonii specum ingreditur *αὐτῷ τρίβωνι.*

Sophistæ etiam in Tribonio. Eunapius in Hedesio: de Eustathio: *Paret ille, & ad epulum Regale accedit, vbi tanta eius eluxit eloquentia, vt parum abfuerit quin Rex tiaram rectam abiecerit, & purpureis vestimentis, ac monilibus depositis τὸ τριβώνιον Εὐσταθίς μεταμφιάσασθαι, Eustathij tribonium induerit.* Male Interpres *penulam* vertit: quemadmodum infra. *Ἦν γοῦν αὐτοῖς φιλοσοφία τὸ τριβώνιον penulam* reddit, quæ longe à Tribonio diuersa. Idem in Proæresio, vbi admirandam eius, atque Hephæstionis paupertatem memorat, ait vtrique vnicum Tribonium fuisse, & tria, quatuorue stragula, ita vt Proæresio in publicum prodeunte, Hephæstion delitescceret domi stragulis inuolutus, idemque Proæresio eueniret egrediente in publicum Ephæstione. Sed quid sit, quod ait Eunapius *ἓν γοῦν αὐτοῖς ὑπλῶν ἱματιον, καὶ τριβώνιον*, non satis capio. nam & hic Interpres *pænulam* reddit. Quid enim hoc loco barba cum tribonio? Fortasse legendum *ὕφος ἱμάτιον*: cum enim *ὕφος* interdum pro sindone, aut pro velo accipiatur, *ὕφος ἱμάτιον, καὶ τριβώνιον* erit tenue pallium, & detritum. Non multo post idem Interpres Tribonium lacernam interpretatur de eodem Proæresio, cuius tolerantia miraculo erat, quod

λεπτὸν

λεπτὸν ἔχων τριβώνιον, & *discalceatus Gallicas hyemes, & frigora in delitias conuerteret.*

Ceterum Philosophos tribonio tanquam nota, atque insigni à reliquis mortalibus distinctos Romæ fuisse apparet: at in Græcia nullũ discrimen fuisse videtur inter ipsos, & pauperes, a quibus gestatum tribonium diximus. Sed non sola, vt vetus verbũ est, Tribonophoria Philosophum faciebat: alia quoque erant, quæ Philosophos notabiles redderent. In primis opaca, & profunda barba, pedum nuditas, longa & profusa coma, quodque peculiare Cynicorum fuit, pera, & baculus, & diuersa ratio gestandi Tribonium, de quo infra dicemus. Vnde illud eueniebat, vt plerique rudes, atque indocti his insignibus inscitiam, atque ignauiam obuelarent, atque egestatis imagine egestatem effugerent. Extat in hanc rem Lucillij Epigramma lib. 11. Anthologiæ cap. 111. cuius sententia est, pauperes, & indoctos non vt prius in pistrino molere, nec humerorum operam locare, sed nutrire barbam, & in triuijs baculum tollere, tunc virtutis sectatores primos dici: Hermodoti hoc dogma esse, si quis pecunia careat, fore vt non amplius esuriat, si posita tunica in pallio incedat. Loquitur autem de Cynicis.

Pallij Philosophici color. Petronius correctus. Cap. XVII.

SIcut Tribonium vestis detrita ac lacera fuit, ita eius color fuscus, atque obsoletus. Philostratus lib. 11. cap. 1x. vt supra innuimus, tradit Apollonium, cum byssum apud Indos vidisset, lætatum esse, quod ἔοικε φαιῷ τρίβωνι, *quod similis esset fusco tribonio, quod ipse gestabat.* Quomodo autem esset similis, ibi declarauimus. Porro φαιὸς pullum, siue subnigrum, ac fuscum significat: qualem fuisse pænularum colorem, item ferme lacernarum, immo & tunicarum Romanæ plebis, ac viliſſimi cuiusque, vnde pullatus circulus, & pullata multitudo, alias ostendimus. Qui color partim lanæ natiuus, vt Canusinæ, cui pulliginem suam adscribit Pli-

nius, partim ex albo vestium vsu, ac sordibus in pullum degenerans.

Basilius Orationum Gregorij Nazianzeni Interpres supra adductus: τρίβωνες περιβλήματά τινα. Τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθρὰ τε καὶ φοινικοῖ. Φασὶ δὲ τῶν φιλοσόφων, *Tribones pallia quædam, Rhetorum purpurea, Philosophorum fusca.*

Videtur tamen Lucianus alios etiã colores Tribonio adscribere: nam de mercede conductis, ait, illi, qui se in familiam diuitum adscribi optet, vestitum etiam supra facultates apparandum, ac colorem deligendum, quo herus potissimum gaudeat, ne illius oculi offendantur. Ille porro, quẽ ab eius vitæ instituto dehortatur, philosophus erat, eam artem in illa familia mercede locaturus. Subjicit enim non multo post: *Cum in tanta Romanorum turba* μόνος ξενίζων τῷ τρίβωνι, *solus peregrino in pallio versaris.* Et paulo infra: *Quoniam tibi barba ingens propendet a mento,* καὶ ἱμάτιον Ἑλληνικὸν ἐυσταλῶς περιβέβλησαι, *quia pallio Græcanico decenter amictus es.* Quis autem in Tribonio, ideſt veste detrita, ac lacera colorum varietatem quæsitam credat, cum id præterea sectæ grauitatem dedeceret? Verisimile igitur est, ad augendam rei inuidiam in vniuersum de omnibus locutum esse Lucianum, qui sese aulæ seruitio manciparent, ac diuitibus eruditam operam addicerent, ijs scilicet eos in vestitu colores quærendos, qui heris maxime placerent. Nam ad captandam ingenij famam stulti diuites omne genus doctorum familiæ aggregabant, Poetas, Rhetores, Geometras, Græculos fere, quos credibile est exceptis philosophis in pallio quidem, nam hoc eorum insigne, traductos, eo tamen colore, qui esset reliquæ familiæ peculiaris; fortasse etiam philosophos ipsos, ne fusco, pulloque tribonio heri oculos læderent, ac veluti familiam funestarent, coactos esse, quæ pars seruitutis erat, pallio eos colores adsciscere, quis reliquus seruientium grex enitescceret. Nam apud veteres variis vestium coloribus ad genium heri, & Circi studia familiam excultam fuisse, quam nunc colorum syntheſim *Lauream* appellant, vel vnus Petronius docuerit, apud quem

in

in Trimalcionis familia. *In aditu ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat.* Qui color apud Trimalcionem in pretio. Nam paulo ante inducitur *pila praſina* ludens. Ita enim ibi legendum in Electis docemus: hactenus in illa *pila ſparſiua* explicanda infeliciter Critici luſerunt.

Chriſtianorum Aſcetarum Tribonium. Quando Tertullianus librum de pallio ediderit. Tribonium fuſcum. Cap. XVIII.

CHriſtianos vulgo communi, ac ciuili veſtitu vſos ſatis conſtat. Tertullianus Apologetico: *Quo pacto homines vobiſcum degentes, eiuſdem victus, habitus, inſtructus.* Et Cyprianus de bono patientiæ: *Nos autem fratres, qui philoſophi non verbis ſumus, ſed factis, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus.* Sicut autem apud Ethnicos ſeuerius philoſophantes tribonium adamarunt, ita Chriſtiani, qui ſe ſanctiori, atque auſteriori diſciplinæ tradebant, eandem veſtis vilitatem, & ſqualorem aſſumebant. Lucianus Philopatro: *Alius cui nomen Ehleuocharmus, τριβώνιον ἔχων πολύσαθρον ἀνυπόδητός τε καὶ ἀκέφαλος, tribonium habens admodum putre, ſine calceis, & capitis integumento.* Paulo poſt: *Vt demonſtrauit mihi τὶς κακοείμων, male veſtitus, quidam qui ex montibus aduenerat detonſa coma.* Vbi monachus, ſiue anachoreta deſcribitur. Nam ex Chriſtianis, qui durum ac ſeuerum vitæ genus ſequerentur communi habito relicto, togis ſcilicet, lacernis, pænulis, pallium lacerum, ac fuſcum ſumpſiſſe aliis adnotatum eſt. quod cum Tertullianus feciſſet, popularium reprehenſionem incurrit, quæ res ipſum impulit, vt edito libro ſibi patrocinaretur. Ad quem tam multa Interpretes diſputarunt. Alii enim Tertullianum a toga ad pallium tranſiiſſe exiſtimant, cum eſt factus Chriſtianus, idq; omnes vulgo Chriſti nomen profeſſos feciſſe. Hieronymus ad Furiam: *Vbicumque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de triuio: ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, Græcus Impoſtor.* Ipſe Tertullianus: *Cum hanc pri-*

mum

mum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit. Et in fine libri: *Gaude pallium, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Quod verisimile videtur primis illis Ecclesiæ temporibus, qui Christo nomen darent, ipso etiam habitu cultuq; Christum, & Apostolos imitari voluisse, quos palliatos Hebræorum more fuisse constat. Contra alij, non cum Christianus, sed cum Sacerdos factus est, habitū mutauisse censent. Quod scilicet librum de pallio multo post editum Apologeticum conscripserit, quem ab eo vulgatum, cum Christianus esset, non est dubitandum. Induisse autem pallium, cum est factus Sacerdos, ex verbis ipsius colligunt de pallio: *Enimuero cum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuuias, & peplos augusta uestis, superque omnes apices, & tutulos sacerdos suggestus.* Ita enim corrigunt, pro eo quod est in editis *sacer suggestus.* Sed si pallium non nisi sacerdotum erat, soli sacerdotes cum pallium sumerent, vanissimis superstitionibus renūciabant. Reliqui ergo Christiani ante pallium in ijsdem permanebant. Quod indicat, verba illa de Christianis omnibus, non solū de sacerdotibus accipienda. In qua tamen sententia veluti fluctuant: modo enim pallium sacerdotum fuisse aiunt, omniumque Episcoporum, & Clericorum, ac postea Monachorum: modo non omnium sacerdotum, sed eorum tantum, qui ἄσκησιν, & vitæ genus asperius profiterentur: modo eorum tantum, qui ascetæ essent, licet non sacerdotes. Quæ cum ita sint, nondum plane compertum erit, quandonam hanc defensionem ediderit Tertullianus. Non quando Christianus factus est, non enim omnes in pallio: non quando sacerdos, non enim omnes palliati: multos quippe ex laicis aiunt propter ἄσκησιν hac veste philosophica vsos, & ex presbyteris, eos solos, qui asceticam profiterentur.

Rectius ergo, ad pallium transiisse Tertullianum, cum primum ἄσκησιν, & strictiorem disciplinam profiteri cœpit, siue ante sacerdos esset, siue tum primo factus austerius vitæ genus iniit. Id fuse docuerat Baronius ad Annum CCIIC. VII. contra Pamelium disputans: vbi non vno argumento osten-

dit

dit,non fuisse pallium omnium Christianorum,sed eorũ tantum, qui arctioris vitæ studijs se mancipassent, & sublimiorem viuendi normam amplexi eminentioris philosophiæ se esse cultores profiterentur:& ideo Christianæ Philosophię, atque arctioris vitæ pallium insigne fuisse.Christianos enim eodem habitu, quo Gentiles vsos esse, ex Tertulliani ipsius & Cypriani locis supra adductis ostendit. Ascetas vero, & strictiorem disciplinam professos pallium induisse docet ex Eusebio lib. VI. cap. XIII. de Heracla presbytero: *Propterea non modo vulgari veste, & communi, qua antea vsus fuisset exuta, philosophi habitum cultumque, quẽ adhuc retinet, sibi assumpsit: verum etiam libros gentilium euoluere non desistit*. Idem Eusebius lib. VIII. cap. XXI. laudat Porphyrium Christianum adolescentem,quod habitum philosophicum gestaret. Et reliqua, quæ nuperi suppresso Baronii nomine transcripserunt.

Soli ergo Christiani ascetæ in Tribonio, qui quoniam philosophorum habitus, eadem in illos atque in hos conuicia expetebant. Et quoniam plurimi erant, qui sola barba, ac pallio philosophiam mentiebantur, reliqua impostores, ac sycophantæ,tales & Christiani sub eadem schema putabantur, vt ad Tertullianum Rhenanus adnotauit: & ideo quoties in publico apparuissent, statim illud de triuio, vt diximus, Γραικὸς ἐπιδέτης,*Græcus Impostor*. Neque tamen omnes Christiani: nam cum subolescente in immensum multitudine Christiani,vt loquitur Tertullianus,*vrbes,insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus,decurias, palatium, senatum,forum impleuissent*, si omnes in tribonio, quomodo notari, & peregrini cultus insimulari potuissent, qui vbique occurrerent, & spectarentur? Cum igitur ait Hieronymus, *Vbicumque viderint Christianum, statim illud de triuio Græcus Impostor*, de asceta, & strictiorem disciplinam professo intelligendum est. Ita cum Tertullianus ait,*pallio Christianum, & sapientiam, quæ superstitioni renuit vestire*, de hac seueriori sapientia, ac vitæ genere duriore capiendus est. Bulengerus lib. v. de veste Pontificia cap. v. ideo impostores Christianos

nos per ſcommatis laſciuiam dictos eſse cenſet; quod pallium tunicæ imponerent. Quod ſi verum eſt, & olim, & nunc, qui pallium geſtant, magni impoſtores ſunt. Sed quis vel puer ignorat, poſtquam Philoſophiæ maieſtas per planos, ac nebulones violata eſt, ſycophantias, & impoſturas plerumque ſub pallio latuiſse, vt quod olim frugalitatis, & continentiæ index erat, ſceleratorum fraude, omnis nequitiæ, atque impudentiæ velamen eſse cœperit, & ideo impoſtores creditos, quicumque eo habitu imponerent, ac credulos mortales fallerent.

Eiuſdem habitus præiudicio tales crediti Chriſtiani aſcetæ, & ſicubi apparuiſsent conuiciis proſciſſi. Hieronymus ad Marcellam: *Nos quia ſerica veſte non vtimur, Monachi iudicamur: quia ebrij non ſumus, nec cachinnis ora diſſoluimus, continentes uocamur: ſi tunica non canduerit, ſtatim illud e trriuio, Impoſtor, & Græcus eſt.* Quod ait *ſi tunica non canduerit*, declarat communis habitus colorem album fuiſse, vt diximus.

Neq; in eo viris doctiſſimis aſsentiri poſsumus, qui Chriſtianos religionis attentiores tribonium geſtaſse Apoſtolorum imitatione tradiderunt. Chriſtum quidem Dominum, & ſectatores more gentis palliatos fuiſse credimus: id pallium fuiſse tribonium, credere non poſsumus. Cum tam Chriſtum, quam Apoſtolos communi vulgarique habitu vſos certũ ſit. Quod ſi Chriſtus Dominus in tribonio inceſſiſſet, fruſtra milites ſuper pannucea, ne centonibus quidem bonis digna, ſortem miſiſsent. Sed de Hebræorum veſtitu alias diſputabimus. Neque in hoc Cynicis Apoſtolos ſimiles fuiſse, quod vnam tantum tunicam geſtarent, oſtendemus, cum nec tunicam, nec interulam geſtaſse Cynicos demonſtrabimus.

Ceterum non diu apud Chriſtianos duraſse hanc tribonophoriam, inde apparet, quod cum aliqui, ſicut quidam philoſophi ſapientiam in tribonio poſitam credebant, ſolos veros Chriſtianos exiſtimarent, qui hoc pallium circumferrent, ac præcipue Conſtantini ætate Euſtatius Sebaſtenorum Epiſcopus contẽderet Epiſcopos omnes, ac Presbyteros

teros ad vetus Tribonii gestamen reuocare, eosque qui non gestarent damnaret, in Synodo Gangrensi Canone XII. aduersus hanc opinionem in hæc verba sancitum est : *Si quis virorum propter ἄσκησιν νομιζομένην pallio vtitur, & despicit eos, qui cum reuerentia byrris, & alijs communibus vestimentis vtuntur, anathema sit.* Vbi Vetus Interpres διὰ ἄσκησιν νομιζομένην vertit *continentiam, quæ putatur*, cum sit, *propter seueriorem, vt credebatur vitæ normam, & strictiorem disciplinam*. Immo & mulieres ascetrias Tribonium gestasse, vt Cratetis vxor Hipparchia, apparet ex sequenti Canone. *Si quæ mulier propter ἄσκησιν habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.* Nam per virilem habitum intelligi pallium contra sententiam Balsamonis recte docti viri statuerunt.

Ceterum dicto Canone non tam sublatus est vsus pallij ab ascetis, quam ij notati, qui in illo positam τὴν ἀσκησιν credebant, & eos, qui pallium non gestarent, contemnebant. Certe Episcoporum vestitus ferme erat fuscus, qui tribonij color. Baronius ad annum CDVII. narrat ex eius actis D. Ioannẽ Chrysostomum, cum morti proximus esset, exuisse vestimenta, atque alba sumpsisse. Mutata deinea Episcopalis cultus simplicitas, & primo quidem varij, ac flori di vestium colores sacris adhibiti, mox non ita probi etiam extra sacra vsurpati. (Et adhiberi sacrorum maiestatis intereat.) Ammianus Marcellinus lib. XXVII. vestitus vilitatem in Episcopis prouincialibus commendat. *Qui esse poterant* (loquitur de Episcopis Vrbis) *beati reuera, si magnitudine Vrbis despecta, quam nitijs opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam prouincialium viuerent : quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo Numinis, veriscque eius cultoribus, vt puros commendant, & verecundos.* Diu tamen penes ascetas, & monachos pallium fuscum, nigrumque remansit. Eunapius in Aedesio, cum monachos in Serapidis a Cõstantino diruti locum inductos, indignatur, subijcit: *quicunque ea tempestate μέλανων φορῶν ἐδήτα, nigram vestem gestasset;*

eum illico tyrannicam auctoritatem obtinuisse. Idem Maximo: *Quando Alaricus cum barbaris per Thermopylarum fauces peruasit: eas Graciæ angustias illi prodidit, ἢ τῶν τὰ φαιὰ ἱμάτια ἐχόντων ἀχώλυτος προσπαρεισελθόντων ἀσέβεια, impia natio fusca pallia gestantium, qui nullo prohibente simul cum eo irruperunt*. Synesius Ep. CXLVI. ad Ioannem, qui asceticum habitum sumpserat: *καὶ φαιὸν περιβόλιον ἀμπέχεσθαί σε φασὶ*.

Tribonium Cynicum. Modus illud gestandi. Pallium διπλῶσαι. Duplex pannus. Cap. XIX.

TRibonium commune philosophantium tegmen fuisse diximus. Illud tamen Cynicam sectam profitentium peculiare gestamen fuisse apparet, inquo illi delitias facerent, præcipuè si attritum maxime, & lacerum esset. Quo habitu sese Herculem Cynicæ sectæ auctorem, vt ait Ausonius Epigrāmate XXVI. & Lucianus Cynico, imitari gloriabantur, quem reliqua nudum, sola leonina amictum veteres induxerunt. Sed diuersus fuit a ceteris philosophis Cynicorum Tribonium gestandi modus. Nam cum illi ita tribonium gestarent, vt ceteri mortales commune pallium, extrema scilicet parte pallii dextra in humerum læuum imposita, vt manus sola extaret: Cynici totam tribonii partem dexteram ita in sinistrum humerum conjiciebant, vt cum toto brachio dexter humerus nudus exereretur, & pars etiam pectoris renudaretur. Hoc illi idcirco agebant, quia, vt doctis pridem obseruatum est, sine tunica incedebant, prorsusque ἀχίτωνες erant, Iuuenalis.

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica distantia.

Non quod Stoici simplici pallio vterentur, Cynici duplici, vt vult Interpres: sed quod hi sine tunica essent, quam illi gestabat, in doctrina conuenirent. Extat Oratio Dionis Chrysostomi περὶ σχήματος, in qua accurate causam quærit, cur, cum homines in sola tunica conspicerentur, nemo eos notaret, aut irrideret: quod si aliquem ἀχίτωνα ἐν ἱμα-

Τίῳ

τῷ viderent *sine tunica solo pallio amictum*, coma, barbaque prolixa, illico deridiculo habitum, omniumque ludibrio, ac contumeliis expositum. Et tamen horum hominum tantam fuisse multitudinem, vt plures tunc essent, quam fullones, aut sutores, aliique artifices. Eam autem causam præcipue affert, quod hi homines rigidi morum censores, & publici pædagogi essent, & vel palam, vel tacite ipso habitu, ignauiam, mollitiem, inscitiam, ac nimias delitias exprobarent. Illuc demum Orationem flectit, vt fateatur etiam hoc contigisse propterea, quod plerique solo tribonio philosopharentur, reliqua stolidi, & flagitiis cooperti. Lucianus Cynico: *Quid tu tandem barbam quidem habes, & comam*, χιτῶνα δὲ οὐκ ἔχεις, καὶ γυμνοδερμῆ, *tunicam non habes & nudus conspiceris, ac nudipes, delecta nimirum, vaga, inhumana, ac ferina vita: tum proprio corpore, contra quam faciunt ceteri, semper vsus incommodè, nunc huc, nunc illuc circumis, in arido præterea solo cubans, adeo vt plurimum etiam sordium istud* τριβώνιον *referat, alioqui nec ipsum, vel tenui filo, vel molle, vel floridum*. Et in fine hunc etiam Deorum habitum esse ait in templis, vbi statuæ sine tunicis conspiciuntur.

Cynici igitur ob tolerantiam sine tunica erant, καὶ τρίβωσι μόνοις vtentes, vt ait Laertius in Menedemo. Quæ laus veterum Laconum fuit. Nam Agesilaus, vt narrat Aelianus, *iam senex prodibat in publicum* ἀνυπόδετος, καὶ ἀχίτων τὸν τρίβωνα περιβαλλόμενος, *nudipes, sine tunica, tribonio amictus, idque per hyemem matutino tempore*. Hancque adolescentum educationem fuisse tradit Plutarchus in Lycurgo, *vt exacto duodecimo anno sine tunica incederent, pallium vnum in annum accipientes*. Quod pallium tribonium fuit. Infra enim ait: *Spartam vna scytale, & tribonio Græciæ volenti imperitasse*.

Quod igitur tunica Cynici carerent, necesse habuerunt diuerso more a tunicatis pallium induere. Non quidem, vt docti existimant, quod cum commune pallium ita gestaretur, vt duæ eius laciniæ ab vtroque latere retrorsum rejicerentur, ita vt tunica tota in anteriori parte pateret; cum Cynici nullam haberent tunicam se pallio inuoluerunt, ne

corpus nudaretur : nam commune pallium non ita vtrinque rejici solitum ostendimus : sed cum ita gestaretur, vt dextra eius pars extrema sinistro humero imponeretur, eueniebat vt in actu, in incessu, aliisque de causis interdum ea pars laberetur, & tunica appareret. Cynici ἄχιτωνες dextrũ cum humero brachium exerentes totam pallii partem dextram in sinistro humero injiciebant, vt retro ad pedes caderet, atque ita totum corpus inuolueret, & constringeret, vt nisi detraheretur dilabi non posset. Quod duplicare pallium dixerunt, quemadmodum fuse ad Tertullianum viri docti demonstrarunt.

Primum huius habitus auctores fuisse Antisthenem docet Laertius. Diogeni enim tunicam petenti iussisse πτύξαι δοιμάτιον. Vbi contrario sensu *pallium explicare* Interpres vertit. Nam πτύξαι est complicare, siue duplicare. Idem enim paulo infra de eodem : Καὶ πρῶτος ἐδίπλωσε τὸν τρίβωνα, καὶ μόνῳ αὐτῷ ἐχρῆτο : *Primus Tribonium duplicauit, atque eo solo vtebatur.* Ideo duplicauit, quia sine tunica id solum gestabat. Ex aliorum tamen sententia Diogenes eius moris auctorem facit Laertius : Τρίβωνα διπλώσας πρῶτος διὰ τὸ ἀνάγκλιν ἔχει, καὶ ἐνεύδειν αὐτῷ. Primus pallium duplicans ob necessitatem, & vt in eo cubaret. Διὰ ἀνάγκλιν non est ob necessariũ vsum, vt credit Interpres, sed ob necessitatem. Nam cum tunica careret, necesse habuit tunicæ vicem se pallio inuoluere. Altera causa duplicandi pallii fuit, vt in eo dormirent. Nam cum Cynici humi cubarent, sine culcita, ac stragulis, ea veluti nimias delitias respuentes, eodem pallio inuoluti somnum capiebant, quod gerebant interdiu. Et ideo lepide Martialis abollam Cynici *vxorem grabbati vocat* : non vt ait Raderus, quod abolla Cynici vxor esset. Apage talem vxorem, sed abolla grabbati vxor dicitur, quod grabbato pro stragulis iniecta, veluti cum eo dormiret. Nam Cynicos tribonio incubantes dormire solitos docet eiusdem Diogenis dictum, qui cuidam obiectanti, quod aurum pallio occultaret : *ita fane*, inquit, *propter hoc illi dormiens incubo.* Hoc eodem cultu Xeniadis liberos, quos in disciplinam acceperat

rat, a Diogene productos tradit Laertius, *ad cutem tonsos, incomptos*, ἀχίτωνας, καὶ ἀνυποδήτες, *sine tunica, discalceatos*, & propterea duplicato pallio inuolutos.

Illud tamen quod de Antisthene subjicit Laertius perobscurum est: Πρῶτον δὲ καὶ Νεάνθης φησὶν ἁπλῶσαι τριμάτιον. *Primum etiam explicasse pallium tradit Neanthes*. Aliqui sic interpretantur: cum pallium commune vtrinque a latere rejiceretur, veluti duplicatum fuisse; Antisthenem autem illud explicasse, cum in humerum conjiceretur. Sed hoc supra refutauimus. Itaque verisimile est, quod iidem suspicantur, corruptum esse Laertii locum, & pro ἁπλῶσαι legendum διπλῶσαι, ideſt duplicasse. Nam licet supra dixerit eum primum pallium διπλῶσαι, duplicasse, vt tradit Diocles, hic idem a Neanthe scriptum esse subjicit. Nisi ἁπλῶσαι est vnico pallio contentum esse.

Ab hac pallii duplicatione Diogenes διπλοείμαλος a vetere poeta appellatur, *duplici pallio tectus*. Et pallium ipsum διπλοΐς. Antipater de Diogene: *Cui vna pera*, μία διπλοΐς, *baculus vnus*. Et infra: *Baculus*, & *pera*, καὶ διπλόον εἷμα. *Diogenis vitæ onus leuissimum*. Alibi. ῥυπόωντι πίνῳ πεπαλαγμένον ἕσθος διπλάσιον. *Obscæno luto conspersa vestis duplex*. Quanquam inter διπλοῦν, & διπλάσιον discrimen ponat Ammonius: illud de pallio duplicato vsurpari, hoc nequaquam. quod ex poetæ verbis adductis falsum esse apparet.

Latini pannum, & duplicem pānum Cynici pallium vocarunt. Horatius lib. 1. Epist. XVII. de Diogene:

Quem duplici panno patientia velat.

Acron. *Laudat Aristippum ex sententia Platonis, qui cum inuenisset illum naufragio, panno duplici inuolutum, ideſt diploide, laudauit eum dicens: Omnis Aristippum decuit color, & status, & res.* Legendum est. *Naufragio facto*, vel, *e naufragio*. Vnde autem hoc de Aristippi naufragio acceperit Acron non mihi constat. Dictum quidem Platonis siue Stratonis refert Laertius: *soli Aristippo datum* καὶ χλαμίδα φορεῖν, καὶ ῥάκος, *chlamidem ferre*, & *pannum*. Cum scilicet tres meretrices a Dionysio acceptas, vsque ad vestibulum deduxit,

dimi-

dimiſitque. Quare hic quoque, vt alibi non ſemel mutilum eſſe Laertii codicem ſuſpicamur. Non enim cohæret ſatis, quod repudiaſſet amicas, & quod eum tam chlamys, quam pannus deceret. Fortaſſe igitur ſequebatur, cum a Stratone repertus eſſet poſt naufragium diploide inuolutus, dixiſſe Stratonem, quod tam deceret eum pannus, quam chlamys. Chlamys ſcilicet purpurea, in qua ille traductus eſt. Quo reſpexit Horatius:

Alter Mileti textam cane peius, & angue
Vitabit chlamydem.

Quod nempe ex lana Mileſia pretioſiſſima texeretur, & purpura tingeretur.

Alter purpureum non expectabit amictum.

At diploidem *pannum* appellat ſimpliciter:

—— Morietur frigore, ſi non
Retuleris pannum.

Interdum tamen Diplois pro pallio communi vſurpatur. Euſebius lib. VII. cap. XVIII. de ſtatua Chriſti Domini, atque Hæmorrhoiſsæ. διπλόιδα χωσμίως περιβεβλημένον. Cynici duplicato pallio inuoluti figuram, quam Roma Illuſtriſſimus Puteus trauſmiſit, hic exprimendam curauimus.

Tabula XXIX.

Tab. XXIX.



Geo. Georg- sculps.

An Cynici interulam gestarent. Laertius explicatus. Eius Interpres notatus. Cap. XX.

IDeo Cynicos pallium duplicasse diximus, quod tunica carerent, cuius vicem Tribonii circumiectus præstabat: propterea dextro brachio atque humero, bonaque pectoris parte nudi erant. Quo magis miror credidisse viros doctissimos interulam a Cynicis gestatam. De quo aliqua in tertio libro huius commentarii disputauimus. Duo sunt quæ illi afferunt, vt hoc confirment. Cratetē teste Laertio ab Atheniensibus reprehensum, quod in sindone præter morem incederet, eam autem sindonem fuisse interulam. Deinde quod Proteus apud Lucianum pyram conscensurus depositis pera ac Tribonio ἔσπευδε ὁδόν ῥιπτώσι ἀκρυβῶς. Sed Cratetis sindon pallium fuit, non tunica, siue interula. Tanta enim fuit viri illius tolerantia, vt graue pallium, ac villosum, æstate tenue ac linteum hieme gestaret. Cuius exemplum postea Cynici æmulati sunt Ammianus in Anthologia de Cynico:

Καὶ σόλιον, πωγώνιον, ὦμον ἔξω,
Vestis villosa, barbula, humerus exertus.

Vestis villosa patientiam Cynicam dedecuisset, nisi per æstum gestata fuisset. De Cratete Philemon Comicus apud Laertium:

Καὶ τῷ θέρει μὲν εἶχεν ἱμάτιον δασύ
Ἵν' ἐγκρατὴς ᾖ, τῷ δὲ χειμῶνος ῥάκος.
Aestate crassum vestiebat pallium,
Vt tolerans esset, hyeme vero tribonium.

Idem factitasse Zenonem tradit Laertius: *Erat patientissimus, & simplicissimi victus, crudisque tantum cibis vtebatur, καὶ τρίβωνι λεπτῷ, & tenui tribonio, ita vt de illo diceretur.*

Τὸν δὲ οὐκ ἄρ χειμὼν κρύεϊ, οὐκ ὄμβρος ἀπείρων
Οὐ ῥλοξ ἠελίοιο δαμάζεκεν.
Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,
Non solis radij.

Quod

Quod scilicet in tenui palliolo sæuas hyemes perferret: quod feciſſe Euſtachium ex Eunapio notauimus, qui gerens λεπτὸν ἱμάτιον *Gallicas hyemes tolerabat*.

Ad maiorem igitur patientiã, quo tenuius pallium hyeme eſſet, illud lineum Crates induebat. Laertius: τοῦτον ἀθετοῦντας ἀσυνόμων ἐπιτιμηθεὶς ὅτι σινδόνα ἠμφίεσο, ἔφα, καὶ Θεόφραστον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον. Illis non credentibus induxit illos in tonſtrinam, oſtenditq; Theophraſtum χειρόμενον, operam tonſori dantem, & ob id ſindone inuolutum, ſiue lineo inuolucro opertum. Sed quinam ſunt iſti ciuilis iuris periti, quos Cratetis cenſores nobis obtrudit Interpres? ἀσύνομοι ſunt Aediles, quorum munus erat, vt & Romæ, prouidere, ne quis in peregrino cultu incederet, vt erat tunc pallium lineum. Ab his ergo Crates reprehenſus, quod ſindonem præter morem geſtaret, perfacete reſpondit; ſe ijs oſtenſurum Theophraſtum ſindone inuolutum; vtque fidem faceret, induxit in tonſtrinam, vbi de more linteo amiculo, ne pili veſtibus adhęreſcerent, amictum oſtendit. Non poſſe autem ſindonem pro interula accipi, declarant verba ἠμφίεσο, & περιβεβλημένον, quæ nonniſi de veſte exteriore, & quæ corpori circumponeretur, ſiue injiceretur, dici poſſunt.

Proteus autem apud Lucianum ideo ἐν ὀθόνῃ inducitur pyram conſenſurus, vt qui depoſito pallio tragœdiam illam in humani generis conſpectu daturus erat, ſaltem honeſte moreretur, qui vitam inani gloriæ impendebat. Nam ſi interulam valgo Cynici induiſſent, aut illa partes verendas velabat, & tunc pallio duplicato minime opus fuiſſet, aut pectus tantum tegebat, & tunc nulli vſui fuiſſet, & linea inſuper mollitie ſua rigorem Cynicum minime decuiſſet. Non aliud igitur othoniam illud fuiſſe exiſtimamus, quam faſciam, ſiue perizoma lineum, quo ſe ille in conſpectu frequentiæ renudaturus veluti campeſtri ſuccinxit, vt ſpectatorum oculis extremo illo actu parceret. Prætercea quomodo exerto humero, ac feminudi Cynici ſcriptores produntur, ſi interuala pectus obuelabat? In veteri Epigrammate

ſupra adducto ὦμον ἔξω: *humerus exertus*, id eſt nudus. Lucianus Cynico: *Tunicam quidem non habes, & nudus conſpiceris*. Seneca Epiſt. LXII: *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis, cum illo ſeminudo loquor, illum admiror:* Arriani Epictetus. Obuios conuicijs lacerare, ac pulchrum ducere. τὸν ὦμον δεικνύειν, *humerum reuelare.* Herodianus de Cynico: *Baculum manu geſtans ἡμιγύμνῳ δὲ αὐτῷ ἐκκρεμὴς πήρα, peram ſeminudus ab humero ſuſpenſam gerens.*

Cum igitur ita ſe pallio Cynici inuoluerent, vt cũ dextro humero brachium exereretur, facilis erat & expeditus illius brachii vſus. At læuum ſub tribonio, qua duplicabatur, latebat preſſum, nec inde exeri poterat, niſi pallium ſubduceretur, atque ita corporis inferiora paterent, aut totum demum tribonium dejiceretur. Quare cum vtriuſque brachii miniſterio opus foret, tunc ad pectus ipſum tribonium circumcingebat, atque ita ſuperiori corporis parte renudata, vtrumque brachium expediebatur. Lucianus de ſcribenda hiſtoria narrat, cum Corinthiis bellum a Philippo immineret, ciueſque trepidi, alii aliud negotium curarent, pars muros reficerent, pars arma comportarent, Diogenem, ne nihil agere videretur, dolium ſuum ſurſum ac deorſum verſare cœpiſſe, διαζωσάμενος, inquit τὸ Τριβώνιον. Ita ille ad inſtar proparum ſuccinctus ſuperiori corporis parte nudus agebat.

Ipſæ etiam mulieres Cynicam ſectam profeſſæ in tribonio, & quidem ſolo. Menander apud Laertium Cratete:

Συμπεριπατήσεις γὰρ Τρίβωνι ἔχουσα ἐμοί,
Ὅσπερ κράτητι τῷ κυνικῷ ποτ' ἠγωνή.

Mecum ambulabis gerens tribonium, vt nuper vxor cum Cratete Cynico. Hæc eſt Hipparchia, quam tradit Laertius Cratetis vitam atque verba deperiſſe, vt nullo procorum ambitu, non opibus, nobilitate, aut pulchritudine, ab hoc intempeſtiuo amore abduci potuerit, cui hæc omnia ſolus Crates erat, vt parentibus minitaretur, niſi ſe huic traderent, ſibi mortem illaturam. Cum ergo Crates a puellæ paren-

tibus

tibus rogaretur, vti illam ab hoc proposito auerteret: postquam egit omnia nec persuasit, exurgens omni sua supellectili ante illius oculos exposita, hic ait sponsus, hæc eius possessio, ad hæc delibera. Neque enim esse nostri consors poteris, nisi eadem studia attigeris. Elegit continuo puella, καὶ ταυτὸν ἀναλαβοῦσα χῆμα, eiusque habitu sumpto vna cum viro circumibat. Gestasse autem solum tribonium, sine vlla tunica aut interula, apparet ex sequentibus. Nam cum ad conuiuium venisset, vbi Theodorus Deum contemptor discumbebat, vt eum argueret, hoc illi obiecit: *Quod faciens Theodorus, iniustè agere non diceretur, id Hipparchia si faciat, facere iniuste non dicetur. Theodorus autem se ipsum feriens, iniuste non agit: ergo ne Hiparchia quidem Theodorum cædens. Tum ille ad hoc quidem minime respondit,* ἀνέσυρε δὲ αὐτῆς τριβώνιον, sustulit ipsi pallium, vt scilicet eam esse fœminam ostenderet. Interpres reddit, *traxit pallium*: quod nullum sensum habet. Theodorus a muliere lacessitus, in eius contumeliam pallium sustulit, vt cum sine tunica esset, id quod esset cõuiuis ostenderet. Eadem voce in re simili vsus est Laertius in Stilpone. Nam cum hic apud Areopagitas delatus esset, quod Mineruam non esse deum dixisset, respondit, negasse esse deum, quæ esset dea, deos quippe mares esse. Tunc Theodorus salse. vnde inquit hoc Stilpo nouerat? ἢ ἀνασύρας αὐτῆς τὸν κήπον' ἐθεάσατο; *Nunquid sublata veste locos muliebres inspexit?* Vbi etiam non recte Interpres *amota palla*: nec animaduertit, pro ἐπίκλην θεοῦ legendum esse ἄθεον. Theodorus enim ille ob impietatem ἄθεος dicebatur. Male etiam κήπων in κόλπον mutat. nam κήπον id quî mulieres sunt, significare notum est. Ideo aut sublatum tribonium Hipparchiæ a Theodoro esse, vt fœminam argueret, declarat, quod subjicit Laertius, propter hoc nec territam, nec perturbatam esse more mulierum Hipparchiam: iam enim pudorem decoxerat, quæ luce palam cum vino congrediebatur, sed obiectanti Theodoro, quod radios apud telam reliquisset, hoc quidem sapienter respondisse, se fœminam esse, ceterum non sibi male consuluisse, si tempus, quod in texendo con-

sumptura erat, sapientiæ studio impendisset.

Ceterum Cynici, vt dicebamus, ideo se solo pallio contentos profitebantur, vt Herculem referrent, qui cum sola leonina incederet, nec Herculem modo, sed Deos omnes, quorum simulachra, vt testatur Dio περὶ σχήματος, solo pallio velata in templis cernebantur, vt etiam in nummis Aesculapii apparet, quos hic damus.

Tabula XXX.

Tab. XXX.



Russonus. f.

Serui palliati. Plautus explicatus. Diphthera. Scortum. Festus emendatus. Cap. XXI.

NOn ingenuos modo, sed seruos in Græcia vulgo palliatos fuisse certum est. Plautus Captiuis Act. IV. Scen. 1.

Nunc res certa est, eodem pacto, vt Comici serui solent,
Coniiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem vt audiat.

Et Scena sequente.

Sed Ergasilus est ne hic, procul quem video?
Collecto quidem est pallio: quidnam acturus est?

Epidico Act. 1. Sc. 1. ait Thesprio Seruus.

Quis properantem me prehendit pallio?

Et paulo post.

Age nunc iam ornate Epidice, & palliolum in collum coniice.
Itaque assimulato, quasi per vrbem totam hominem quaesiueris.

Terentius Phormione.

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero inuenire?

Ex quibus intelligimus, seruos cum properarent, nesluens pallium cursuram impediret, solitos illud in collum conjicere, hoc est dextram partem in sinistrum humerum, sinistram in dextrum rejicere, vt essent expeditiores. In Prolegomenis Terentij: *Serui Comici amictu exiguo conteguntur paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant.* Quo habitu interdum, & liberi, vt parasiti trechedipni, cum ad cænam festinarent. Ibidem. *Parasiti cum intortis pallijs veniunt*, idest in collum coniectis.

Idem etiam seruilis pallij color fuisse videtur, qui liberorum, nempe albus, & lætitiæ causa candidus. Plautus Casina de Olympione villico nuptias celebrante;

At canditatus cedit hic mastigia.

Et infra:

Villicus autem hic cum corona candide vestitus.

Vbi Lipsius ad morem libertorum refert in mutanda veste.

Olym-

Olympionem enim iam libertum fuisse. Quod est falsum. Paulo post.

OL. *At non opinor fieri posse hodie.* ST. *potest*
Si quidem cras censes te posse mitti manu.

Et Actu III. Scena VI.

OL. *Quid est? quis hic homo est?* ST. *herus sum.* OL. *qui herus?* ST. *Cuius tu seruos es.* OL. *Seruos ego?* ST. *atq; meus* OL. *Non sum ego liber?*
Memento, memento.

Seruus adhuc Olympio erat, & vulgi more in nuptiis candidatus. Licet serui palliati, propria tamen eorum vestis fuit *Exomis*, & *Diphtera*. Apud Aristophanem Vespis conqueruntur vrbani senes Philocleonem herum a seruis suis domi clausum sub custodia teneri, oblitis munerum, quæ ab eo acceperant. Neque eos subit memoria διφθερῶν, καὶ ἐξωμίδων, quas ipsis emerat, καὶ νυνᾶς. *Diphteram* quidem veteres Grammatici vestem ex corio, siue pellibus interpretati sunt, quæ propria pastorum, & agricolarum. Aristophanes Nubibus: *Vbi grandior eris, capellas agito e Phelleo, vt & pater tuus* διφθέραν ἐνημένος *scorteam vestem indutus*. Vbi Scholiastes περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος interpretatur: non quidem quod pallium vulgare fuerit, fusum, ac longum; quis enim credat pastores, atque agricolas eo inuolutos opus fecisse? sed breuius indumentum, sagum scilicet ex pellibus, quod exomidi injiceretur, inde περιβόλαιον. Quod autem viliorum tegmen esset, propterea chlamydi, vt & ῥάκος, & tribonium opponebatur. Lucianus Timone: *Pro molli chlamyde hanc diphtheram tibi paupertas circumponit*. Ibi enim Timon ad inopiam redactus ἐναλόμενος διφθέραν terram exercet. Infra idem a Ioue appellatur ὑποδιφθερος: item διφθερίας dicitur, ideſt *sago ex pellibus confecto amictus*. Dio etiam Chrysosth. Orat. LXXII. inter vestes pastorum, & agricolarum diphtheram, & exomidem recenset. Philostratus in Heroicis de eo qui relicta Vrbe se agriculturæ tradiderat: διφθέραν τε προσαρμοσάμενος, *& bidentem ferens*. Polluci tamen lib. VII. *Diphthera dicitur tunica stricta* ἐπίκαρσιν ἔχων, *habens*

bens cucullum, non ceruical vt vult Interpres. Potuit quidem & tunica ex corio confici, vnde & diphthera appellari: proprie tamen de ſago, ſiue veſte exteriori ſumebatur. Eadem Ῥαῖνα dicebatur, cuius tamquam veſtis paſtoralis meminit Theocritus Idyllio III. & V. quam vetus ſcholiaſtes *meloten*, & *diphtheram* reddit. Pollux tunicam prælongam interpretatur, quæ neſcio an paſtori congrua eſſet. Rectius Heſychius: δερμάτινον ἔνδυμα ὅπερ ἔνιοι σισύραν: ἔνιοι δὲ σκληνὴ δερματίνην, οἱ δὲ διφθέραν,

Has pelles caprarum fuiſſe docet Varro de re ruſtica lib. II. cap. vltimo: *Neque non quædam nationes harum* (caprarum) *pellibus ſunt veſtitæ, vt in Getulia, & in Sardinia. Cuius vſum apud antiquos quoque Græcos fuiſſe, apparet, quod in Tragœdijs ſenes ab hac pelle vocantur* διφθερίαι, *& in Comœdijs, qui ruſtico opere morantur: vt apud Cæcilium in Hypobolimæo habet adoleſcens, apud Terentium in Heautontimorumeno ſenex.* Aliquis etiam harum veſtium vſus in ingenuis fuit, tempore pluuiæ, vt ſcortèæ pænulæ apud Romanos. Laertius tradit Anaxagoram profectum in Olympiam ſudo ac ſereno cœlo ſediſſe ἐν δερματίνῳ, quaſi breui eruptura pluuia, ſicque eueniſſe. Idem narrans Philoſtratus lib. I. cap. II. ait veniſſe Anaxagoram in Olympia, cum nulla pluuiæ ſuſpicio eſſet, χωνωδίῳ *pellicea veſte indutum.*

Eam ſcorteam Latini appellarunt, nam ſcorta pelles. Vnde auctore Feſto meretrices ſic appellatæ, *quia vt pelliculæ ſubiguntur.* Varro de lingua Lat. lib. VI: *Scortari eſt ſæpius meretriculam ducere: quæ dicta a pelle. Id enim non ſolum antiqui dicebant ſcortum, ſed etiam nunc dicimus ſcortea, ea, quæ ex corio, & pellibus ſunt facta. Inde in aliquot ſacreis, ac ſacellis ſcriptum habemus. Ne quid ſcorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adſit. In Atellanis licet animaduertere ruſticos dicere, ſe adduxiſſe pro ſcorto pelliculam.* Ex his facile erat corruptum Feſti fragmentum reſtituere: *Scorta appellantur meretrices ex conſuetudine ruſticorum, qui vt eſt apud Atellanos antiquos ſolebant dicere ſe attuliſſe pro ſcorto delicularum.* Quis enim non videt ex Varrone legendum *pelliculam?* Scortum etiam pro

pelle

pelle leonina apud Tertullianum de Pallio cap. IV: *Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit: tam Omphale in Herculis scorto designata descripsit.* Supra enim ad eandem vocem alluserat: *Tantum Lydiæ clancularia licuit, vt Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur*: nempe in *scorto*, siue pelle Leonina.

Exomis. Ἑτερομάσχαλος. Κατωνάκη. *Cap. XXII.*

EXomides ἱμάτια δελτικὰ, καὶ ἑτερομάσχαλα veteres Critici interpretantur, vestes seruiles ex altera parte manuleatas. Vox ipsa nihil aliud significat, quam vestem strictam & angustam, ex qua humeri exererentur, siue nudi conspicerentur. Hesychius partim tunicam, partem pallium. Ἐξωμὶς, χιτὼν μοῦ, καὶ ἱμάτιον: τλὼ γὰρ ἑκατέρᾳ χρείαν παρεῖχεν, καὶ χιτῶνα μὲν διὰ τὸ ζώννυσθαι. ἱμάτιον δὲ, ὅτι τὸ ἕτερον μέρος ἐβάλλετο. (Lege περιεβάλλετο) παρὰ καὶ οἰκονομικοὶ, (Lege κόμικοὶ) ὅτε μὲν ἔνδυθι, ὅτε δὲ περιβαλοῦ. *Exomis tunica pariter, & pallium. Vtriusque enim vsum præbebat: & tunica quidem, quod cingeretur: pallium autem quod altera pars iniiceretur, siue circumponeretur. Quare & Comici de exomide aliquando dicunt quod indueretur, aliquando quod superindueretur.* Ita ille locus corrigendus est. Quomodo autem eadem vestis tunicæ & pallii vsum præstaret, nõ aliter intelligi potest, quam quod alam quandam, siue manicam latiorem haberet, quæ more pallii injici, ac circumponi posset. Talis enim exomis. Pollux: ἐξωμὶς δὲ περίβλημα, καὶ χιτῶν ἑτερομάσχαλος. *Tunica vnicam manicam habens.* Hesychius: Ἑτερομάσχαλος. *Tunica seruorum, atque operariorum, quod alteram tantum alam adsutam habet.* Alibi Polluci Exomis dicitur *vestis Comica, tunica scilicet alba, sine ornamentis, in sinistro latere,* ῥαφὴν ἔχων ἕνα, *suturam non habens.* Subjicit huic adiectum fuisse palliolum album, quod ἐγκόμβωμα dicebatur. Verisimilius tamen est, alam, quæ adinstar pallioli, potius in sinistra parte fuisse, quo dextra liberior atque operi expeditior esset. Sicut tunica seruilis

ἑτερομάχαλος erat, ita ingenuorum ἀμφιμάχαλος, vtrimque manuleata. Hesychius. Ἀμφιμάχαλος tunica manicata liberorum, vt Plato, duas habens manicas, quas etiamnum μαχάλας appellant. Eius meminit Aristophanes Equitibus: *Sed cum nudum videres hunc populum, ne quidem ἀμφιμασχάλῳ ἠξίωσας, tunica manulea dignum censuisti. Etiam durante hyeme.* Scholiastes: χειριδωτῷ ἱματίῳ. ἀλλως, μικρᾷ χιτωνίσκῳ.

Non fuisse tamen solum seruorum exomides, declarat Aristophanes Lysistrata, vbi ciues senes aiunt.

Ἀλλὰ τιὼ ἐξωμίδ' ἐκδύωμεθ' ὡς τὸν ἄνδρα δεῖ.
Sed exomidem exuamus, vt virum decet.

Et Aelianus Variæ lib. IX. cap. XXXIV: *Diogenes cum venisset Olympiam, & Rhodios quosdam adolescentes videret pretiosis vestibus amictos, ridens inquit, hic est fastus. Deinde cum incidisset in Lacedæmonios ἐν ἐξωμίσι φαύλαις καὶ ῥυτώσαις, in vili, ac sordida exomide. Hic inquit, alius est fastus.* Quare Suidas interpretatur *tunicam ingenuorum, quæ brachia non tegeret, esset tamen vile indumentum.* Gellius præterea lib. VII. capite XII. eas antiquissimo tempore a Romanis gestatas tradit, *breuesque ac substrictas tunicas interpretatur citra humerum desinentes.*

Porro tam Festus, quam Pollux, Exomidem Comicum vestimentum fuisse aiunt. Scilicet seruorum. Postquam enim ea vestis in desuetudinem abiit, antiquus seruorum habitus in scena retentus est. Quia autem hoc exomidis proprium erat, vt inde humeri extarent, Cynici, qui, vt diximus, dextrũ humerum exertum habebant, inde ἐξωμίαι dicti, & eorum Tribonium ἐξωμὶς, vt alii adnotarunt.

Vestis etiam seruilis mentio apud Aristophanem Lysistrata. Nescis vt olim vos quoque κατωνάκας φοροῦντας adiuuerint *Lacones. Vos inquam liberauerunt.* κἀνῦν τῆς καλωνάκης τὸν δῆμον ὑμῶν χλαῖναν ἤμπισχον πάλιν. Et pro seruili amictu *chlenam populum induerunt.* Hesychius interpretatur *pallium, quod in inferiori parte ῥάκος assutum habet, quod est pellis ouina. Videri autem Athenienses illud induisse a Tyrannis coactos, qui Pisistrati tempore fuerunt, vt propter vestis illius vilitatem*

ciues

ciues urbem non ingrederentur.

Pallio caput operire. Palliolum. Plautini loci correctio tentatur. Cap. XXIII.

QVemadmodum Romani, cum caput operire volebant, togæ laciniam superiorem ab humeris in caput trahebant: ita & Græci adducto in caput pallio illud operiebant, præcipue cum latere volebant. Lucianus Dialogo mortuorum, de Philosopho: *Flet, quia non amplius tam opiparas cænas habebit, neque noctu exiens clara omnibus τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν κατειλήσας ordine omnia accedet scorta.* Plautus Pœnulo *Quin si voles*:

Operire capita, ne nos leno nouerit.

Et alibi.

Tum isti Græci palliati capite operto qui ambulant.

At Romanos cum latere vellent, item valetudinis causa palliolo caput obnupsisse alias docuimus, quod breue, & angustum pallium fuisse vox ipsa declarat. De quo Lipsius in Saturnalibus, qui nonnisi ab ægrotis palliolum adhibitum obseruat ex Quintiliano: *Palliolum sicut fascias, & focalia sola excusare potest valetudo.* Seneca lib. IV. nat. quæstionum: *Videbis quosdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes, & ægros.* Ex quo docti illud Ouidij

Aegrum tu facito ut simules, nec turpe putaris
Pileolum nitidis imposuisse comis.

Recte *palliolum* legunt. Quod etiam meretricum fuisse ostendunt Martialis:

Hanc volo, quæ simplex, quæ palliolata vagatur.

Et Iuuenalis:

— *Dorida nullo.*
Cultam palliolo.

Alius Plauti locus est, qui huc referri potest, si tamen aliqua spes restat posse illum recte constituti. Pseudolo Act. V. Sc. 1. ait seruus ebrius.

Sed postquam exsurrexi, orant med' vti saltem;

Ad hunc me modum intuli, vt illis satisfacerem ex disciplina: quippe ego
Qui probe Ionica perdidici: sed palliolatim amictus
Sic huc incessi ludibundus.

Veteres editiones Mediolanenſis, & Veneta, licet multum a recentibus diſcrepent, conſtanter retinent *palliolatim amictus*. Lambinus ſuppoſuit *palliolatus*, hocque extare in veteribus libris teſtatur. Quod ſi verum eſt, facilis erit interpretatio, Pſeudolum palliolo caput tectum ſaltaſſe: quæ fortaſſe cauſa fuit, vt dum orbem illum ſaltatorium verſat opertis oculis lapſus ſit. Sed cum omnes fere editiones, etiam nouiſſima *palliolatim amictus* habeant: & in veteri MS. *palluratus* ſe reperiſſe dicat Lambinus, ſuſpicor legendum eſſe, *pallulatim amictus*. Scilicet ſeruus procax, atque ebrius, quo magis riſum excitaret, pallam ſiue pallulam, muliebre pallium induerat: idque ex diſciplina. Ionicam enim ſaltationem mollem fuiſſe, ac parum virilem; item ſaltatores in palla, ſatis conſtat. *Pallulatim amictus*, eſt more fœminarum palla inuolutus. Neque obſtat, quod infra pallium appellat: nam muliebre amiculum, & *pallam*, & *palium* dictum fuiſſe, alias notauimus. Nam quæ de tunica palliolata Interpretes afferunt, ἀπροσδιόνυσα ſunt. Immo paulo poſt idem ſeruus ait ſe commutaſſe pallium: non quia illud reiecto ex crapula vino infeciſſet, vt ijdem interpretantur: ait enim, *iam penè inquinaui pallium*, ideſt, parum abfuit, quin pallium temeto inquinarem. Sed egreſſurus in publicum, pallium muliebre deponit, virile ſumit. Sic illa verba intelligenda *commuto Illico pallium: illud poſiui: inde huc exij*: ideſt, pallium muliebre, ſiue pallam, in qua ſaltaui. Si enim pallium pro pallio ſumpſiſſet, ſatis erat, ſi diceret: Commutaui pallium: ſed quia pro muliebri virile ſumebat, ait *illud poſiui, inde huc exij*, nempe in communi habitu.


Ceterum totus iſte locus in veteribus editionibus admodum variat. Nam quod nunc legitur, *plaudunt partem: clamitant me, vt reuortar*. Ibi, *plaudunt parum*: quod rectum eſt. Fama enim illa ſaltatio non arridebat: volebant enim ipſum

ita

ita in orbem rotari, vt caderet. Ita quod ſequitur. *Occœpit denuo hoc modo nolui*: recte Gulielmius, *hoc modo volui*, ideſt verti: quod tamen extat in Veneta editione. Cœpit ſaltatorium orbem verſare, quo magis ſibi amicam conciliaret: *vbi circumuorter cado*: *id fuit nænia ludo*. *Næniam* ludi finem intelligunt, quod nænia ijs caneretur, qui vitam finiſſent. Simplicius tamen fuerit interpretari, ludo illi atque hilaritati rem hanc triſtem veluti næniam interueniſſe, nempe caſum.

Hæc de Pallio. De capitis, ac pedum tegmine in tertia huius Operis parte, ſi vita ſuppeditabit, diſputabimus.

Laus Deo, Deiparæ Virgini, ac D. Antonio.



INDEX AVCTORVM,

Qui in hoc Opere laudantur, illustrantur, aut emendantur.

Prior numerus Partem, alter Paginam denotat.

A

Acron reprehensus I. 16. 25. MS. 29: 77. 207. lapsus. 223. II. notatur. 14: 60, 78. emendatur. 197.

Aelianus. I. 177. 229. 237. II. 29. 98. 122. 135. 148. 161. 172. 177. 181. 182. 184. 195. 210.

Aeschines. II. 153

Afranius explicatus. I. 46. 424

Albinus. I. 109

Nicolaus Alemannus. I. 107

Andreas Alciatus. II. 250

Aldobrandinus notatur. I. 183

Alcuinus. I. 187. 199

Clemens Alexandrinus. I. 252

Alexander ab Alexandro. II. 31

Anthologia. I. 48. II. 136

Ammianus in Anthologia. II. 200

Ammonius. II. 22. 105

Appianus. I. explicatur. 6: 12. 14. 44. 71. 136. 127. 139. 143. 146. 155. 156. 176. 206. 209. exponitur, 256: 258. 261. II. 111. 113. 125. 138. 140. 141.

Eius Interpres notatur. I. 12. 260. II. 101. 126.

Fortunatus Amalarius. I. 110. 111

Ammonius. II. 197

Anastasius. I. 188

Apuleius. I. 71. 98. 183. correctus, 189. 241. 253. II. 11. 94. 121. 160. 166. 175. explicatur.

Archestratus apud Athenæum. II. 182

Ioannes Argolus. I. 114

Aristophanes. I. 241. II. 147

Ei Scholiastes ibid. I. 153. 167. 168. e *Interpres.* 171. 184. 207.

Aristophanes explicatur. I. 11: 149. 153. 154. 170. 171. 177. 184. 207. 210.

Eius interpres notatus. II. 150.

Vetus interpr. 153, 170. 178. 210

Aristoteles. II. 52

Arrianus. II. 202

Arnobius. I. 75

Artemidorus. I. 24. 71. 93. 184. 224. 252. II. 5. 30. 54. 57. 65. 68. 82. 96. emendatus, 143: 147. 168. 171. 176.

Asper, Prolegomenon in Terentium auctor. II. 130

Athenæus. I. 2. expenditur, & exponitur: 5. 242. II. 6. 22. 66. 68. 134. 140. 147. 148. 152. 153. 171. 175. 184.

Athenæi interpres notatur. II. 22

Auctor librorum ad Herennium. I. 12. II. 120.

Auctoris Electa. I. 38

Auctor Dialogi de Causis corruptæ elo-quentiæ. I. 99. 106. 210. II. 55. 70. 82

Libri de utraque Pœnula. I. 90

Index Auctorum.

D. Augustinus. I. 195. II. 59.
Antonius Augustinus. I. 163. notatur.
Ausonius I. 99. declaratur: 141. 143. 153. 154. 155. 156. 202. II. 194.

B

Hermolaus Barbarus. II. 33
Cæsar Baronius reprehenditur, I. 50: 91. 104. 105. 110. 112. 201. probatur, 221. II. notatur. 59. 190. 193.
Balsamon. I. 158. II. 58. notatur: 193
Basilius minor. II. 173
Gregorii Nazianzeni interpres. 188.
Lazarus Bayfius I. 149. notatur, 170: 226. II. 23. 138.
Philippus Beroaldus. I. 164. 181. 184. 141. II. 38.
Ianus Boissardus. I. 123. 194.
Bonifacius. I. 110
Ioannes Britannicus. I. 192. 225. II. 44. 48.
Cæsar Bulengerus I. 101, reprehenditur. 191. 202. 221.
Brodæus. II. 32
Georgius Buchananus. I. 212. II. 46.
Guilielmus Budæus. II. 112. 133. 134

C

Ioachimus Camerarius. I. 246
Isaacus Casaubonus. I. 6. 41. 50. 91. 101. 122. 156. notatur, 158: 163. 181. 182. 183. 188. 200. 211. 215. 220. taxatur, 221. II. notatur. 16. 35. 38. 44. 45. 62. 65. 66. 73. 104. 109. 115. 117. 118. 127. 128. 129. 147. 148. 149. notatur, 151: 164. 174.
Cæcilius. I. 247
Iulius Cæsar. I, 31, explicatur, II. 108. 125.
Domitius Calderinus. II. 28. 40. 44
Paulus Caotorta. I. 50
Martianus Capella. II. 93
Iulius Capitolinus. I. 79. 80. 150. 154. 156. 157. 163. 199. 200. 213. II. exponitur, 39. 42. 44. 46. 104. 107. 174.
Cassianus: I. 198. II. 59
Cassiodorus. I. 153
Dio Cassius. II. 2. Eius versio expenditur. 3
Catullus. I. 88. 247. 250
Cauallerius. II. 15
Dio Chrysostomus. I. 220. 222. II. 152. 194. 207.
Iulius Censorinus. I. 251
Cornelius Celsus. II. 37
Ludouicus de la Cerda. I. 110. notatur 200. II. 58.
Charisius. II. 12
Petrus Ciacconius. I. 91
Cicero. I. 2. 22. *Eius Interpres* notantur ib. *Cic.* explicatur 24. 25. *Interpres eius* tangitur. 25. 36. 37. 40. 56. 65. 66. 70. 71. 72. 73. 74. 81. explicatur. 82. 83. 94. 136. 139. 140. 142, declaratur. 145. 227. 147. 148. expositus. 172. 189. 193. 194. 195. 203. 204. 208. 222. 248. 249. II. explicatur. 1: 38. *Eius interpres* notatur. 60. 68. 82. 98. 99.
Cic. mutilus exponitur. II. 101. 102. 154. 166. 175.
Philippus Cluuerius. II. 113
Codex. II. 108
Concilium Ratisbonense: I. 113
Ephesinum. I. 113
Gangrense. II. 58
Colerus. I. 223
Columella expositus. II. 45. 118
Sebastianus Corradus. I. 139
Cornificius. I. 133. 232
Cornutus in Terentium. II. 130
Petrus Crinitus. I. 52

Cruſerius. I. 52. II. 111
Iacobus Cuiacius. I. 59. II. 92
Q. Curtius. I. 197. 234. 237
S. Cyprianus. I. 48. 98. 179. II. 189.
S. Cypriani Acta. I. 112. II. 59

D

Iacobus Dalechampius notatur I. 5. probatur. 149. II. 66. arguitur.
Ioannes Diaconus. I. 110
Demoſthenes. II. 134. 153
Dio Caſſius. I. 33. 35. emendatur. 41. 41. 63. 69. 72. 73. 80. 81. 82. 84. 93. 101. 136. 137. 138. 139. 141. 153. 157. 167. 169. 177. 195. 197. 201. 205. 210. reprehenſus, 211: 213. 214. 216. 252. exponitur. 209. 261. *Eius interpres* notatur.
Dio vellicatur II. 22. 54: notatur. 54. 62. 69. 73. 74. 96. 98. 103. 119. 120. 125. 126. interpres eius taxatur 160.
Diodorus Siculus. I. 241. II. 112. 127.
Digeſta. II. 11. 90
Domitius Calderinus. I. 164
Marcellus Donatus notatur. I. 5. 11. II. 31.
Donatus. I. 250. II. 53. 130. 153.
Io. Baptiſta Donus. II. 65. 82. 83

E

Ennius. I. 210
Epictetus. II. 161. 202
Ericus autor vitæ S. Germani. I. 134
Epiphanius. I. 9
Etymologus I. 2
Etymologici Autores. II. 97
Eunapius. II. 186. 193. 201
Interpres eius deceptus, *ib.*
Euripides. II. 175
Euſebius. II. 191. 198
Euſtachius. II. 29. 135. 167. 177
Euthymius. I. 181. 221

F

Petrus Faber refellitur. I. 82. 232. 253. 258. 259. II. 45. 60.
Thomas Farnabius. I. 164. 191
Franciſcus Bernardinus Ferrarius. I. 18. 101.
Sex. Pomp. Feſtus. I. 6. 31. 44. 55. 57. 77. 135. 151. 152. 153. 156. 165. 168. 170. 177. 205. 209. 221. 223. 237. 239. 242. 243. 247. emendatur, 75. II. 18. 33. 57. 77. 120. 140. 210. emendatur, 208.
Verrius Flaccus. I. 152. II. 128
Curius Fortunatianus. I. 114. 118. 119. 122.
Frontinus. I. 43. 44
Fronto apud Gellium. I. 250

G

Gallus. II. 2
Ioannes Galuanus. II. 94
Sigiſmundus Gelenius. I. 57
Aul. Gellius. I. 3. 50. 67. 100. 173. 177. 196. 198. 250.
II. 2. 22. explicatur 70: 76. 82. 92. 139. 174. 210.
Gemma Animæ. I. 106
Gloſſarium. I. 44. 152. 197. correctum 198. *Vetus.* 240. II. emendatum. 14: 23. 43. 83. 137. 175.
Gloſſographi Sacri. I. 105
Gotofredus. II. 37
Grammatici veteres. I. 179. II. taxantur. 37: 167.
Græci. II. 115
Ioannes Fredricus Gronouius. I. 22
Ianus Gruterus. I. 133. vindicatur. 240. 244.
Guilielmus. II. 213.

H

Dionyſius Halicarnaſſeus. I. 11 rejicitur 52: 71. correctus 144. illuſtratur. 145. 146. 216. II. 32.
Nicolaus Heinſius. I. 248
Herodianus. I. 71. 72. 80. 81. 138. emendatus 154: 201. 213. 216. II. 6. 7. 73. 93. 99. 113. 126. 127. 128. 129.
Eius interpres notatus. II. 202. 6.
Heſychius. I. 172. 179. 180. 183 II. 5. 6. 20. 21. 29. 39. 46. 47. 92. 95. 136. 137. 162. 167. 175. 177. 208. 210. emendatus 209.
D. Hieronymus. I. 188. II. 46. 189. explicatur, 191. 192
Hirtius. II. 101. 126
Homerus. I. 179. II. 20. explicatur, 21. 39. 135. 159. 162. 163. 167. 168. 171.
Homeri interpres taxatur. II. 21. 135.
Horatius exponitur. I. 16: 24.
Eius interpretes notantur. 29. expoſiti. 224. *Vetus interpres M S.* 29. explicatur. 43: 148: 56. 64. 69. 73. 166. 175. 180. 183. 190. 191. 192. 195. 207. 222. 223. enodatus: 226. 227. 231. 232. 253. 254. 255: 225. 259.
II. explicatur. 12. 14. 53. 60. 77. 101. 113. 118. 121. 125. 132. 197. expoſitus 198.
Horatii Interpretes. I. 72
Franciſcus Hottomannus. II. 91. 92
Hygenus. I. 30

I

D. Ioannes explicatur I. 176. 217.
Iſidorus. I. 7. tentatus 45: 57. 66. 67. correctus 107: 160. 188. 205. 224. notatur 225. 231. 237. II. 5. notatur: explicatur 29. reprehenditur. 37. 47. emendatur 57: 58. 122. 123. 136. 140. taxatur 159. corrigitur. 113.
Iſidorus Peluſiota. I. 221.
B. Iuo Carnotenſis. I. 109. 111. 183
Franciſcus Iuretus. I. 100
Iuriſconſulti. I. 158. II. *eorum lapſus.* 91.
Iuuenalis explicatur. I. 9. 55. 64. 71. 93. 96. 97. 99. declaratur 101. 139. 155. 165. 167. 170. 178. 191. 203. 204. 209. 210. 215. 224. 232. 251. 253. 255. 256. 260. II. exponitur 9: 19. 20. 24. 25. 27. 35. 41. 42. 43. 44. 47. 49. 55. 58. 69. 88. 102. 120. 123. 131. 137. 183. 194. 211.
Eius vetus interpres notatur I. 48. *M S. Ambroſianæ bibliothecæ.* 134. 155. emēdatur 171. explicatur. 192. 193. 210. correctus 216. 224. 251. 255. 257.
Interpretes reprehēduntur. I. 101. 216
Vetus Interpres. II. 9. 24. emendatur. 25: 41. 58. 59. 102. 131. 137. notatur 42. 43. explicatur 47. taxatur. 49.

K

Kercoetius. I. 6 97. 200

L

Lactantius Grammaticus. I. 31
Diogenes Laertius. I. 179. 188. II. 152. 171. 177. 182. reſtitutus, 183. & declaratur, 184. 195. emendatur 197. ſuſpectus. 198. 200. 201. 203. *Interpres eius* notatur. II. 6
Dionyſius Lambinus. I. 16. 25. notatur, 29. 133. 175. notatur, 208. 224. 238. 29. 244. 245. 246. 247. 272.

Aelius Lampridius. I. 63. 79. 80. 101. 133. 150. 151. 152. 154. 156. explicatur 158: 170. 181. 182. 183. 188. 200. 212. 213. 214. 215. 216. 258. declaratur. 260.
II. 19. 70. 72. emendatur 73: 74. 95. eiuſdem lapſus. 76. 90. 119.
Ioannes de Lazara. II. 83
Ioannes Leonclauius notatur. I. 210.
Fedricus Lindenbrogius. II. 112
Carolus Stephanus Litta. I. 4
Iuſtus Lipſius refellitur. I. 3. 4. 31. 32. 33. 36. 54. 55. 60. 64. 66. 67. tangitur 68: 69. 71. 79. 86. redarguitur 88: 91. 95. 96. 97. 98. 139. 143. 146. 155. 163. 184. 185. 197. notatur 203. 213: 222. 242. 256. 257.
Titus Liuius. I. 14. 16. 33. 45. 52. 66. 67. 93. 94. 97. exponitur 129: 136. 137. 153. 166. 173. 174. 232. 237. 240.
II. probatur. 5. notatur. 16: 18. 50. vindicatur 54: 56. notatur. 69: 87. 89. 100. 101. 102. 104. 109. 160.
Liuii Epitome. I. 81. II. 105
D. Lucas. I. 17. 6II. 134
Velius Longus emendatur, & exponitur. II. 92.
Lucanus explicatur. I. 16. 29. 71. 140. 242.
Lucianus. I. 5. 175. 178. 179. 232. 242
II. 121. interpretatio eius notatur 147: 167. 170. 171. 173. 175. 180. 184. 185. 188. 189. 194. 195. 201. 202. 207. 211.
Lucilius. I. 243. 246. II. 12. 14. 29. 68. 147. 187.

M

Ammianus Marcellinus. I. 60. 68. 96. 183. 258. 201. expoſitus 203. II. 31. 38. correctus 56: 112. 128. 174.
Macrobius rejicitur. I. 17. correctus & explicatur. 39. 40. taxatus. *ibid.* *MS. ib.* 77. 78. *MS.* 143. 228.
Ioannes Maldonatus notatur. I. 176
Nonius Marcellus. I. 46. 65. 67. 71. 75. 83. 160. emendatur 165: notatur 166: 169. 175. 178. 180. 215. 231. 239. 240. 241. 242. 243. 244. notatur 247: 248. II. 68. tentatur 77: 98. 108.
Theodorus Marcilius. I. 68
Martialis Scholiaſtes notatur. I. 87
Martialis Interpretes. I. 86
Aldus Manutius. I. 2. refellitur 3: 17. 23. 24. 39. 42. 48. 66. 70. 77. 84. 93. 94. 134. 136. 140. 142. 153. 172. 173. 175. 184. 193. notatur, 204: 222. 252.
D. Marcus. I. 176. II. 39
D. Matthæus. I. 175
Rabanus Maurus. I. 188
Valerius Maximus. I. 2. 11. 14. 37 40. 43. declaratur 44: 49. 71. 72. 143. 144. 153. 176. correctus 222: II. 99. 100. 113. 122. 126. 138. 143.
D. Marcus. II. 134
Martialis. I. 16. 36. 53. 54. explicatur 55: 56. 59. 68. 71. 73. 79. 86. 121. 122. excuſatur 127: notatur 131: 149. 105. 211. explicatur. 91: 92. 94. 96. 98. 100. 101. 136. tentatus. 155. *MS. Florentinus.* 164: 165-166. 169. 170. 180. 192. 215. exponitur, 223: 228. 237. 251. 256. 259.
Martialis. II. 9. 10. 12. exponitur, 13: 18. 19. 20. 24. 26. 28. 30. 31. 32. 35. 37. 40. 41. 43. 45. 47. 49. 50. 52. 54. 55. 56. explicatur & emendatur. 60: 66. 70. 71. declaratur. 77: 87. 88. 89. 92. 95. 108. 110. explicatur 123: 137. 167.

Maſſanbertus. II. 54. explicatur 196
D. Matthæus. II. 134
Menander. II. 22. 202
Ioſias Mercerus. II. 23. 160. 161
Hieronymus Mercurialis notatur. I. 192.
Paulus Merula. II. 50
Meſſala. II. 14
Andreas Moretus. II. 144
Morychus apud ſcholiaſtem Ariſtophanis. II. 180
Moſes. II. 167
Antonius Muretus. I. 96. 143. II. 4. refellitur.

N

Naevius. I. 241. 247. II. 37
Cornelius Nepos. I. 147. 163
Niceta. I. 200.
Niceta Aconinatus. II. 164
Nonnus. I. 183. 241. correctus, 243. II. 29.

O

Oppianus. II. 151
Sertorius Orſatus. II. 85
Ouidius. I. 15. 30. 56. 60. 69. 77. 88. 91. 99. 101. 148. 180. 196. 208. 212. 214. 223. illuſtratur 224: 226. 227. correctus 228: 231. 232. 233. 240. 242. 243. 244. expenditur 248: 249. 250. explicatur. 253. 255. II. 2. 12. 120. 137. correctus 211.

P

Pacuuius. I. 12
Aſconius Pædianus. I. 3. notatur. 49. 76. 173. 174.
Papias. 160. 165. 166
Palladius. II. 63
Velleius Paterculus. I. 11. 141. II. 105
Pamelius. II. 124
Guidi Panciroli lapſus. II. 51
Pandectæ Florentini taxantur. I. 232
Ianus Parrhaſius notatur. I. 30
D. Paulus. II. 67
Paulus Feſti abbreuiator I. 77. 151. II. 5.
Pauſanias. II. 163. 168.
Eius interpres notatur. *ib.*
Aul. Perſius. I. 17. 69. exponitur. 127: 135. 170. 246.
II. 12. 14. explicatur 16. 20.
Perſii vetus Interpres. I. 2. mutilus, 46: 69. 106.
II. 5. 57. taxatur 78.
Petronius. I. 6. 12. 37. explicatur. 38: 88 194. 215. emendatur 222: 227.
II. 16. explicatur 17: 24. 39. 83. 140. emendatur. 189.
Phædrus. II. 39
Iunius Philargyrius. II. 59
Philemon Comicus apud Laertium II. 200.
Philon. I. 283.
Philoſtratus I. 242. II. 22. 34. 91. 165. 166. 175. dilucidatus 176: 179. 182. 184. 185. 186. 187. 207.
Pindari Scholiaſtes. II. 147
Pincianus. I. 149
Pithoeus. II. 58
Baptiſta Pius. I. 241. 243. 247
Plato. II. 57. 147
Plautus. I. 31. 37. 40. 175. 180. 184. 189. 194. 197. 232. 233. 238. 239 declaratur. 241: 242. emendatur 243: 244. 245. 250. 255. 257. explicatur 258. II. enodatus 27: 33. 97. 138. 147. 151. 162. 168. 173. 180. expoſitus. 206.
Eius interpretes notantur. II. 211. 212.
Plinius maior. I. 11. 48. 53. 54. declaratur 55. emendatur. 57: *M S.* 58: 59. reſtitutus, 60. defendi-

tur,

tur, 61: 62. 67. 73. 134. 135. 137. 144. 147. 148. emendatus, 149. illustratus, 150. correctus. 152: 153. 156. explicatur, 160. *M S. in bibliotheca Ambrosiana*. 161. 174. 180. 185. declaratur 209: 227. 244. 247.
II. emendatus, & explicatus. 12: 26. 32. 33. expositus. 35: 38. 48. 53. 54. 77. 96. 100. 101. 102. 108. 120. 125. correctus 133: 138. 162. 167. 187.
Plutarchus. I. 3. II. 12. explicatus, 14: 18. 20. 22. 26. 32. 33. 35. 37. 38. 39. 43. 44. 49. 52. 66. 71. 77. 95. 98.
Versio eius reprehensa. 136.
Eius Interpres 137. 142. 148. 153. 176. 162. 163. 172. 195. 168. 173. 154. 177. 178. 192. 193. 195. 196. carpitur. 198: 199. 204. 205. 226. 252. 257. explicatur 111. 116. 123. 125. 132. 133. 134. 135.
Plutarchi Interpres damnatus II. 102. 111. 134. 135.
Angelus Politianus taxatur. I. 72. 138. 154. laudatur. 201.
II. 129.
Trebellius Pollio Vid. T.
Iulius Pollux I. 169. 199. 251. II. 20. 24. 28. 29. 31. 39. 67. 121. 125. 136. 167. refellitur 171: 207. 208. 209. 210. II. 6. Eius interpres notatus. *ibid.*
Antonius Popma reprehensus. I. 162.
Isacus Pontanus. I. 78
Polybius. I. 2. 67. 156
Polyænus. II. 111. 112
Porphyrio emendatus. I. 29. 148. 224. 225. II. 101.
Priscianus. II. 12. 14
Propertius. I. 71. exponitur. 141. 190. 251.
II. 2. 11. 48. 137.
Cassianus à Puteo laudatus. II. 7. 78. 198.

Q

Fab. Quintilianus. explicatur. I. 4. 11. declaratur 13. 18: 23. 42. 40. 73. illustratur. 74: 102: 114. 118. 119. tentatur 121. emendatus. 122: 126. 127. 169. 170. 194. 206. 207. 208. 209. 256.
II. 33. explicatur. 52. emendatus. 53: 54. 69. 70. 142. 144. 211.

R

Matthæus Raderus notatur, II. 61. 196.
Ramiresius. II. 54
Beatus Rhenanus. II. 191
Ioannes Rhodius. I. 51. 123. II. 33. 35.
Nicolaus Rigaltius. II. 89. 143. 169
Philippus Rubenius tangitur. I. 18. adscritur 118. 229. 256.
Ianus Rutgersius notatur II. 43. probatur. 44.

S

Marcus Sabellicus notatur. I. 165. II. 38.
Claudius Salmasius. I. 2. 6. 11. 13. 17. 42. notatur, 47. probatur. 60. 66. 149. 150. 158. 159. 166. 182. 200. refellitur, 217. 225. 227: laudatus 261.
II. 23. refellitur, 45. laudatus. 46. 57. 58. 62. 63. 73.
Eunapii Sardiani interpres notatus. I. 137.
Sallustius. I. 84. II. 101. 102
Iulius Scaliger. II. 131
Ioseph. Scaliger notatur. I. 31. 162. 163. 206. 240. 251.
II. notatur. 12. 13. laudatur 33. 37. 128. 163.

Gaſpar Scioppius. I. 48. II. 23
Petrus Scriverius. I. 164
Q. Serenus exponitur. I. 243.
Marius Seruius Honoratus. I. 30. 31. emendatus, 45: 46. 144. 146. notatur, 153: 166. 168. 170. 194. 195. 197. 231. 232. 258. II. 44. 53.
Seneca Philoſophus. I. 15. 24. 37. 59. 62. 67. 68. 87. 96. 98. 100. 139. declaratur 143: 163. 183. 184. expoſitus & emendatus: 185: 190. 195. 196. 197. 222. 227. 260.
II. exponitur. 1. 3. vindicatur. 4. 16. 18. 19. notatur. 42. explicatur 50: 54. 55. 56. 57. 69. 83. 87. 88. 117. 126. 127. 166. 177. 211.
Serrarius. I. 9
Antipater Sidonius. I. 153
Carolus Sigonius. I. 2. refellitur 5: 11. *eiuſdem* lapſus. 30: 39. 43.
Silius Italicus. I. 30. II. 108
Simplicius. II. 161
Nicol. Perottus Sipontinus notatur. II. 10.
Soſicrates apud Athenæum. II. 184
Aelius Spartianus. I. 33. 46. 63. 79. 84. 85. 121. 209. 215.
II. 62. 74. 75. corrigitur, & explicatur. 75: 76. 119. 128.
Statius. I. 31. 71. 208. 209. 212. exponitur, II. 108.
Henricus Stephanus. II. 57. 66. 133
Strabo. I. 93. 173. 215. 237 II. 13. 105. 112. 113. 117. 118.
Eius interpres tangitur. I. 237
VValefridus Strabo. I. 111
Suidas. I. 71. II. 6. 39. notatur 57: exponitur. 58. 67: 143. 210.
Suetonius. I. 3. exponitur. 13. 14. 15. 30. 33. 35. 36. 39. 41. 42. 56. 79. 80. 83. 84. 88. 95. 100. 102. 122. 129. 144. 145. 153. explicatur 163: 164. 175. emendatur 181: 184. 187. 194. 197. 207. 209. 210. 211. expoſitus. 213: 215. 234. 256. 259.
II. 38. 63. 88. 90. 94. 103. 104. 108. 111. 120. 127. 132. 138. 163.
Seuerus Sulpitius. I. 29. *eius* lapſus. 30. II. 59.
Sulpitia. II. 47
Fridericus Sylburgius. I. 145
Symmachus. I. 100. 154. 155. II. 23. correctus.
Syneſius. II. 194
Synodus Gangrenſis. I. 158. II. 193

T

Cornelius Tacitus. I. 62. 63. 71. 80. 93. 95. 97. 135. 146. 155. 156. 167 213. 258. 260. II. 96. 100. 108. 111. 113. 119. explicatur. 138: 166.
P. Terentius. I. 250. II. 53. 151. 153
Tertullianus. I. 1. explicatur 10: notatur 17: 47. lapſus. 48: 78. explicatur 79: 102. expenditur. 115. emendatur 117: 119. 120. 121. 127. 178. 179: 198. 240. 243.
II. 23. 63. 67. 140. 155.
Eius interpres. ibid. correctus, & emendatus 89: 123. exponitur. 124: 160. 161. 185. 189. 191. 196. 209.
Theocritus. II. 22. 39. 166. 208
Theodoſius. I. 183. 184. 261. II. 59
Theophylactus. I. 220
Theophraſtus. I. 246. II. 149
Thucydides. II. 152. 153. 162
Thyleſius notatur. I. 250
Tibullus tentatus. I. 15. explicatur. 122: 131. 223. 233.
Titinius. I. 67. 244
Robertus Titius. I. 31. II. 12 163
Leuinus Torrentius. I. 164. refellitur 181: 184. 210. 213.
II. notatur. 10: 104. 111.
Trebellius Pollio. I. 81. 157. 158. explicatur. 159: 205. II. 34. emendatur. 35.

108. 111. 115. 123. 124. 127. 128.
Adrianus Turnebus notatur I. 15: 18. 24. 25. 30. 101. 135. 136 144. 151. 158. 159. 162. 190. notatur 195: 196. 205. 210. 212. 213. 223. 224. 239. 241. 245. 246. 248. 250. 251.
II. 13. 25. 28. 43. 44. 50. 58. 104. 127. 128. 160.
Turpilius. I. 243

V

Valesius. II. 31
Valtrinius. II. 99. 109
M. Terent. Varro. I. 53. 56. 65. 71. 75 77. 78. 83. emendatus 160: 162. tentatus 163. declaratus 175: 178. 180. 208. 231. dubius 239: 240. 241. 242. 243. 244. 247. 251.
II. 12. 18. 19. 37. 46. 65. 68. 102. 108. 111. 118. 120. 137. 208.
P. Vegetius explicatur. I. 251
Ioannes Veslingius. I. 114
Sextus Victor. II. 62
Petrus Victorius refellitur. I. 5
Virgilius. I. 59. 60. 145. 146. 154. 166. 168. 170. 171. 194. 231. 233. 241. 250. 251.
II. 96. 119. 127. 164.
M. Vitruvius Pollio. I. 223
Vlpianus. I. 51. 206. 231. correctus. 232: 252. II. 29. 91. 138.
Flavius Vopiscus. I. 63. 65. 81. 151. 182. 203. 205. 258. II. 56. 57. 115. 123. 128. 139. 159.
Gerardus Vossius. I. 164. II. 12
Fulvius Vrsinus. I. 91

X

Xenophon. I. 173. II. 142
Xiphilinus taxatur. I. 42. 88 II. 6. 62. 99. 103. explicatur 118.
Xiphilini interpres. I. 41. notatur 138. II. 90. 118.
Guilielmus Xylander notatur II. 173. 215.

Z

Zonaras. I. 158. II. 58.

INDEX

RERVM, ET VERBORVM Memorabilium

INDEX.

A



Bolla non fuit toga, nec veſtis ſenatoria. I. 164. ſed pallium. 165. Duplex. 166
Aduocati toga uſi. I. 98
Ædilium munus. II. 201
Ægyptiorum veſtes laneæ, tunicæ lineæ. II. 166
Æſculapii nummi. II. 204
Ἀκρόμαλον. II. 117
Alicula. II. 91. 92. Eius notatio. 95
Alicula, chlamys puerilis. 93
Alica. 95
Amictus. II. 136
Amiculum chlamydi ſimile. I. 237 etiam meretricum. 238
Amorginum. II. 167
Amipſias æmulus Ariſtophanis. II. 182.
Amphimalla. I. 58
Amphitapetes. II. 29
Amphimallum. Ἀμφίβαλον, ἀμφίβολον I. 171.
Amphimallum à gauſapa diuerſum. II. 12. 28.
Ἀμφιμάχαλον Ingenuorum. II. 209
Ἀναβολή, ἀναβόλαιον. II. 136. 149
Ἀναβάλλεσθαι ἱπτιδίξια. II. 6. 147
Ἀναβάλλεσθαι. II. 149. 159
Ancillarum veſtis. I. 253
Anguſticlauii. I. 212
Antonius Caracalla. II. 62
Antonianæ, talares. II. 62
ἀπλῶσαι. II. 197
Arcularii. I. 248
Ἄρραφος. I. 217
Aſcetriæ mulieres tribonium geſtarunt. II. 193
Aſema tunica. II. 215
Aſſyria, & Serica veſtis. I. 62
Ἄσσον. II. 112
Aue togatorum. I. 96
Aſcetarum Chriſtianorum habitus. II. 189.
Aulæum. I. 155
Aurum meretricibus conceſſum. I. 254 255.

B

Balneatis veſtis. I. 170
Baltheus togæ, vmbo. I. 116. 127. quid. 118.
Quando delapſus. I. 121
Bardocucullus. II. 43
Baſilica. I. 239. 243
Βαθύμαλον. II. 117
Baxea calceus. II. 160
Benedictinorum veſtis. II. 46
Belgæ Romæ ſaſſamenta ſuppeditabant. II. 118
Birrus, & Berus idem. II. 58
Birrus, Lacerna. I. 112. 171.
Birretum. II. 43
Birri I. 158. 159. lacernæ, & chlamydes. 181
Birri Lacernæ, à chlamydibus diuerſi. 261. II. 59. non penulæ. II. 57. nec

semper precioſi. 58
Birrus pro lacerna. II. 43. 57. 59
Birri Canuſini. 56
Blattæus color. I. 151
Bombycinum, Sericum: duplex. I. 60
Bombycina veſtis. I. 63
Brachium toga continebatur. I. 22
exerere. I. 29. 152
cohibere. 142. 153
Buccinum. II. 54
Bulla aurea laribus appenſa, toga ſumta. I. 135
Burrus. Rufus. II. 57
Byrrhus Lacerna; communis. I. 112. 172.
Byſſus. II. 169. 166.
Byſſina verba. 166

C

CAdurcum. II. 47
Cæſicium linteum. I. 240
Calcei nobilium nigri. I. 258
Calcei togæ proprii. I. 36. II. 160
Calendæ Ianuariæ ſolennes. I. 154.
Callaicæ. II. 47
Caltula. I. 241
Camæ. I. 188
Camiſa. I. 109. Camiſia. Camiſium. 187. 188.
Candidum pro *albo*. I. 67. *ſplendeſcente*. ibid.
Candis veſtis Perſica. 173
Canuſina veſtis, Penula. II. 67.
Caput inuoluere toga. I. 32. pallio. 36
aperire. 32.
Caput qui opertum à Romanis, & Græcis. II. 210
Cappa. I. 213
Caracalla, veſtis. II. 62. clericorum. 63.
Carpetta. I. 200
Carinum. I. 244. Carinarii. ib.
Caſtula. I. 241
Caſula Sacerdotum. I. 104. 105. 107. 113.
Cato ſenior ſophiſtas vrbe eiecit. I. 48
Canuſinatæ penulæ. II. 4
Capitium ignoratur. 5. 46. quid 49
Celtarum habitus. II. 111. 112
Centones, ſeruorum veſtis. II. 118
Cerinum. I. 244
Cerinarii. 245
Cethegi exerti, & cinctuti. I. 29. & cur. 30.
χειρὶς. II 121
χιτὼν. I. 172. 210
Chlamys Romanorum. I. 9.
militaris. 82. II. 91. Sagum. 97.
Impp. Græcorum, & Romanorum Paludamentum. II. 98
Græcanica diuerſa a Caſtrenſi. I. 163. II. 12. alba.
Macedonica. I. 68
Siloſontis. *Prouerb.* 237
χρῶμα ἀληθινὸν. I. 159
Chlæna. II. 20. eius vſus. ib. 21.
Simplex: duplex. ibid. 21
χλαμὺς. II. 5. eius ſynonyma. 68. notatio. 91.
χλανὶς. χλανίδιον. 22.
χλαῖνα χλανὶς, vt differant. II. 22.
à tribonio diuerſa. 179
Chlænæ purpureæ. 24
Chlænæ à chlamyde diuerſitas. 23. 115.
Chlamydis ſpecies. 91
Chlamys muliebris. 96
Cinctum & Campeſtre, idem, I. 30
Cincticulum. 31
Cinctus. I. 194
Cinctus Gabinus. 43. 44. 45
Eius origo. 46
Cinctura pro tunica cincta. 74
Cincti, ideſt, habentes tunicas cinctas. ibid.
Chlamydula. I. 96
Chlamydis magnitudo. 38
Chlamys Xerampelina. 58
Chlamydis forma. 105

Chla-

Chlamys Macedonica, & vulgaris. 105
Chlamys breuior. ib.
Fibulata. 108
Chlamys Mantuelis. 115
Chlamys Macedonica; Romana. 115.
Aurata barbarorum. 119
Græca varii coloris. 125
Græcanica Caſtrenſis. 127
Romana alba. ibid.
non contrahebatur ſupra genua. 148
Chriſtus pedes lauat depoſito pallio. I. 183.
Craſſa, villoſa. 182
Circulus pullatus. I. 102
In circo factionum color. *II.* 51
Citharoedorum lacerna aurata. 120
Ciuilis habitus, ideſt, toga communis. 157.
Claui tunicæ purpurei, anguſti, lati. I. 206. quid 208. 240.
Clauum latum tribuere; adimere. 207
Clauus anguſtus. 212
Claui purpurei mappis, & linteis aſſuti. 215
aurei in tunica triumphali, iue palmata. 216
Clauilati, & auguſti ſoli tunicæ inditi. *II.* 109
Coccina lacernæ coccineæ. *II.* 51. 52
Colobium. I. 109. 197. 198. in ſacris. 199. eius vſus. 258
Color varius muliebris cultus. I. 249
improbus. *II.* 54
Canuſinus. 56
Fuſcus. ibid.
Amethiſtinus.
Amygdalinus, ſiue Caſtaneus.
Aureus.
Cæſius. I. 249
Cerinus. 250
Cœruleus. 250
Croceus. ibid.
Cumatilis. 244
Ferrugineus.
Galbeus, & galbinus. ibid.
Glaucus.
Hyalus.
Hyacinthinus. *I.* 249
Myrcus. 250
Roſeus.
Venetus.
Vndulatus. ibid.
Commodi Imp. habitus. I. 80
Comœdiæ Palliatæ, ac Togatæ. *II.* 130.
ideſt Græcæ, & Latinæ. 131
Togatæ nobiliores ſiue prætextatæ: minus nobiles. 131
Comœdiarum Togatarum autores. 133.
Latinæ Prætextatæ, ac Togatæ. 132
Trabeatæ. ib.
Tabernariæ. 131. 133
Compedes aureæ. *I.* 227
Conſules ἐπώνυμοι. I. 154
Conuiuiorum miniſtri. *I.* 181
Cotta. *I.* 189. *Cottula.* 190
Coloratum. II. 4
Creta Cimolia, Sarda, Vmbrica. *I.* 67
Crocotula. 241
Crocotularii infectores. 189
Crocotarii. 248
Crepidæ pallio peculiares. II. 160
Critici laus, quædam ignorare. I. 161. 239. multa jis obſcura. 248
Critici recentiores notantur. I. 153
Cucullus. *I.* 113. etiam ingenuorum. 259.
II. quid. 41. Eius notatio. 46. cum lacerna. 41. cum penula. 83
Liburnicus. 41. Monachorum. 46
Cynicorum pallium. I. 9. duplicatum. 178. 179. Veſtis. 48. Subucula. 50. 178.
Cynici ſine tunica, & interula. II. 194. 195. 200.
Comati. 179. tonſi. 197
Cynicorũ autor Hercules. II. 194

Cynici figura. II. 198
Cynicorum patientia. II. 200
Cynicæ sectæ mulieres tribonophoræ. 202.

D

DAlmatica. I. 111. tunica. 199
Eius vsus sacer, & profanus. 111. 199. non fuit regium vestimentum. 200. sed Diaconorum. 203
Δασύμαλλος. II. 117
Deorum statuæ sine tunica. II. 195. 204
Dextram trans pondera porrigere. I. 24
Diabathrarii. I. 247
Discinctus. I. 195
Diogenes διπλοσίματος. II. 197
Διπλοῖς pallium. II. 197. etiam commune. 198
Diphthera seruorum quid. II. 207. Item pastorum, & agricolarum. ib. Scortea. 208
Donum Senatus Toga picta. II. 153
Duces nunquam paludati intra vrbem. II. 103
Duplex vestimentum quid. II. 21

E

Ἐγκόμβωμα. II. 209
Electa Ferrarii. I. 114. 132
Endromis quæ vestis, eiusque vsus. II. 23. athletarum. 23. 24. etiam calceus. 24
Ἔνδυτα. II. 21
Ἐπίβλημα. II. 136
Ἐπινέξια. II. 147. 152. 154
Ἐπαρίσυρα. II. 154
Ἔφεδρος. II. 5. 6
Episcopi veteres communi vestitu vsi. II. 59.
Episcoporum vestitus simplex, ferè fuscus. 193
deinde floridus. ibid.
Ἕδνα Græcis togam semper denotat. I. 73
Ἑτερομάσχαλος. II. 209
Eunuchis chlamys vetita. I. 182
Exauctorationis ritus. II. 119. 123. 139
Exerti. 29. 30
Exomis. I. 113. 177. 198. II. 165. seruis propria 207. 209. etiam liberorum. 210.
& Cynicorum. ibid.
qualis 209
Eius vsus. 210
Expapillatum. I. 31
Ἐξωμίας Cynici. II. 210

F

FAno. I. 110
Feminæ gratis lauabantur in balneis. I. 193
Festiuitatum togæ. I. 69
Fibula togæ nulla. I. 51
Fibulæ, ῥαφαὶ, & ῥαφίδες, Suturæ. 217
Fibula nectebatur lacerna, & chlamys. II. 30.
Tunica. 31. Trabea. 32
Fibula non est insigne Tribunitium. ib.
Fibulæ vestiariæ figura. 33
Fibula chlamydis. II. 108. 159. & Chlænæ. 159
Sagi Gallici. 112
Iberici. 113
Germanici. ib.
Pallii nulla. 155
Fibula Theatralis quænam. I. 35
Fibrum. II. 37
Fimbria. 37. quibus addita. 38
Flaminum vestis. I. 168
Flammeum. I. 245. II. 140
Flammearii. I. 245
D. Francisci cucullus. II. 46
Frangiæ. II. 38
Fucus herba. II. 53
pro fraude. ib.
tinctura. 54

Fusca penula. II. 87
Fullonum officium. II. 171

G

GAlea. Galerus. II. 46
Galbus, ideſt, viridis. I. 151
Galbeus color. II. 50
Galbani mores. ib.
Gallicæ. II. 2
Galerus. 42
Galericulum. ib.
Gaunacum. 179
Gauſapæ. I. 58
Gauſapina veſtimenta. II. 12. 18
Gauſapa, Gauſape, & Gauſapum. ib. quid. 13. II. 137. ab amphimallo diuerſum. 12
Gauſape quadratum: rotundum. 13. 14 balanatum. 14
Gauſapina cubicularia, triclinaria. 14. 22.
Gauſapa quando Romanis nota. 14
Gauſapina coccina. 24
Gauſapæ Tapetes. 29
Gladiatores togati. I. 79. II. 45
Goſſipium Italiæ diu ignotum. II. 163
Græcorum ingenuorum veſtis alba. II. 169. 170.
Græci, ideſt, Philoſophi ſeu Sophiſtæ. I. 48.
S. Gregorii pater num in clero. I. 110
Græcia armata. II. 152
Grus, color veſtis femineæ. I. 243

H

HLitera. II. 93
Habitus communis candidus. II. 192
Hebræorum veſtitus. II. 192
Hercules Cynicæ ſectæ autor. II. 194. 204.
Herculis ſacerdos apud Coos veſtem femineam indutus. I. 252
Holoſerica veſtis. I. 65
Holouera vox Græca. 159
Humerus dexter num exertus è toga. I. 114. 123.

I

Illuſtres Equites. I. 213
eorumque filii ius lati claui habuere. 214
ἱμάτιον. Toga. I. 177
Pallium. II. 133. muliebre. 135
Stragula veſtis. 134
Quælibet veſtis. ib.
Tribonium, ſiue Pallium. 134
Proprie veſtis, quæ tunicæ ſuperinduebatur. ib.
Imperatores togati. I. 79
Purpura veſtiti. 157
II. numquam penulati. 74
Impluuiata veſtis. I. 239
Impuberes gratis lauabantur. I. 193
Indui. Iniici. II. 135
Induſium. I. 175. Intuſium. 240
Inſtita. I. 223. matronarum. 224
Interula Cynicis nulla. II. 200
Iſidorus exſcripſit Seruium. I. 231
Iter facientium habitus. II. 1.
Iuuenalis vetus interpres Probus. I. 49

K

Κ Αρπωτοὶ. I. 200
Κατωνάκη. 209. 210
Κναφεὺς, Κναφεῖον. Κναφικοὶ. Κνάφαι. II. 171.
Κολοβὸς. I 187
Κώνωψ. II. 46
Κράσπεδον. II. 39
Κροκωτὸς. II. 39

L

LAcerna Romanorum. I. 9. qualis 106.

ple-

plerumquè nigra. 104
Cauſidicorum. 209
Neutiquam muliebre veſtimentum. 255. II. 90
Pulla. I. 259. etiam alba. ib.
chlamydi ſimilis. II. 115
Lacinia. I. 13
Laconica veſtis. 244
Lacones ſine tunica. II. 195
Lacernarum vſus quando Romæ cœperit. II. 1. Notatio incerta. 5
Lacernæ Birrhi. 57
Chlamys. ib. & 3
Lacernæ vſus. 9. 10
Lacerna indumentum militare. 2. quale. 7.
Eius Materia 9. Forma. 30. 82
aperta. 78
non cum pileo. 40
pro Cucullo. 43
à chlamyde diuerſa. 59. item à penula. 78. non ſeruilis tantum veſtis. II. 60. non equitum duntaxat, ſed & populi. 73
Togæ luceſsit. 3
Color. 9. 48. 50. 51. 56. 57
aurata. 120
coccina. 24
acu picta. ib. 2
Purpurea. 3
Pulla. I. 4. II. 187
Gauſapina. 19. 26. 27
Leuior. 27
Eius pretium. 49
Honoris ſpecie deponebatur. 63
Læna à Syntheſi diuerſa. I. 88
χλαίνη. 168. qualis. ib.
Eius Notio. II. 18
non fuit toga. I. 168. II. 18
ſed pallium breue. I. 169
λαμπρὰ. ideſt, candida. I. 67
Lanæ genera. I. 53
Ilitrica. Liburnica. Ægyptia. 55
Canuſina. II. 56. 187
Belgis copioſa. 118
Latus clauus, eſt laticlaui tunica. I. 43. 207.
Laticlauiæ textura. I. 59
Laticlauii ſine cinctu. 194. 207
Senatorum filii. 210
Ius equitum. 213
Latinorum χλαῖναι. 20
veſtimentum virile. 63
non muliebre. 27
Læna. II. 18
quî duplex amictus. 19
Lacernæ non diſpar. 19
Eius vſus. 19
Lænula. 22. probroſa. ibid.
Latino ſermone Romani etiam in Græcia vſi. II. 138
Lectus toga ſternebatur. I. 75
Lentulus ſpinther. II. 33
Leuitonarium. I. 198
Leucophæatus color. II. 50
Limbolarii. I. 248
Limus. I. 30
Linea veſtis ſerò inuecta. I. 180
Iſiacorum. 187
in ſacris. ibid.
Linteones. Lintearii. I. 247
Lineæ veſtis uſus apud Græcos rarus. II. 162.
Lineus Apollonii Thianei veſtitus. II. 169.
Lipſius Mureto aduerſus. I. 144
Liurea. I. 185. II. 26. 188
Luctus veſtimentum. I. 21. II. inſignia. 73.
Veri luminis chlamys. I. 159

M

Mæcenatis epicedium. I. 195
Malcum pallium. 241
Μανδύας. II. 5. Lacerna. 73
etiam Penula. 116
Μανδύη. 74. 75. 89

Μανδύη. Lacerna. 54
Manicæ. I. 199. II. 111
Mantile. II. 33
Mantuelis. II. 115
Manulearii. I. 246
Manutii exſcriptores. I. 172
Manum chlamyde inuoluere. II. 142
Mappula. I. 110
Mauorte, Veſtis. I. 75
Matronarum cultus. I. 223. 225. 255
Melinus color. I. 244
Mendicula, veſtis. I. 239
Meretricum cultus. I. 253. 254. 255
Menſæ rotundæ. II. 13
Menſarum circuli. ibid.
Miniſtrorum cultus. I. 182. 184
regiorum veſtitus. 184
Mollicina. I. 241
Molochinarii. I. 247
Multitia. I. 64. 65
Murex ſacer. I. 158
Murrobathratii. I. 246
Myrobrecharii. I. 246

N

NAtalis diei toga. I. 69
Negotiatores qui. II. 11
Noxii in tunicis auratis, & chlamydibus purpureis. II. 119
Nudus. I. 29
Nummi veteres. I. 4
Nummus Neronis. II. 121

O

OPeris pars tertia promittitur. II. 213.
Ὀρθοστάδιον. Recta tunica. II. 120
Ὀθόνη Cynicorum. I. 178
Ὀθόνη. II. 167. 176
Ὀθόνια. I. 180. II. perizoma. 201
Ὀθόνιον. II. 176

P

PAlla proprie. II. 120 qualis. 137
Palla mulierum tantum. 232. virorum apud barbaros. 234
Palla peplum. 232
Citharœdorum. 232
Tragœdorũ, & Saltatorum. 233
Palla longa. 234
Gallorum. 237
Pallii notatio. II. 136. 137
Pallium lata ſignificatione. I. 7. II. 133
propria. I. 7
Pallium pro ſtragula. II. 137
Pallium commune, eiuſque figura. II. 139. 140.
non fuiſſe fibulatum. 191
commune nulla fibula nectebatur. 155. 159
vt geſtatum. 142. 147. 151. 152
quale. 147
Pallium Gallicum fibulatum eſt Sagochlamys. 159
Item Perſicum pallium fibulatum. ibid.
nuptiale infectum. 170
Philoſophicum. 173
Pallio peculiares crepidæ. II. 160
Pallii Materia lana. II. 161
Color albus. 168. 206.
Philoſophici color fuſcus. 187
Palliolum. 175. eius vſus. 211
Palliolo caput obnubere. II. 211
Palliaſtrum. ib.
De Pallio Tertulliani Liber quando editus. 189
Quando is pallium ſumſerit. 190
Pallium à Chriſto, & Apoſtolis geſtatum, non tribonium. 192
Pallium fuſcum aſcetarum, & monachorum. 193
Pallium duplicare quid Cynicis. 196
explicare. ib.

in collum conjicere. 206
Palliati omnes Græci. II. 296
Pallio usi Imperatores Romani posterioris ævi. 139
Pallium coccineum solis Imperatoribus consuetum. ibid.
Vulgare, Philosophicum. I. 8
Iudaicum. 9
Græcorum proprie. II. 130. 138. 139.
Pallium virile. II. 135
muliebre Romanis. 139
Pallium. II. 133. virile, & muliere. 135.
quælibet vestis. 136
pallium vt plurimum virile. ib.
Palliolum. I. 36. 88
Palliolatus. id est, prætextatus. 36
Pallium Carthaginensium. 10
Maius philosophicum. I. 166. II. 139.
Pallium siue Palla matronarum atque ingenuarum. II. 222. 231
Palliati. II. 104
Paludamentum. II. 96. 98. longius, & fusius. 105
Imperatori in bello proprium. 102.
Paludati milites manipulares. 101.
item Lictores. ibid.
Paludamentum apertum. 109
& fibulatum. ibid.
Imperatorium vulgari laxius, & fusius. ibid.
Eius materia. 116. 119
Color purpureus. ibid. 124. 125
aureus. 120
cœruleus. 126
Panni quid? 177
Pannus. 157. 158
Pannus duplex. 197
Paragaudes. 182
Patagium. I. 240
Patropi causarum in lacernis purpureis. II. 55
Pauerata toga. I. 163
Pauera. ib.
Parthorum Regis statua gausapata. II. 15.
Πίζα, Fimbria. II. 39
Penula quid I. 9. 113. qualis 104
Eius vsus sacer, ac profanus. 111
Conuiuiis aliena. 184
Colore in ministris distincta. 185
Penula non gestata ab Imperatoribus, nisi in funere. II. 73
Vestis seruilis. 73
non cingebatur. 82
Φαιλόνης, & Φαινόλης. Pænula I. 105. 106
Φαινόλις. Φαινόλα. II. 65
Φαινόλιον. I. 113
Φελόνη, φελώνη, φενόλη. φαινώλη II. 67
Φαιὸς color geminus. II. 187
Φᾶρος vox Poetica. II 126
Pænula pulla. I. 259. II. eius notatio. 65. 66. 67. 187.
Origo. 67. intra vrbem 69.
Oratorum. ibid.
Cucullata. II. 40. 83
Mulionia. 69
Inter preces deposita. II. 63
Distincta à Lacerna. 65. 68. 76
Vestimentum itinerarium. 68
Penulis intra vrbem non vtebantur Senatores ante Seueri Alexandri tempora. 72. nec Principes. 75. Tribuni ac Senatores vsi in pluuia. 76.
Penulæ Materia. 76
Figura. 78
Penula scortea. 77
Lanea; Camusina, Gausapina. 77. 87.
Eius color. 87
non fuit purpurea. 89.
Penula russa. 124
Penula breuior quam lacerna. 78
clausa. 78

non

non cingebatur. 83
non militum duntaxat, ſed communis. 88
Pænulæ Antonianæ. II. 90
Pænula etiam veſtis muliebris. ibid.
& matronarum virili pretioſior. ibid.
Περιβόλαιον. περιβολὴ. περίβλημα. II. 136. 157.
Περιστέλλειν τὴν περιβολὴν II. 155
Pexa veſtis. I. 54. 240
Pexitas. 54
Phryxiana toga. 162. 240
Pileus libertatis inſigne. II. 40
Planeta veſtis Sacerdotum. I. 104. 105. II. 82.
Plebs quandoque togata. I. 78
Plumatilis veſtis. I. 244
Plumarium opus. ib.
Pluuiale. I. 113
Planeta, Caſula. Cotta. I. 189
Ποδήρης. Poderis. I. 187. Camiſia. 188.
Populus pullatus, & tunicatus. I. 103
cur tunicatus. II. 83
Prætexta pro *Prætextata*. 143
Prætexta, toga. I. 43
quid. 134
Eiusorigo. ibid.
vſus. 76. 134. 143. in ſacris. 135.
vtriuſque ſexus. 134
Quando poſita. ibid.
Magiſtratuum. 136
non fuit Senatorum. 140
neque cenſorum. 142
Tribunorum. ibid.
Prætextata ætas. 135
Prætextati, Prætextatæ. ib.
Prætextata verba. ibid. & *prætexta*. 143.
Prætextati, Conſul, Pontifex, Augur. 135. 136.
Ædilis. 338
Prætor. 139. Prætorio Præfectus. ib.
Dictator. ibid.
Præfectorum, & Præſidum habitus. I. 166.
Proconſules domi prætextam, in exercitu paludamentũ geſtarunt. II. 139
Prologomena ad Terentium diuerſorũ ſunt, & varie interpolata. II. 130. 131.
Propola. I. 246
Pſichrolutos. II. 17
Pullus color in luctu. I. 71. 146
Pullata multitudo. I. 259. II. 187
Pullatus circulus. I. ib. II. ibid.
Purpuræ diſcrimina. I. 147
Purpura pro Prætexta. I. 154. 204
Purpura ſymbolum principatus. 152
Purpuram ſumere. ibid.
Purpura ſũma, ideſt Imperatoria. 158
principalis.
veri luminis. ib.
maior laticlauia. 210
dibapha matronarum. 249
interdictum meretricibus. 249
cocco pretioſior. II. 51
Purpureus color ſuperbiæ notatus. II. 172.
Πυρρὸς. II. 57
Pythagoræ veſtis. II. 184

Q

Quadrantaria res, ideſt balneum. I. 192.
Quintilianus non eſt auctor libri de cauſis corruptæ eloquentiæ. II. 70
Quirinorum domus Patauii. II. 144

R

Ῥάκος. I. 177. 179. II. 210
Ῥάκια. I. 118
Ralla toga. I. 162. veſtis; & rara. 240

Rasa vestis. I. 55. toga. 162. 240.
Recinum. Recinium. I. 75. 226
Regilla vestis. I. 239
Retiarii sine galea pugnabant. I. 216
Rhetores olim purpurati. II. 173
Rica. I. 243
Ricamato. I. 162
Roan scuro. II. 56
Rotundum quid. II. 42
Russati agitatores in circo. II. 123
Rufus, & Russus color disctepant. II. 113.

S

SAcerdotum vestis aliquid togæ habet simile. I. 104. habitus promiscuus. 187
Sacra vestis, sacra purpura. 143
Sacrificantium vestis linea. 187
Sagum, paludamentum. II. 101
Sagum militi proprium. II. 82. 102. 104.
diuersi tamen generis. 104
etiam quoduis tegumentum. ib.
Sagati. ibid.
Sagum fibulatum. 108. non omne. 111
quale Gallicum. ib.
Sagulum. ibid.
Sagum Romanum apertum, & fibulatum. II. 111
Gallicum manicatum. ib.
intexta purpura distinctum. 127
quadratum. 140
Hispanicum. 113
Punicum. ibid.
Germanicum. ib.
Sago chlamys. 115. mixta ex chlamyde ac penula. 116
Sagi, & chlamydis diuersitas. ib.
materia varii pretii. ibid.
Sagum, pro veste viliori. ibid.
Sagum vestis seruilis. 118.
Baltheo non cingebatur. 119
Sagi Romani color albus. 124. 127
Imperatorii purpureus. 127
Sagula Gallorum trabeata intertexta purpura. 127
Saga scutulata. 128
Saracenorum colorata. ibid.
Saii. 111
Ire ad saga. II. 98
Esse in Sagis. ib.
Sumere sagum. 105
Saltatio Ionica. II. 212
Sarcinator. II. 247
Scortea. II. 77. 208
Scortum. ibid. 208
Scortari. ib. 208
Scutulæ in veste. I. 55. II. 128
earum forma. 251
Sedentarii. I. 247
Segmentarii. ibid.
Semizonarii. I. 248
Senatoria vestis. I. 257
Serici vsus apud Græcos tarus. II. 162
Serta crinium. 223
Seruorum habitus. I. 181. II. 207
Serui cucullati. II. 45
palliati. 207
Siluanus virorum genius, cui soli sacrificabant. I. 192
Siluanus Augusti. ib.
Sindon Cynicorum. I. 178. II. 200.
non est interula. 201
Tyria. II. 167
Sinus togæ. I. 12. quid 116. 118. duplex. maior, minorque. 15. 116. 127. 131. superior, inferior. 128.
Eius vsus. 14. 15
Sinus quid. 128. vestium, littoris. ib.
Sisyra chlæna non sagum Gallorum. II. 112.
σκαραμάγγιον. II. 171
Solox filum. II. 23
Solonis simulacrum. II. 153
Sordida vestis. I. 67

Soriculata veſtis. I.161
σποδιναὶ ἰδῆτες. I. 163
Spiſſa toga. I. 162. veſtis. 240
Spina Germanis fibulæ vice. II.113
Spinther Lentulus. II. 33
Statuæ togatæ. 14
Statua palliata. II.144
στιβὰς. I. 188
Stibadium tricliniare. ibid.
Stlatum, ideſt latum. I. 209
Stillicidium impluuiatum ignoratur. 239.
Stoicum pallium. I. 9
Stola mulieribus propria. I. 172
honeſtis, & ingenuis. 222. item libertinis. 228. qualis. 225
barbaris & Græcis veſtis communis. 222
pro matrona. 223
στολὴ ἀρχικὴ. Toga prætexta. I. 141. II. 105.
συλευτικὴ, latus clauus. I. 209
ἰλλενικὴ. II.138
Stola tunica, non pallium. II.135
Stola cingebatur zona. I.228
muliebris. 231
Stola crucium. I. 243
Stragula gauſapina purpurea. II. 14
Strophium. I. 147
Strophiarii. ibid.
Subarmalia. II. 6. & Subarmale. 128
veſtis militaris. 129
Sagum. ib.
Purpurea. 129
Subucula. I. 109. linea. I. 181.
Supparum à ſubucula differt. I. 242
Supparum Tertulliani. I. 243
Sutela. I. 247
Sutor. ib.
Sutura fibulæ loco. II. 31
Syntheſis. I. 87. 88. qualis. 88. 91.
Eius vſus. II.20
Syrma Tragœdis proprium. II.131

T

Taneto. II.56
Tapetes. II.29
Tebenna, τήβεννα veſtis. I.1
τήβεννα, Toga. I. 138
Τύσανος. II. 59
Thorax quid. I.181
Thoraces linei. II.165
Θοιμάτιον pallium. II. 135
Tirocinii anno dextra chlamyde inuoluta apud Græcos, apud Romanos toga. II.96.145
Togæ vetuſtas. I. 1. notitia difficilis. 114.
Toga Romanorum. II. 130
Eius materia. 116
Ius. II.138
exteris tyrannis à Romanis conceſſus. 2
forma dubia. ib. vera. 119.127
veſtimentum rotundum, & clauſum. 3
Geſtatio. 12. duplex. 50
magnitudo. 15. menſura, & longitudo. 73
color albus, 54. 66. ſed vrbanorum. II. 122. non communis. 69.
Raſa. Leuis. 56. Pinguis. ibid.
Regia vndulata. 53
Alba. 258
Alba diſcrepat à candida. 66
Splendens, id eſt nitida. 67
Pulla. 71
Laxior, anguſtior. 72
Talaris. 73
Tam virorum quam feminarum. 74.76.222.
meretricum. 77
Imp. Purpurea. 80
Togulæ. 16.72
Toga caput inuoluebatur. 32

cum calceis gestata. 36. II. 160
Toga nō cingebatur. I. 39. nisi vbi ad manus ventū, & spolia cremarētur. 44
item dum mappa mitteretur. 46
Togati Romani. 74
Id est Salutatores. II. 74
Toga deposita in luctu, & calamitate publica. I. 81
item in deprecatione. 83
cuius loco angusti clauia, etiam apud consulares. 82
Vestis olim domestica. 83
Toga, stola forensis. 84
Toga in conuiuiis induta. ibid.
Toga submissa. ibid.
Cœnatoria. 85
quæ Synthesis. 86
muliebris. 88
Toga præsidiaria. 84. 122. 131.
Togæ vsus extra vrbem, Italis pene omnibus communis. 92. 93. etiam in militia. 94
desuetudo. 95. 102
vsus etiam in populo. 95
Toga salutatorum. ibid.
mererricum. 238
Toga pro clientibus togatis. 96
Togati Augustorum. 97
Aduocati. ibid.
Præfectorum. ibid.
Togatus. Aduocatus. 98 100
Togati vulturii. ibid.
Toga Imperatorum æuo non penitus deposita. 100
Festiuitatum. I. 69
in ludis vsurpata. 101
Togæ successit lacerna, & penula. 102
Togæ sinus ab vmbone diuersus. 117
Toga submissa. 121
Virilis, pura, & libera. 134
Communis. 139
Triumphalis primum purpurea: deinde picta. 152. itemque Capitolina. 153. Iouis. 155. palmata. 156. Consulum, ac Prætorum. 154. 155
itemque Tribunorum. 155. etiam priuatis concessa. 156
Togæ palmatæ figurę intextæ, vel pictæ. 156
Triumphalis, Regia. 157
Vndulata. 161. Cumatilis. ibid.
Soriculata. 161
Phryxiana. 162. Rasa. ib. Paueetata. 163
Græcanica. 163. Germanica. 164
Flammata. ib.
Duplex. id est Læna. 170
Togati nudo capite incedebant. II. 40
Tomentum. I. 57
Lingonicum, & Circense. 58
Tori bilices, trilices. II. 164
Trechedipna vestes gymnicę. II. 25
Trabea qualis. I. 144. triplex. ib. eius vsus ib. 239. II. 132.
toga. 145. II. 127. picta 146. non paludamentum. 145. II. 109.
Eius vsus. I. 145.
Consulis vestimentum. 146
toga palmata. 153
Tribonium. II. 134. *τρίβων. τριβώνιον.* 175. 176. 177. non pauperiorum modo gestamē, sed etiam honestiorum, & vestis forensis, ac judicialis, 179. 181.
à lacerna diuersum. 178
τριβωνικῶς. 180. 194
Cynicorum. 176. Stoicorum, & Philosophorū. 181. 184. item Pythagoricorum. 184
Professorum liberalium disciplinarum. 185. eiusque colores. 188.
Eius color. 187. 188
Primus induit Socrates. II. 182
Triboniū ascetarū Christianorū. 189
Tribonophoria Christianorum breuis moræ. 192

Cynicorum peculiaris. 194
Tribunus angusticlauius. 213
Triumphalis habitus. 80.156
Tunicæ initium. I. 173
Tunicæ Carthaginensium. I. 8. Materia. II. 116. color albus. I. 54. 103. 203.
Tunica sola cingebatur. I. 42. præterquam à Senatoribus, & laticlauiis. II. 122.
in petitione honorum depositа. 177.
sola cingebatur. 178. 194
superior, & superaria. 190
laticlaui non cingebatur. 74
Tunicæ mensura. 190
Tunica talaris. 194
Tunica quæ. 109. 172. virorum. 172.
interior, & exterior. 176. 178
Palmata. 153. 205
Tunicula. 177
sacricolarum talaris, & manuleata. 189
Tunica Græcis, & Romanis. II. 130
Tunica centurionum, ac militum. 194
Tunicæ manuleatæ. 196
Tunicata iuuentus. 173. *plebs.* 257
Tunicatus populus. ibid.
Tunica plebeia. 204. 257
Rusea militaris. 205.
Purpurea recta. 123. militaris. ib.
Tribunorum, & Ducum. 123
Fusca. II. 187
Galbina. I. 205
Punicea. ib. II. 122. 123
Senatorum, & Equitum clauis purpureis distincta. 206. 216
pro lata claua. 209
Virilis. 211. Muliebris manicata. 229.
Laticlauia. Angusticlauia. 205
Asema. 215
Eius ornamenta. ibid.
Tunica indusiata. 240
ἀνάκωλος. II. 38
Christi inconsutilis. 63
Tunicarum alæ. 226
manicæ. II. 83
In agro, & municipiis communis. 257.
Tunicæ Patauinæ. II. 13
Gausapinæ. 26
Lineæ Athenienſium quæ. 162
Tunica paganis communis. 91
militum breuior. 108. alba. 122. 123.
paganorum longior. 109
palliolata. 115
cingebatur militibus. 119
Recta. 120
muliebris virili promissior. 150
Cynicis nulla. 158

V

GEorgius Valla multa ex Interprete Iuuenalis habuit. II. 49
Ventralia. I. 58. 59. 60
gausapina. II. 26
Vestimenta quadrata. I. 8
Vestes poliebantur erinacei cute. 68
Vestis domestica; forensis. 83
balnearis. II. 19
cœnatoria. ib.
sacra. 143
peruersa. ibid.
triumphalis in Capitolio seruata, 156.
Alethina. 158. ἀληθινὸν χρῶμα. 159.
holoserica. Holouera. Vid. H.
Senatoria, latus clauus. 209
Equestris, id est militaris. I. 214. II. tunica. 73
Vrbana. Toga. I. ibid.
muliebris varia. I. 238
florida. 252. pulla. II. 73
prælo subiecta, II. 55

Veſtis diſcrimen cum Toga ſublatum. I. 260.
Veſtimenta militaria. II. 91
alba. II. 169
Vitreæ togæ. I. 65
Violarii. I. 245
Virgata veſtis. I. 251
Virilis habitus pro pallio. II. 193
Vmbo togæ. I. 17. nihil à ſinu diuerſus. 118. 127. quid 128.
Vndulata veſtis. I. 161. 244

X

Xerampelinæ, chlamydes II. 58

Y

Ὑπόδιφθερα, ouis pellita. II. 117. tecta, 118.

Z

Zona quid. I. 248
Semizona. ibid.
Zona muliebris. I. 129

FINIS.

ERRATA

Operarum grauiora sic corrigenda.

Par. I.

Pag. 3	v. 30	Scauro,
	32	pars.
32	3	*inuoluere.*
35	26	Antonio
42	1	στρατιωτικῶν
55	22	Ægyptia
67	26	candeſceret
	17	ταφῇ
85	25	conuiuio
98	26	compendio
104	18	inde
106	9	chlamydes, ſaga,
109	9	lithurgiam
110	15	indecorum
111	14	Leuitas
114	26	κυρίων
117	10	à vulgatæ
119	3	veſtimentum
122	28	ſtrangulare
124	21	perbreues
126	23	caderet;
130	15	exhauſta
132	1	ſtudiis
136	12	περιπόρφυρος
138	7	τὴ βεννος
	14	Prætorii
140	19	prætextæ.
149	7	conatus eſt doctiſſimus
150	21	*caſtrenſia*
	33	*Galatiæ,*
	36	*colores:*
153	21	poſtquam
154	7	*Quirinali*
	34	*curruleum*
156	2	omiſſum,
162	19	*à ſtando*
171	11	coccineam,
176	32	*incertum*
177	v. 9	in diſcincta
180	17	alteram
181	1	*hiems,*
	18	*thorace*
185	11	factionibus
187	26	Alcuinus
190	15	*Centurionum*
	34	mutandum
191	32	de ſcriptoribus
195	32	*Inuide*
	35	Apophthegm.
207	2	*veſtis*
	35	*Palaſtina*
	36	texendi
226	16	inceſſu.
227	8	*è collo*
229	12	*conſtrinxere.*
240	6	tunica
241	6	πεταύσω,
	11	diabathrarii,
	52	Inde
246	20	*malobathrarii à malobathro*
249	22	*Roſcida*
252	18	ἀνθεραῖς
	22	Vopiſcum
260	25	togatis Quiritibus

Par. II.

Pag. 2	v. 24	*intexitur*
5	32	Χλαμὺς.
16	24	*delecteris,*
26	31	pluuiæ
29	16	*villis*
30	25	σῶμα,
57	32	*Canuſini,*
63	6	inconſutilis
70	25	Lampridius,

Pag. 117	v. 31	βαθύμιλλοι,
119	15	Baias
120	34	XLVIII.
134	6	lacinia,
	11	ἀποκαλύψασθαι.
161	9	inficiebantur purpura,
163	11	Thucydidis
167	21	ἐθέντιον
172	9	Purpurarii
174	3	*Thermopolio*,
175	21	lanuginem
177	30	τρίβων
179	v. 1	tribonio
	19	vnquam
181	19	dimidiato
	28	τριζωνοφορίαι
189	35	Γραικὸς
197	18	διπλοῖς
201	36	interula
202	24	poparum
203	33	viro
207	12	Aristophanem. Ve-
		spis